Austr. 47

Bib. SS. Andreæ
& Magni ſub
Præpoſito.
Stadt am Hof,

<36623506830015

<36623506830015

Bayer. Staatsbibliothek

H Eccl. 8

R

ANNALES
ET
ACTA PIETATIS
AUGUSTISSIMÆ
AC
SERENISSIMÆ DOMUS
HABSPURGO-AUSTRIACÆ.

In Quibus

ORTUS ET PROGRESSUS HABſpurgicæ Gentis, Imperialis Dignitas, Reges, Duces & Archi-Duces, S. R. E. Cardinales, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Supremi Ordinis Tevtonici Magiſtri, Imperatrices, Reginæ, Origines Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, Cœnobiorum ac Academiarum, dotationes Hoſpitalium, aliaque ad Pietatem & Dignitatem Auguſtalem ſpectantia proponuntur.

Accedunt Notæ & Additamenta Sacro-prophana Hiſtorica, Genealogiæ infuſionem ſanguinis Habſpurgo-Auſtriaci in præcipuos Europæ Reges & Principes demonſtrantes, & Diplomata Pontificum, Imperatorum, Regum, recitantur, controverſiæ aliquæ Hiſtorico-Chronologicæ ſolvuntur, aliaque complura.

AUTHORE
WENCESLAO ADALBERTO CZERWENKA de Weznow Turnovienſi Bohemo, Cathedralis Eccleſiæ Litomericenſis ad S. Stephanum Proto-Martyrem Capitulari Canonico, & Aſſeſſore Conſiſtoriali.

PARS I.
Uſque ad Annum M. CCC. LVIII.

VETERO-PRAGÆ, Typis Archi-Epiſcopalis Seminarij in Aula Regia per Joannem Michaëlem Störitz. Anno 1691.



LEOPOLDO
ROMANORUM
IMPERATORI
SEMPER AUGUSTO
PIO, FELICI, PACIFICO,
Germaniæ, Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, &c.

REGI,
Archi-Duci Austriæ, &c.

Vitam, Felicitatem & Pacem.

ANnuat Augustissima Majestas Vestra, ut sub Imagine ac Præsidio hoc palàm tam bellicoso licèt tempore, quo inter Arma Musæ silere solent, Gratitudinem erga Majestatem Vestram contester. Non me latet *grati animi primum* (a) esse *gradum beneficij meminisse.* Ac ideo nolo censeri eos inter, qui beneficia scribunt in pulvere, sed juxta mentem Principis Oratorum potiùs illis adnumerari cupio, qui dum ob beneficia percepta multum debent, plura adhuc, quantulumcunque solvant, se debere existi-

(a) *Seneca Lib. 1. de beneficijs.*

mant. Provocatus itaque beneficijs ſegnem me ad gratiarum actionem non ſinebant eſſe, quæ à Majeſtatis Veſtræ manibus Beneficia percepi: dum ab Auguſtiſſima Munificentia Habſpurgo-Auſtriaca ſub initium ſtudiorum meorum velut conceptus, per decennium nutritus, educatus ac in hodiernam uſque diem gratijs pluribus ſum cumulatus. Ut huic beneficiorum cumulo gratitudinis arenulam reponam, Opus Hiſtoricum, in quo omnigena & pulcherrima quævis per Majores Majeſtatis Veſtræ adumbrata Virtutum imago repræſentatur, humillimè præſento ac Sacratiſſimis manibus dedico. Illud vovens ut Benigniſſimum & Diviniſſimum Numen Majeſtatem Cæſaream Eccleſiæ, Imperio, Familiæ Auguſtiſſimæ diutiſſimè ſervet incolumem! Litomericij IX. Junij die anniverſariâ nativitatis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Anno cIↃ IↃC LXXXXI.

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ

Humillimus ac devotiſſimus
Capellanus

Wenceslaus Czerwenka.

LICENTIA ORDINARIJ.

DE mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini Domini Jaroslai, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Litomericensis S. R. I. Comitis de Sternberg, Canonici Passaviensis, &c. Ego infra subscriptus Ejusdem Officialis & Vicarius in spiritualibus Generalis, J. U. Doctor, Protonotarius Apostolicus, nec non Cathedralis Ecclesiæ ibidem & Capituli Decanus, Lectum Opus cui titulus: Annales & Acta Pietatis Augustissimæ & Serenissimæ Domûs Habspurgo-Austriacæ, *Authore Reverendissimo Prænobili & Amplissimo Domino Wenceslao Adalberto Czerwenka de* Wěznow *ejusdem Cathedralis Ecclesiæ ad D. Stephanum Proto-Martyrem Canonico & Episcopalis Consistorij Assessore, &c. Lubens approbo, ut, cùm nihil contra Fidem Orthodoxam aut bonos mores, sed potiùs incitamentum ad opera pietatis in se contineat, utpote Opus ab insigni eruditione & singulari industria Authoris commendabile, Augustissimæque Domui gloriosum typis vulgari possit. Dabam Litomericij die 3. Maij 1690. sub sigilli Episcopalis appressione & propriæ manûs subscriptione.*

Michaël Ernestus Beer.

Præfatio ad benevolum lectorem.

Plutarchus in Solone.

NOn ſum ita cæcus rerum mearum æſtimator, ut exiſtimem Annales meos numeris omnibus abſolutos eſſe, & cunctis placituros: *Difficile eſt omnibus in magnis placere*, difficiliúſque eſt viris doctis, quibus ætas noſtra abundat, in ſcriptionis genere cumulatim ſatisfacere: Quid enim ex omni parte beatum? Nemo ne liber quidem vitijs ſinè naſcitur. Privilegium errandi omnes habemus, manet quoque privilegium ſeu potiùs libertas, ut momos agant. Sic Plato ab Ariſtotele, Ariſtoteles ab Averroë, magni denique viri etiam à parvis ſubinde carpuntur. Erunt fortè complura, quæ in annalibus meis in dubium revocabuntur aut erroris arguentur, aut judicabuntur aliter fieri potuiſſe. Audio & ſcio lectorum eſſe judicia diverſa, & quot capita tot ſententias. Erunt qui titulum Operis impugnent dicentes: multa in illo promitti & non exhiberi. Reſpondeo: non poſſe ſcriptorem omnia uno libro complecti, præſertim cùm Opus Chronologicè ſe deducendum appromittat. Aptè ùt ſperamus quæ promittimus temporibus ſuis & locis proponentur. Oceanus quaſi inexhauſtus & abyſſus quædam Pietatis Domus eſt Auſtriaca. Nec dubium eſt capitibus illis in quibus de cultu SS. Euchariſtiæ & alijs pietatis monumentis tractavimus quàm plurima adhuc prætermiſſa. Eruditum proinde Lectorem quæ ibi deeſſe putabit, vel etiam alijs in locis, obſecramus, ut nobis benignè communicet. Erit in progreſſu Operis ſupplendi locus, ídque cum honore nominis ſingulorum, qui noſtrum laborem per communicationem materiæ augendæ, promovebunt. Prolixum multis forſitan videbitur, & dicent: *Brevitatem amamus.* Reſpondeo: prolixitatem illam fontes eſſe, & licere haurire ex illis unicuique juxta ſuum beneplacitum. Sin diſpliceat, datur facultas adeundi indices quí compendiosè rem pertractant.

Index capitum pag. 7. Index chronolog. 541. Index rerum 545.

Illud obſervare cupio Lectorem, D. Leopoldum ſubinde etiam Ducem ex MS. Chronico Auſtriæ nuncupari. Cujus rei rationem vide paginâ 9. & quæ de Ottone S. Leopoldi filio & Clauſtro Neo-burgenſi dicuntur, etiam paginâ 217. invenies. Illud etiam hìc Lectorem obſervare cupio, S. Leopoldi filium, ex Ciſtercienſi monacho creatum fuiſſe Epiſcopum Friſingenſem, & Ottone agente Henricum fratrem ab Imperatore renuntiatum primum Ducem Auſtriæ. Quòd ſi dictum Clauſtrum Neo-burgenſe Collegiatam Eccleſiam olim fuiſſe dicas, & illud non abſque fundamento dicetur: nam ipſimet Pontifices Collegiatas Eccleſias appellabant

Clau-

Clauſtra, Cœnobia, vel Monaſteria, ùt ex antiquitate demonſtrat Cardinalis Baronius. Quem ſecutus Theophylus Raynaudus ita ait: *Canonici Eccleſiarum primis temporibus ex Religioſi Inſtituti ritu unum corpus Præpoſito ſubjectum conflabant.* Exempla videre poteris apud veterem Bohemiæ Scriptorem Coſmam & Eccleſiæ Pragenſis Decanum, qui Collegia Canonicorum ſeu Collegiatas Eccleſias Monaſteria vel Cœnobia, nunquam aliter, appellabat.

Tom. VIII. in Lugdunenſibus Tract. de S. Joanne &c. Puncto II.

Miratur Eruditiſſimus Joannes Ludovicus Schönleben in opere ſuo de vera origine Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ nemini in mentem veniſſe, ut, quæ ſparſim editæ ſunt vitæ Auſtriacorum in unum volumen colligeret; aut ea, quæ de eorundem Pietate in varijs authoribus diſperſa leguntur, ſimul collecta orbi legenda proponeret: operæ facturus pretium, quiſquis id attentaret. Non dico, ut omnem ſingulorum vitæ ſeriem ad apicem deſcriberet, ſed ea ſolùm excerperet, quæ pietatem concernunt, Politica proſecuti ſunt multi, ſacra rari attingunt, vel alijs operibus inſerunt incidenter. Ita ille.

Prolegom. P. 2. C. 9. §. 1. pag. 173.

Clariſſimus Lambecius pollicitus eſt ſe Annales Auſtriæ daturum, in quibus haud dubiè ſacra etiam tractâſſet; ſed anno 1680. menſe Aprili, ante tempus vitâ functus, promiſſa dare non potuit. Illo decedente mihi argumentum hoc quoad ſacra præcipuè tractandi & ſubinde politica laborem aſſumpſi. Et cùm una eademque res ſæpiùs vulgetur, ùt vidimus in Annalibus Eccleſiaſticis, quos Cardinalis Baronius, Spondanus, Raynaldus, Bzovius in lucem dederunt: nihil ambigo, futurum, qui eadem poſt me ſæculo perfectiore pleniùs pertractet, notis tam hiſtoricis, quàm chronologicis illuſtret, omiſſa ſuppleat, errata corrigat, obſcura aut dubia interpretetur, & (ſi majora ipſi ſubſidia ſuppetunt) præcipuarum perſonarum imaginibus Opus ſuum exornet. Næ ego pro his non invidiam, ſed multam gratitudinis vicem rependam. Quòd ſi Theonino dente hæc ſolùm rodere quis velit, cum Eraſmo Roterodamo perſtringente Lazarum Bonamicum Oratorem & Poëtam quidem ſummum, ac docendo aſſiduum, ſcribendo verò nullum, aliorúmque Scriptorum acerrimum cenſorem provoco: (*a*) *Lazare veni foras*, & meis meliora affer: ſcio enim faciliùs eſſe judicare, quàm facere. Mihi ſat erit in magnis voluiſſe & initium feciſſe.

Ad extremum Lectorem meum rogatum cupio, ut ſi qua in re minùs ijs ad quos attinet, fecero ſatìs, ſcriptorem confidenter admoneat, corrigetur, omittetur, addetur. Et ſi quid ſilentio præteritum aut omiſſum aut certè ex M. SS. mihi incognitis excerptum reperiri poteſt, ſcriptori intentionem ſuam proſecuturo amanter ſuppeditet, ac ità erudiat. Vale Benevole & Erudite Lector.

(a) *Vide Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ de Lazaro Bonamico titulo Scriptio, Scriptura.*

INDEX CAPITUM.

PRæſens Pars & Prima Annalium & Actorum Pietatis Auſtriacæ in tres Libros dividitur, continétque Liber I. pietatem potiſſimùm Rudolphi I. Cæſaris Auguſtiſſimæ & Sereniſſimæ Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ Fundatoris. Numerat Capita XXX. quorum ordo & capita proponuntur.

Libri I.

CAPUT I. pag. 2.

Rudolphi I. Cæſaris nativitas, Parentes, educatio, militia, Aula & nominis Rudolphi varia Etymologia.

CAPUT II. pag. 10.

Cultus SS. Euchariſtiæ inter venandum à Rudolpho Comite Habſpurgico exhibitus, Vaticinium Virginis Deo Sacratæ de ſecutura Cæſarea dignitate. Obſervatio digniſſima, quòd eo ipſo anno, quo Rudolphus SS. Euchariſtiam honoravit, per Urbanum IV. Pontificem Solennitas Corporis Chriſti in Eccleſia inſtituta ſit. Coloniæ autem Agrippinæ ſub initium ſæculi, quo natus eſt Rudolphus, inductus mos campanulâ monendi populum ad venerandum Chriſtum Euchariſticum in Miſſa ad elevationem, & in deportatione ad ægros.

CAPUT III. pag. 28.

Rudolphi cultus Marianus, in eandem munificentia, benignitas etiam in hoſtem.

CAPUT IV. pag. 30.

Electio Rudolphi in Imperatorem, obſervantia in Romanorum Pontificem, amor & æſtimatio literarum. Signa electionem antecedentia, ex quibus Scriptores deducunt, divinâ Providentiâ, non hominum voluntate ad Imperium electum. Affertur eodem Capite Elogium Rudolpho à Pontifice & Archi-Epiſcopo Colonienſi datum. Literæ Cæſaris poſt Electionem ad Abbates Ciſtercienſes Ciſtercij congregatos & ad Moniales ejuſdem Ordinis.

CAPUT V. pap. 38.

Rudolphus Aquiſgrani coronatur. Signa in cœlo tempore Coronationis viſuntur. Crucis amor & in Crucifixum Cæſaris fiducia. Cura Imperij, Liberalitas in militem, ſeveritas in prædones.

CAPUT VI. pag. 42.

Rudolphi Epiſtola ad Pontificem. Amor in Ordinem S. Auguſtini.

CAPUT VII. pag. 46.

Rudolphi cum ſummo Pontifice colloquium, à quo Cruce ſignatur & ad *Terram Sanctam* aſpirat; ejuſdem in Eccleſiam benevolentia, hæreſim flagellantium extirpat operâ præcipuè Philippi Benitij Ordinis Servorum B. V. Generalis V. ſuíque Confeſſarij & Concionatoris.

CAPUT VIII. pag. 51.

Mors Gregorij X. Papæ. Cæſaris cura Eccleſiæ & novo Pontifici facta à Cæſare aggratulatio.

CAPUT IX. pag. 55.

Literæ Pontificis ad Cæsarem in quibus Ecclesia Coloniensis & Archi-Episcopus commendantur.

CAPUT X. pag. 57.

Cæsaris liberalitas in Episcopum Passaviensem & gratitudo Episcopi in filios illius.

CAPUT XI. pag. 60.

Initia belli inter Rudolphum Cæsarem & Ottogarum Regem Bohemiæ: Rudolphi præclarum fiduciæ in Deum exemplum.

CAPUT XII. pag. 67.

Conflictus copiarum Cæsarearum cum Ottogaro Rege. Ottogari mors & plurimæ virtutes.

CAPUT XIII. pag. 75.

Acta Cæsaris post victoriam obtentam, de qua certiorem reddit Romanum Pontificem, gratulatio ad hanc consecuta, & Cæsaris in devicti Regis filium clementia.

CAPUT XIV. pag. 77.

Aurea bulla quâ Cæsar immunitates Ecclesiasticas antecessoribus Nicolai III. Papæ datas confirmat. Favor in Regem Bohemiæ, & in Ducem Bavariæ Ludovicum; Beneficentia in Cœnobium Cremisanense Ordinis S. Benedicti.

CAPUT XV. pag. 81.

Tullnensis Cœnobij initium & Fundatio. Majorum Rudolphi Pietas in fundandis locis Sacris. Syllabus in notis personarum ex Domo Habspurgo-Austriaca sexûs fœminei, quæ statum Religiosum assumpserunt, vel eundem vitâ expresserunt.

CAPUT XVI. pag. 91.

Novæ literæ fundationis memorati Cœnobij; Privilegium Monasteri Zwethallensis de Sale; Monasterij Rorensis confirmatio fundationis. Mors Annæ Imperatricis & celebrata funeralia. Mors Alberti Magni & Hartmanni filij Cæsaris. In notis tituli Ecclesiarum Episcopalium, quæ ad Rhenum sitæ sunt.

CAPUT XVII. pag. 100.

Rudolphi Cæsaris fides in promissis. Nuptiæ Alberti filij. In conventu Herbipolensi Cæsaris in Pontificem favor & jurium Ecclesiasticorum confirmatio. Item favor in Ordinem Cisterciensem & benevolentia in suum quendam Aulicum.

CAPUT XVIII. pag. 104.

Beneficia collata Regi Bohemiæ per Cæsarem. Ejusdem secundæ nuptiæ. In S. Bernardi familiam liberalitas. Ejectio prædonum ex Imperio. Studium pacis in Cæsare & eximia civilitas.

CAPUT XIX. pag. 110.

Philippi Benitij pius obitus. Canonizatio ejusdem à Leopoldo I. Cæsare procurata. Favor in Ordinem Teutonicum & Fratres Hospitalis S. Joannis in Hierusalem.

CAPUT XX. pag. 115.

Nuptiæ Regis Bohemiæ Wenceslai cum Juditha Cæsaris filia. Amor amborum in Ecclesiam Pragensem D. Viti Martyris. Liberalitas in Episcopatum Ratisbonensem Alberti Ducis Austriæ. Cæsaris studium gratificandi Confessario quondam suo, & Mercatori cuidam.

CAPUT XXI. pag. 120.

Cura Religionis conservandæ in Ungaria. Beneficentia Cæsaris in Archi-Episcopum Trevirensem. Specialis prærogativa Alberto filio Cæsaris à Pontifice facta. Favor in Regem Bohemiæ Cæsaris, ejusque favoris data confirmatio.

CAPUT XXII. pag. 123.

Rudolphi Cæsaris illustre specimen abstinentiæ heroibus relictum. Nova petitio à Pontifice pro tuenda Religione in Ungaria. Mors Rudolphi Ducis Sueviæ & ejus conjugis. Cur abstinuerit Cæsar à profectione in Italiam.

CAPUT XXIII. pag. 129.

Beneficia à Cæſare Regi Bohemiæ conceſſa. Zelus Pontificis & Cæſaris pro conſervanda Terra Sancta. Mors Fundatoris Auguſtiſſimæ Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ.

CAPUT XXIV. pag. 136.

Ejuſdem Virtutes.

CAPUT XXV. pag. 141.

De ijs teſtimonia Scriptorum.

CAPUT XXVI. pag. 143.

Elogium per Nicolaum Avancinum S. I. concinnatum

CAPUT XXVII. pag. 152.

Series ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca Imperatorum, & Romanorum Regum. Item Series Regum Bohemiæ, Ungariæ & Hiſpaniæ. Præterea Series S. R. E. Cardinalium, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Teutonici Ordinis Magiſtrorum, Ducum & Archiducum cæterorum. Demum ſeries Imperatricum, Reginarum, & Archi-Duciſſarum, &c.

CAPUT XXVIII. pag. 167.

Potentia Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ.

CAPUT XXIX. pag. 173.

Inquiritur unde tanta potentia provenerit?

CAPUT XXX. pag. 177.

Declaratur præcipuorum Regum, & Principum Origo ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Libri II. Prooemium in paragraphos diviſum.

§. I. Auſtriæ deſcriptio. pag. 212.

§. II. Primi incolæ ſeu habitatores Auſtriæ. pag. 213.

§. III. Præfecti Auſtriæ. 214.

§. IV. Marchiones Auſtriæ. 215.

§. V. Duces Auſtriæ. 218.

CAPUT I. pag. 224.

Alberti I. Ducis Auſtriæ filij Rudolphi I. Cæſaris Pietas & gratitudo in Parentem. Privilegium ab eodem Monaſterio Zwethallenſi ſuper deductione ſalis.

CAPUT II. pag. 229.

Francofurti Comitia de creando novo Romanorum Rege. Clementia Alberti Ducis Auſtriæ in ſubditos. Favor in Præpoſitum S. Nicolai Paſſavij Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini.

CAPUT III. pag. 232.

Principum Imperij ab Adolpho Cæſare abalienatio. Bellum Alberti cum Adolpho, & periculum Alberto à veneno propinato.

CAPUT IV. pag. 234.

Coronatio Regis Bohemiæ Wenceslai & Judithæ filiæ Rudolphi Cæſaris. Fundatio Cœnobij Aulæ Regiæ Ordinis Ciſtercienſis. Judithæ Reginæ mors.

CAPUT V. pag. 236

Prælium Cæſaris cum Alberto Duce Auſtriæ. Mors Cæſaris. Albertus Dux Auſtriæ eligitur in Regem Romanorum. Favor ſpecialis in Archi-Epiſcopum Trevirenſem, in Epiſcopum Paſſavienſem, & Regem Bohemiæ.

CAPUT VI. pag. 240.

Nuptiæ Rudolphi filij Cæſaris cum Blanca filia Philippi Regis Franciæ. Novus favor Cæſaris in Regem Bohemiæ. Cæſaris felicitas in bello, & devotio liberalis in Deiparam.

CAPUT VII. pag. 245.

Fundatio Monasterij Regij fontis S. Bernardi. Consecratio Chori, seu Ecclesiæ, quam hodiedum Viennæ Ordo Prædicatorum possidet, & beneficia in eandem à Pietate Austriaca collata, ubi etiam sepulta est Imperatrix Claudia Felix.

CAPUT VIII. pag. 251.

Albertus à Pontifice Bonifacio VIII. confirmatur. Ejusdem Pontificis favor in Cæsarem & conjugem. Zelus Cæsaris in tuenda Christianitate & amor in Cœnobium Zwefaltens. Mors Mechtildis filiæ Rudolphi I. Cæsaris.

CAPUT IX. pag. 259.

Mors Wenceslai Bohemiæ Regis, generi Rudolphi I. Cæsaris. Ejusdem Regis ac Reginæ insignis Pietas. Alberti Cæsaris Affinis sui in sacris memoria, & confirmatio Privilegiorum Regi Bohemiæ concessorum.

CAPUT X. pap. 263.

Favor Austriæ Ducum in Cœnobium Formpachense Ordinis S. Benedicti. Nova Beneficia fundata Spiræ. CAPUT XI. pag. 267.

Rudolphus Austriacus fit Rex Bohemiæ. Ejusdem mors.

CAPUT XII. pag. 268.

Bellum Alberti Cæsaris in Bohemia. Ejusdem mortis periculum, & in Ordinem Cisterciensem novus & postremus favor.

CAPUT XIII. pag. 270.

Alberti Cæsaris mors.

CAPUT XIV. pag. 278.

Elogium Alberti Cæsaris.

CAPUT XV. pag. 287.

Æmulatio de Pomo Imperiali. Sepultura Alberti Cæsaris Spiræ celebrata. Joannis filij Henrici Cæsaris nuptiæ cum Elisabetha nepte Rudolphi I. Cæsaris.

CAPUT XVI. pag. 289.

Odium Henrici Cæsaris in filios Alberti, quod tandem favore mitigatur. Sponsalia Catharinæ filiæ Alberti I. Cæsaris cum Henrico Cæsare. Sponsæ virtutes & pia mors.

CAPUT XVII. pag. 292.

Duo simul Cæsares eliguntur. Bellum ex hac Electione ortum.

CAPUT XVIII. pag. 297.

Prælium duorum Imperatorum. NB. In hoc Capite paginâ 302. & sequentibus ostenditur Fridericum *Pulchrum* non esse ex numero Cæsarum expungendum, & scribendum Fridericum *Pacificum V.* qui III. vel IV. vulgò scribitur.

CAPUT XIX. pag. 313.

De ijs, quæ durante bello inter duos Cæsares evenêre.

CAPUT XX. pag. 317.

Regia magnanimitas Friderici *Pulchri* Cæsaris in carcere inconcussa; ejusdem ibidem singularis Pietas. Mors Leopoldi & Henrici fratrum Ducum Austriæ.

CAPUT XXI. pag. 321.

Fundatio Ottonis Ducis Austriæ Neo-monti in Styria pro Ordine S. Bernardi Abbatis Claræ vallis.

CAPUT XXII. pag. 324.

Fundatio Monasterij Viennæ pro Fratribus S. Augustini.

CAPUT XXIII. pag. 327.

Origo Carthusiæ Maurbacensis.

CAPUT XXIV. pag. 345.

Erectio Hospitalis Viennæ per Fridericum *Pulchrum* Ibidem Ottonis Ducis fundatio pro Canonissis S. Augustini. Liberalitas Agnetis filiæ Alberti I. Cæsaris in Cœnobium *Portam Cœli*

CAPUT XXV. pap. 348.

Friderici *Pulchri* ultima voluntas & Pietatis monumenta per suffragia sacra instituta.

CAPUT XXVI. pag. 356.

Friderici *Pulchri* pius obitus. Sepultura Maurbaci apud Carthusianos in Austria.

CAPUT XXVII. pag. 360.

Elogium Friderici *Pulchri* Cæsaris.

Libri III.

CAPUT I. pag. 366.

Alberti II. Ducis Austriæ & aliorum ex Domo Habspurgo-Austriaca Amor & Affectus in Carthusiam Maurbacensem.

CAPUT II. pag. 370.

Albertus *Sapiens* fundat Cœnobium Gammingense.

CAPUT III. pag. 373.

Miscellanea quæ ad Ordinem S. Brunonis spectant.

CAPUT IV. pag. 386.

Bella Ottonis Ducis Austriæ, & inter arma multiplex Pietas.

CAPUT V. pag. 388.

Syllabus personarum ex Domo Habspurgo-Austriaca, quæ S. Claræ institutum amplexæ sunt. CAPUT VI. pag. 422.

Elisabetha Alberti II. Cæsaris, & Tertij Ordinis S. Francisci filia.

CAPUT VII. pag. 425.

Cunegundis Alberti Ducis Bavariæ, cognomento *Sapientis*, vidua, Tertij Ordinis S. Francisci filia.

CAPUT VIII. pag. 427.

Elisabetha Maximiliani II. Cæsaris, & Tertij Ordinis S. Francisci filia.

CAPUT IX. pag. 439.

Isabella, Clara, Eugenia, Belgij Gubernatrix, Tertij Ordinis S. Francisci filia.

CAPUT X. pag. 447.

Vita Agnetis filiæ Alberti I. Cæsaris.

CAPUT XI. pag. 450.

Literæ Benedicti XII. Papæ ad Albertum II. Ducem Austriæ, ut Ludovicum Imperatorem ad obediendum Sedi Apostolicæ reducat. Mors Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ & in eam Pietas Philippi IV. Hispaniarum Regis.

CAPUT XII. pag. 452.

Alberti II. Ducis Austriæ Zelus in tuendo honore SS. Eucharistiæ. Mors Ottonis Ducis Austriæ.

CAPUT XIII. pag. 454.

Rudolphus I. Cæsar Cœnobij Eremi Deiparæ in Helvetia Abbati titulum Sacri Romani Imperij Principis confirmat. Posteri Rudolphi fiunt ejusdem Cœnobij Advocati.

CAPUT XIV. pag. 457.

Albertus II. Dux Austriæ *Pius* & *Sapiens* in gubernando.

CAPUT XV. pag. 461.

Festum Corporis Christi donatur Indulgentijs à Clemente VI. Pietas Austriaca illius diei exemplis demonstratur.

CAPUT XVI. pag. 466.

Austriaci Principes Eucharistiam ad ægros delatam comitantur.

CAPUT XVII. pag. 477.

Austriacorum Principum Pietas in honoranda Sacro-sancta miraculosa Hostia Bruxellis. Solennis Processio à Philippo IV. per Hispaniam instituta.

CAPUT XVIII. pag. 479.
Auſtriacorum Principum æſtimatio Miſſæ.
CAPUT XIX. pag. 483.
Auſtriacorum Principum æſtimatio Sacerdotij.
CAPUT XX. pag. 487.
Miſcellanea de cultu Evchariſtico & Zelo Domûs Domini.
CAPUT XXI. pag. 491.
Heroidum Auſtriacarum Pietas in Evchariſtica ex præmiſſis titulis deducta.
CAPUT XXII. pag. 495.
Albertus Sapiens cum Carolo IV. Cæſare conſilia de pace & de nuptijs filij Rudolphi agitat. Mors Joannis Regis Bohemiæ, cui Mauſolæum ab Auſtriacis Principibus erigitur. Fundatio Cœnobij Neo-Pragæ pro Carmelitanis Patribus, quod hodie favore Regum Bohemiæ ex Auſtriaca Familia poſſident Patres Franciſcani Strictioris Obſervantiæ.
CAPUT XXIII. pag. 503.
Continuatio Beneficiorum & gratiarum ab Auguſtiſſima Domo Auſtriaca Fratribus Minoribus S. Franciſci Reformatis Provinciæ Bohemiæ datarum & conceſſarum.
CAPUT XXIV. pag. 509.
Ferdinandus II. Cæſar Carmelitis templum S. Galli Vetero-Pragæ adſcribit. Favor Leopoldi Cæſaris in hanc Religionem.
CAPVT XXV. pag. 514.
Cœnobium Slavorum Neo-Pragæ erigitur. Transfertur Auſtriaca liberalitate ad Patres Benedictinos Hiſpanos Strictioris Obſervantiæ.
CAPVT XXVI. pag. 526.
Origo & Fundatio Conventûs Viennenſis ſub titulo Beatiſſimæ Virginis Monſerratenſis.
CAPVT XXVII. pag. 528.
Conſecratio Eccleſiæ S. Auguſtini Viennæ. Alberti Ducis Auſtriæ zelus in extirpanda Secta Flagellantium. Mors Joannæ Conjugis ejuſdem Ducis Auſtriæ.
CAPUT XXVIII. pag. 532.
Alberti Sapientis cum Tigurinis bellum & memorabile factum occaſione civitatis Baſileenſis terræ motu concuſſæ; Studium in reædificanda Rapersvilla. Fundatio Cœnobij S. Thomæ Brunæ pro Eremitis S. Auguſtini.
CAPUT XXIX. pag. 534.
Alberti II. Ducis Auſtriæ pius obitus.
CAPUT XXX. pag. 538.
Elogium Alberti II. Ducis Auſtriæ.

PROOEMIUM
SEU
DISSERTATIO HISTORICA
DE ORIGINE ET PROGRESSU
Augustissimæ Domûs
HABSPURGO-AUSTRIACÆ.

Origo Gentis Habspurgo-Austr. investigatu difficilis propter vetustatē.

QUale Comitum Habspurgicorum fuerit initium, quisve Gentis primus Auctor, à quo Comitis titulo sit ornatus, difficile est aliquid certi statuere, nec nos cum Geneographis, (siquidem Scriptorem solùm Pietatis Habspurgo - Austriacæ agere constituimus) intendimus multis litigare. Unde igitur vera Nobilitatis Domûs Augustissimæ origo, respondeant illi, si possunt, qui ista examinant, & ea proferant, ut à nemine prudenter refutari & convinci possint. Nilus fluviorum maximus Symbolum est antiquissimæ nobilitatis, quòd, ùt fertur, caput abscondat; & vetustæ Nobilitatis documentum est nesciri, & cùm intermedia sciamus, originem ignorari. Hoc è multis probatissimis Scriptoribus ac vetustissimis archivis constat, diu ante tempora Rudolphi Comitis Habspurgi Cæsarísque hujus Stirpis & nominis primi fuisse non solùm Habspurgicos Comites inter Germanos illustres, sed præpotentes Dynastas: quod magno nùmero ædificata ditatáque ab ijs virorum fœminarúmque testantur Monasteria, Arces & Oppida. Favent asserto nostro, quæ paginâ 82. præterea 168. & sequentibus afferimus. Porrò qui de Origine Familiæ Habspurgo-Austriacæ operam ponendam censebant, eorum nomina Eruditionis amantissimus Joannes Ludovicus Schönleben libro cui titulus: *Dissertatio Polemica de Prima Origine Augustissimæ Domûs Habspurgo-Austriacæ*, in lucem dedit. Verùm nonnullorum opiniones arenæ ædificatæ pluribus visæ sunt, & idcirco ab ipsis quoque Austriacis Principibus, quia simul commentitiæ, damnatæ & exulare jussæ. Joannes Stabius Historicus & Poëta fertur à Noë & Chamo ejus filio auspicatus originem, quâ sententiâ intellectâ Maximilianus I. Cæsar teste

teste Joanne Cuspiniano, quem Lequile de rebus Austriacis p. I. fol. 103. allegat, fertur excanduisse, & in ejusmodi prorupisse verba: *Tu me ex Arca Noë deducis, & Stemmatis Originísque meæ Authorem tribuis Cham, qui pudenda patris detexit, quasi ex radice non bona possit produci stirps bona & fertilis: cùm tamen mala arbor nunquam bonum producat fructum.* Cúmque Stabius in præsentia multorum Aulicorum propugnare vellet suam sententiam, replicuit Maximilianus: *Caveas hanc ignominiam mihi & posteris meis inurere, qui mihi irascentur; & alijs exertâ linguâ me subsannabunt.* Ferdinando autem nominis hujus Imperatori secundo displicuisse opiniones illas, quæ nimiùm antiquam Familiam Habspurgo-Austriacam faciunt, patet, siquidem dixisse fertur: *Metuo ne cùm docti nimium rimantur nostrorum Majorum originem, aliquando perveniant ad opiliones.*

§. I.

Opinio demonstrans Habspurgicos Comites derivari ab antiquis Comitibus & Præfectis Vindonissæ Helvetiorum.

OPinioni huic signũ extulit Franciscus Guillimannus S. C. M. Rudolphi II. Consiliarius & Historiographus in opere, quod intitulavit *Habspurgica, sive de antiqua & vera origine Domûs Austriæ, &c.* ad Rudolphum II. Imperatorem, impresso Mediolani Anno 1605. Doctrina ejus in sequentibus consistit.

Docet I. Guillimannus: quantum ex veterum monimentis, ac literis fide dignis conjici potest, Genealogiam Habspurgicam petendam esse à veteri Helvetiæ nobilitate, primúmque hujus familiæ Comitem, de quo certò constet fuisse Ottobertum sub titulo Comitis Altenburgici: à quo reliqua series Altenburgicorum, & dein Habspurgicorum manavit.

II. Docet, Si inquiratur in majores Ottoberti, probabiliter ei patrem assignari posse Velibaldum, aut Theodibaldum Patritium, & Præfectum Vindonissæ in Helvetia. Extat quippe vetusta Inscriptio lapidi incisa, quæ consumptis vetustate primis literis Tibaldum vel Velibaldum Vindonissæ Præfectum testetur. *Guillim. l. 2.*
Unde ait: *Et propè animum induco, ut eum Theodibaldum, sive Veli- Habsp. c. 3.*
baldum esse credam, quem Aimo Ultrajuranum Patritium sub Ludovico II. Dagoberti filio, generis nobilitate, & divitijs sese extollentem facit, cui frater erat Amelbertus, sive Adelbertus trito genti Habspurgicæ vocabulo. Imò qui Ottoberti Elsatiæ, & Brisiacæ Langravij, quem tot auctores, tot sententijs, & contentionibus requirunt, potiùs genitorem credat; non

 aberret

Aimoinus l. 4. c. 39. & 40.

aberret à tempore, loco, antiqua Altenburgensium potentia, & mecum sentiat. Porrò Aimoinus, quem allegat, de Velibaldo, seu potiùs Willebaldo hæc habet: *Flaucatus* (is erat Præfectus Palatij, seu Major Domus in Burgundia sub Clodoveo Rege Anno 649.) *in Burgundiam transiens commissa sibi munia impigrè curabat. Cujus restitit conatibus Wilibaldus Ultrajuranus patritius, qui generis nobilitate, & opum affluentia sese extollens, despectui ducebat illi subjici, aut ejus parere præceptis.* Pergit deinde narrare dissimulationem Flaucati, donec Willebaldus evocatus ad aulam, opprimeretur, prout etiam non multò pòst à Flaucato occisus est: sed neque Flaucatus diù supervixit.

Guillim. cit. f. 42.

III. Docet, Habspurgicos Comites sanguine, & familiâ eosdem esse cum Altenburgicis, Altenburgicos cum Vindonissensibus, idque egregiè probat ex antiquis monimentis, & scripturis, præsertim quòd aliquando promiscuè usurpaverint titulos Altenburgensium, & Habspurgensium. Et quidem Rathbotus seu Radepoto, qui omnium consensu fuit Habspurgicus etiam Comes Vindonissæ est appellatus, ut ex obitûs Inscriptione ejus conjugis in Codice pergameno habetur: *X. Calendas Augusti obijt Itha Comitissa, Uxor Comitis Radepotonis, de Vindonissa.*

M. S. Einsidl. Cœnobij.

IV. Docet, Multò honorificentius esse Habspurgicis derivari ab Helvetijs, quàm à Perleonibus aut Francis, quorum opiniones priore libro refutaverat; utpote ab Helvetijs *gente olim armis virísque* (inquit Tacitus) *mox memoriâ nominis clarâ*; qui teste Julio Cæsare: *reliquos Gallos virtute præcederent.*

Lib. 1. Comment. de Bello Gall. Lib. 1.

V. Docet, Unde antecessores Velibaldi originem traxerint incertum esse. Divinare tamen quispiam posset non ineptè à veteribus Romanis, qui Vindonissæ ante Francos & Burgundiones dominati sunt. Verba ejus appono: *Quodsi eatenus denique Habspurgienses sive Vindonissenses Comites Roma oriundos Scriptores affirmant: quatenus Vindonissæ & Castri Vindonissensis Comites & Præfecti Romani fuère, sive à principio Romanorum Imperatorum eo in loco gubernatores, & ministri, non longè fortasse à vero recesserint, &c.* Hanc verò fuisse mentem Joannis Stumpfij ante Guillimannum, fatetur ipse Seifridus Pierleonista, & cum eo Lequile, his verbis: *Cæterùm Joannes Stumpfius etsi inficiari non possit Habspurgiorum Gentem à Romanis oriundam esse, nimis tamen altè petita eorundem tradit primordia, adeò ut non solùm veteres etiam Habspurgios, sed & omnes Altenburgicos Comites ab una eadémque stirpe Romana propagatos affirmet: quorum majores ex præsidiarijs militibus ad Vindonissam veterem Romanorum*

Guill. cit. l. 2. c. 2.

Seifrid. l. 1. c. 6. Lequile Tomo I. fol. 236.

norum Coloniam conſediſſe, arcémque Altenburgum extruxiſſe, *opinatur. Ejuſdem omnino opinionis eſt Franciſcus Guillimannus in ſuo Habſpurgiaco.*

VI. Docet Guillimannus probabilius tamen eſſe Vindoniſſenſes Comites ex antiqua Helvetiorum ſtirpe progenitos. Ità enim loquitur in ſua Helvetia: *Quidquid antiquæ dignitatis, & auctoritatis Vindoniſſæ fuit, Comites Altenburgenſes occupavêre, cùm caſtri Vindoniſſenſis Dominium ad ſe tranſtuliſſent: ædificatâque eo in loco novâ arce ſub antiquo caſtri titulo, quod Altenburg ideò nominârunt, Altenburgenſes ſeſe Comites, & Vindoniſſæ Dominos nuncupantes. Ipſi ex antiqua Helvetiorum ſtirpe, mox ſub Burgundis abolito Romanorum Imperio clari; tum verò ob virtutem Francis, qui Burgundiæ Reges extiterunt, in pretio habiti maximas opes ſibi comparârunt.* Hæc eſt totius opinionis iſtius ſubſtantia & ſola difficultas de Ottoberti parente, & alijs ejus Majoribus: cæterùm ab Ottoberto incipiendo, & in ejus ſucceſſoribus, ſicubi diſcordat ab Authoribus alijs Guillimannus, concordari poteſt.

Idem Guill. Helvet. lib. 1. c. 3.

Conſentire videtur Guillimanno Laurentius Beyerlinck, qui ab antiquis Helvetijs Habſpurgicos ortum habere affirmat.

Theatrum vitæ humanæ lit. H. fol. 109.

Ut probet ſuam opinionem Guillimannus proponit Inſcriptionem antiquam ex ruderibus Vindoniſſæ, quæ dicitur facta tempore Dagoberti Regis, extare in templo S. Martini, quam ex ipſo Guillimanno, & Pieſpordio hìc ad literam exprimimus.

Guillim. Habſpurg. l. 2. c. 3. fol. 43.

Probatio hujus ſententiæ.

✠ IN ONORE SCI
MARTINI ECPI
URSINOS EB
ESEVBET CO Io E
TIBALDUS ✠ LIN
CVLFVS FECIT.

Eandem inſcriptionem etiam produxit in Helvetia ſua idem Guillimannus, ſed aliter deſcriptam, nam prior eſt in Habſpurgiacis.

Idem Guill. in Helvet. lib. 1. c. 3.

En tibi alteram diverſam.

IN ONORE STI
MARTINI ECPI
VRSINVS EB
ELVPVS ET DE
TIBALDVS ✠ LIN
CVLFVS FECIT.

Vis ponitur in voce Tibaldus, quæ multum differt à Vilibaldus, & Willebaldus, quia tamen dicit esse extritas literas; suspicatur esse nomen Velibaldi aut Theodibaldi: qui junctis opibus cum Ursino Episcopo templum illud condiderit: & putat verosimile esse hunc Velibaldum fuisse patrem Ottoberti; adeóque ejusdem familiæ. *Cur enim Theodibaldum Comitem, cujus eâ inscriptione in ipsius Vindonissæ, nunc quidem vici D. Martini æde remansit memoria, non crediderim Ottoberti parentem, potiùs quàm aliunde, ut plerique alij, requiram, aut affingam? cùm tempora quibus vixit, loca quæ tenuit, potentia quâ præstitit, eandem sententiam reddant probabilissimam.* Et certè non videtur spernenda omninò hæc conjectura, consideratis illis circumstantijs, & supposito, quòd Ottobertus, in quo penè omnes consentiunt, latè extensas possessiones habuerit in Burgundia Transjurana hæreditate acquisitas, & quidem etiam Vindonissam tenuerit, vix enim credibile alium diversum à loci Domino templi principis structuram in se recepisse. Dein si vera est Genealogia veterum Comitum Salmensium, adhuc ante hunc Tibaldum, seu Theobaldum, seu Velibaldum fertur vixisse Ottobertus alius Comes Vindonissæ, dictus Habspurgicus anticipatâ nomenclaturâ apud Scriptores posterioris ævi, cujus filia Dorothea nupta Carolo Salmensi asseritur anno 588. vidua fuisse. Et probabile jam tunc etiam Ottobertum illum Vindonissensem fatis concessisse, cujus filius aut certè nepos esse potuit Theobaldus, & patris sui vel avi nomen filio imponere. Hæc conjectura est in defectu monimentorum aliorum, sanè non penitus rejicienda.

Guillim. Habsp. l. 3. c. 1.

Quodsi ex Guillimanno quæras, quis fuerit Tibaldi pater, qui majores? respondebit fuisse nobiles Helvetios antiquos. Sed quia hos eo tempore dominatos, aut opulentos fuisse, quando Romani rerum potiebantur, vix est credibile, dicet videri non malam conjecturam, quòd Tibaldi proximi progenitores fuerint omnino Helvetij, remotiores verò Romani Vindonissæ Præsides aut Præfecti. *Quod si eatenus* (inquit ille) *Habspurgienses sive Vindonissenses Comites Roma oriundos affirmant, quatenus Vindonissæ, & Castri Vindonissensis Comites, & Præfecti Romani fuêre, sive à principio Romanorum Imperatorum, eo in loco Gubernatores, & Ministri, non longè fortasse à vero recesserint. Et nisi fallor, ea Ulrici Krieg, & Alberti Argentinensis, & nonnullorum veterum, cum ità scriberent, neque Romanæ historiæ cognitionem aliam haberent, mens & opinio fuit.* Certè hæc non malè divinat Guillimannus, ac divinando firmat

Guillim. Habsp. l. 3. c. 2.

suam

ſuam opinionem, conceſſurus ultrò Pierleoniſtis, hanc opinionem, quòd Habſpurgici à Romanis orti ſint, traditam ab Argentinenſi, ab Ulrico Krieg, & fuiſſe traditionem tempore Rudolphi Imperatoris, ſed à talibus Romanis, qui ſæculo quarto, & quinto æræ Chriſtianæ pro Romanis Vindoniſſam gubernârunt, cum quo ſtare omninò poteſt, quòd reliqui ſæculo ſexto, & ſequentibus fuerint Helvetij Majores Habſpurgicorum, non autem, ut putat Schönleben, Pierleones.

Secundò probat ſuam opinionem, aut probare poteſt Guillimannus, quia non deſunt authores, qui ei ſubſcribant, ante Guillimannum Ulricus Krieg, ùt modo dictum, Albertus Argentinenſis, Joannes Stumpfius: poſt Guillimannum Joannes Piſtorius Nidanus, Martinus Zeilerus, qui etiam citat Caſparem Dornavium & Gaſparem Scioppium in Conſilio Regio, &c. Nec abhorret Didacus Lequile Pierleoniſta, qui ait: *La terza opinione appare aſſai probabile, reſtando ben dimoſtrata, e per ragioni, & per authorità, e per antichità, e per memorie quali legger ſi ponno appreſſo Guillimanno.*

Joann. Piſtorius in Chron. Conſtant. Martinus Zeilerus in Judic de hiſtoric. Dornavius in Panegyr. Rudolphi I. Imperat. Lequile in Panegyr. Ferdin. Caroli.

Tertiò probat Guillimannus, quia Ottobertus & ſucceſſores ejus uſi ſunt titulo Comitum de Vindoniſſa. De Ottoberto quidem non extat ullum ſcriptum, ſed de Anno 880. quo imperante Carolo Craſſo floruit Landolus, ſeu Landolohus ex poſteris Ottoberti Epiſcopus Darvienſis, ſeu ut alij volunt Trevirenſis, qui ſæpè ad S. Gallum divertebat Romam ſolitus proficiſci. De hoc teſtantur Eckerardus continuator Ratperti Monachus S. Galli: *Cujus Vindoniſſa cum multis alijs hæreditas erat.* De Radepotone, quòd hunc quoque titulum uſurpaverit, ſuprà diximus. Ex quibus non vana conjectura eſt, omninò Habſpurgicos ortum habere ab illo Theodibaldo, ſeu Velibaldo Vindoniſſæ præfecto nobili Helvetio, ſive jam majores ejus Helvetij indigenæ fuerint, ſive Romani primis ſeculis inquilini Helvetiæ.

Eckerard. in M.SS. de caſib. Monaſt. S. Galli. Guillim. Habſp. l. 2. c. 3.

Primum quod Guillimanno objicit Pieſpordius, eſt, quòd ipſemet Guillimannus fateatur *incertum eſſe, an is quem inſcriptio indicare vult Theodibaldus an Velibaldus legi poſſit, aut debeat.* Sed pro Guillimanno quiſpiam retorquere poteſt, etiam incertum eſſe, an primus author Habſpurgicorum ex Francis Regibus ortus ſtatui debeat Sigebertus vel Odobertus. Sine dubio conjectura per ſe certitudinem non habet; ſed veroſimile tamen eſt, quòd pro *Tibaldus* legendum ſit *Libaldus*, & eraſum ſit quod præcede-

Impugnatur hæc ſententia.

bat *Ve*, aut *Wil*, quod conjunctum superiori efficeret Velibaldus, aut Willibaldus; vel fortè fuit scriptum Theotibaldus.

Secundò objicitur, quòd inscriptio illa non prodat fuisse Comitem Vindonissæ. Verùm ex hoc non sequitur, quòd non fuerit; quia multi suos titulos omittunt brevitatis causâ, quod tamen non tollit illis tales titulos. Sic Imperatores in diplomatibus non subscribunt aliud, quàm solum nomen, *Ferdinandus*, *Leopoldus*: non tamen ex hoc sequitur, quòd non sint Imperatores.

Tertiò objicitur: quod Willibaldus ille Transjuranus non sit occisus Anno 644. ùt habet Guillimannus, sed anno quarto Regni Clodovei II. id est salutis nostræ 649. ut Aimo habet. Hæc quoque objectio vana est, quia Guillimannus annum reposuit in margine, & errore Typographi positum est D. C. XLIV. pro D. C. XLIX. numerus V. pro X. & plures alij errores irrepserunt in editionem Guillimanni, ùt apparet legentibus. Deinde quinquennium omissum non tollit narrationi probabilitatem, quia non desumitur argumentum ex anno certo, sed ex persona.

Quartò objicitur, ex ipso Guillimanno colligi Velibaldum illum non fuisse Dominum Vindonissæ, quia fatetur, quòd Childebertus II. Rex Austrasiæ, Burgundiam, & in ea Vindonissam per adoptionem Guntrami Regis patrui obtinuerit, & sedem Cathedralem inde Constantiam transtulerit Anno 597. quo facto ostendit se absolutum loci Dominum. Nec hoc vim habet; quia posset dicere Guillimannus 1. inter annum 597. & 644. intercedere 47. annos, intrà quos poterat illud Dominium acquirere Velibaldus. 2. Quando quispiam consequitur alicujus castri dominium, non eximit illud à supremo Dominio Principis: atque ità licèt Velibaldus esset proprietarius castri Dominus, semper tamen mansisset subjectus Regi Burgundiæ, sine cujus consensu Episcopatus transferri non potuit.

Hanc sententiam Guillimanni Schönleben judicat esse probabilem, testatúrque Authores non perfunctoriè sed diligenter ac magno cum judicio totam Habspurgicam Genealogiam conscripsisse. Illud hìc observandum: licèt plerique cum Guillimanno contendunt Habspurgi nomen post Radepotonem usurpari cœptum, eò quòd Radepoto reperiatur notatus cum titulo Comitis Vindonissæ; antiquiorem tamen fuisse nomenclaturam Habspurgi evincit Sepulchralis inscriptio Betzonis, seu Lancelini: Graff Betzo von Habspurg St. Maria bitt Gott für mich.

Si alicui opinio illa Guillimanni arridet, dabimus designatio-

tionem Stemmatis Altenburgo-Habſpurgici, ab Ottoberto Comite Vindoniſſæ, quem omnes agnoſcunt fuiſſe unum ex Majoribus Habſpurgicis, & cæteros gradus uſque ad Rudolphum I. Imperatorem, hâc præmiſſâ Prærogativâ Habſpurgo-Auſtriacorum, de qua præ omnibus mundi Principibus poſſunt gloriari, quòd à mille & ampliùs annis, incipiendo à præmemorato Ottoberto Altenburgi & Vindoniſſæ Comite tam in recta linea, quàm collateralibus nullus unquam Habſpurgi Comes vel Altenburgi, nullus Auſtriæ Dux vel Archi-Dux uſque ad hodiernos, qui quaternione conſtant, Leopoldum ſcilicet Auguſtum, Joſephum Romanorum Regem, Carolum II. Regem Catholicum & Carolum Archi-Ducem, notatus ſit defeciſſe à fide & Religione Catholica & orthodoxa. Addo verbis Alexandri Patritij: *In Hiſpania tot Monarchijs olim diſtracta nullus unus in omnibus omnino Regnis inventus fuit à primo Catholico Rege Recaredo uſque ad Philippum IV. qui ab avita Chriſtiana, Orthodoxa, Catholica fide deviaverit.* Profectò ſi fides Catholica admittit majus & minus, dicerem Reges Hiſpaniæ Auſtriacos non ſolùm Catholicos ſed Catholiciſſimos appellari debere, & hoc ſingulare prædicatum ad univerſam Auſtriacæ Domûs familiam, noſtróſque Germanos Principes jure meritò extendendum eſſe. Hæc prærogativa cum fundamentis Guillimanni pluribus perſuadet, præ multis alijs opinionibus, quæ ſunt de origine Comitum Habſpurgicorum, hanc opinionem Guillimanni eſſe amplectendam. Stemma autem Comitum Vindoniſſæ, Altenburgi & Habſpurgi, unde illa Prærogativa naſcitur, eſt ſequens.

Patritius in Marte-Gallico l. I. c. 27.

Stemma Comitum Vindoniſſæ, Altenburgi, & Habſpurgi.

Ottobertus I. Comes Vindoniſſæ, & Altenburgi, ob. circa an. 667.
Uxor Euphemia Comitiſſa Ruræmundana.

|

1. Babo Comes Altenburgi, & Habſpurgi, obijt circa An. 688.
Uxor N. Comitiſſa. |

2. Rotprechtus Comes Altenburgi, & Habſpurgi, obijt circa Annum. 724.
Uxor Ermentrudis filia N. Comitis Gempſij apud Allobroges,

|

3. Hettobertus vel Hettobrechtus Comes Altenburgi & Habſpurgi, obijt circa Annum 766.
Uxor N. filia Comitis ex Burgundia.

|

4. Rampertus Comes Altenburgi, & Habſpurgi, obijt circa Annum 814.

5. Guntramus I. Comes Habſpurgicus, obijt circa Annum 834.
Uxor N.

|

6. Luithardus Comes Habſpurgicus, obijt circa annum 892.
Uxor Bertha filia Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ.

|

7. Luitfridus Comes Habſpurgicus, obijt circa annum 905.
Uxor Bibrada Comitiſſa N. quæ obijt anno 925.

|

8. Hunifridus Comes Habſpurgicus, obijt circa annum 928.
Uxor Anaſtaſia Comitiſſa Ranſpergi in Suevia.

|

9. Guntramus II. Comes Habſpurgicus, obijt circa annum 946.
Uxor I. Adeltrudis Comitiſſa Brigantiæ. 2. Itha filia Adelberonis à Caluve.

|

10. Betzo vel Betzelinus, vel Cantzelinus Comes Habſpurgi. obijt anno 991.
Uxor Luitgardis filia Eberhardi Ducis Franconiæ.

|

11. Radepoto vel Rapoto Comes Habſpurgicus, obijt circa annum 1050.
Uxor Itha Ducisſa Lotharingiæ.

|

12. Wernerus I. Comes Habſpurgi. obijt circa annum 1096.
Uxor Regulinda Nellenburgica ſoror aut filia Burchardi Comitis.

|

13. Otto Comes Habſpurgi, obijt circa annum 1110.
Uxor Hylla Comitiſſa de Pfirdt.

|

14. Wernerus II. Comes Habſpurgi. obijt circa annum 1130.
Uxor Itha Comitiſſa de Homberg.

|

15. Wernerus III. Comes Habſpurgicus, obijt circa annum 1159.
Uxor Gertrudis Baroniſſa de Starkenberg.

|

16. Adelbertus I. Comes Habſpurgi, obijt circa annum 1199.
Uxor Itha filia Rudolphi Comitis de Pfullendorff.

|

17. Rudolphus Comes Habſpurgi, obijt anno 1232.
Uxor Agnes filia Godefridi Comitis ab Hochenſtaffen.

|

18. Albertus II. Comes Habſpurgi. obijt anno 1240.
Uxor Heilwigis Comitiſſa de Kiburg.

19. RUDOLPHUS HABSPURGICUS IMPERATOR.

Notandum hìc venit ex Lambecio lib. 2. Commentar. de bibliotheca Cæſarea Viennenſi p. 476. Habſpurgenſium Comitum duplicem eſſe familiam, nempe Antiquam, hoc eſt Vindoniſſenſem ſive Altenburgicam, & novam, hoc eſt, Aniciam Pierleoniam de qua jam dicturi ſumus.

§. II.

Opinio demonſtrans Habſpurgicos Comites derivari ab Anicijs Pierleonibus ſeu Petris Leonibus Romanis.

INter inclytas & præcipuas Romanorum Stirpes una eſt Aniciorum, antiquitate clariſſima, majeſtate eminens, potentiâ & opibus Urbi & Orbi notiſſima, ſtudio tuendæ Pontificiæ authoritatis & Eccleſiæ Romanæ libertatis celeberrima, &, ut paucis multa complectar, Sanctorum, Beatorum, Summorum Pontificum, Imperatorum, &c. fæcundiſſima parens. Unde quærit animosè Joannes Seifridus Abbas Zwethallenſis: *Quid habent vel habuêre cæteræ cognationes, qualeſcúnque tandem illæ ſint, ſingularis & præcipui, quod in Anicia florentiſſima familia deſiderari poſſit, aut quod non longè perfectiùs nobiliúſve in ea inveniatur?* Ex hac ſplendidiſſima ſtirpe ortos eſſe Majores Rudolphi I. Cæſaris multorum opinio eſt. Scripſit de illa fuſiſſimè Joannes Seifridus Abbas Claræ vallenſis, ſeu Zwethallenſis & Anno Domini 1612. *Arborem Aniciam* vulgavit. Didacus de Lequile Minorita Strictioris obſervantiæ Sereniſſimi Ferdinandi Caroli Archi-Ducis Auſtriæ Theologus, Concionator & Hiſtoriographus Aulicus in gemino opere eandem opinionem magnis conatibus propugnat. Ante hos de hac ipſa opinione complures Germani & Itali ſcripſêre, quorum ſeriem refert Schönleben citato opere Prolegom. P. I. C. 6. §. II. pag. 24. Noviſſimè verò illuſtravit Petrus Lambecius S. C. M. Conſiliarius, Bibliothecarius Aulicus ac Hiſtoriographus; cujus ſententiam ſequitur ejuſdem in Præfectura Bibliothecæ ſucceſſor Illuſtris Daniel de Neſſel S. C. M. Conſiliarius: quibus de Bibliotheca Cæſarea, nec non *Re Literaria* meritiſſimis Viris multum Eruditus orbis debet. Porrò cum Lambecij rationes pro hac ſententia ſuccum quendam totius controverſiæ negotij contineant, judicâmus ipſa verba Eruditiſſimi Viri hìc referre. Id tamen priúſquam fiat, Membranas quaſdam Veteres, præterea Conjecturas & Congruentias, pro ſtabilienda magìs hac opinione, afferre neceſſarium videtur.

Membranæ Veteres.

SEifridus & Lequile producunt fragmentum Inſtrumenti, quod ex Cœnobio Marisſtella Ordinis Ciſtercienſis, vulgò Wettingen exſcripſit Joannes Stumphius, & quo probant Rudolphum Imperatorem Habſpurgicum propriâ confeſſione agnoſcere ſe in Germania plures majores non habuiſſe, quàm Albertum patrem, Rudolphum avum, Albertum proavum. Inſtrumenti principium hoc eſt.

Comites de Habisburch, videlicet Rudolphus Landgravius Alſatiæ, Rudolphus Canonicus Eccleſiæ Baſileenſis, Gotfridus, & Eberhardus fratres, ejuſdem Landgravij patrueles, univerſis, &c. Noverint igitur, quos nôſſe fuerit opportunum, &c. quidquid juris habemus in prædictis univerſis & ſingulis bonis, & hominibus, tam nos, quàm bonæ recordationis progenitores noſtri, Comites videlicet Albertus mihi Landgravio pater, nobis tribus fratribus patruus, Rudolphus avus, Albertus proavus, ratione proprietatis vel infeudationis ab imperio uſque in præſentiarum, &c. data Anno Domini 1259. 16. Cal. Novemb. Indict. 3. Alexandro Papa IV. Romanam Eccleſiam gubernante.

Joan. Seifrid. Arb. l. 1. c. 11.

Ex hujus Inſtrumenti modò relato fragmento talem conficere vult probationem Seifridus: *Dum Rudolphus ac patruelis ejus tam curatè genus ſuum repetunt, & non altiùs, quàm à proavo; manifeſtè inſinuâſſe videntur, ſe plures ac vetuſtiores progenitores, qui Comites Habſpurgij fuiſſent, &c. in illis partibus non habuiſſe.*

M. SS. S. Crucis Monaſt. Ciſterc.

II. Alterum ex membranis argumentum promit idem Seifridus ex M. S. quodam Monaſterij S. Crucis in Auſtria, ex quo etiam Cuſpinianus multa extraxit, & ſuis operibus inſeruit. Narratur illic Legatio Henrici Burggravij Norimbergenſis ad Ottocarum Regem Bohemiæ, quâ nomine Imperij Provincias Auſtriacas ab Ottocaro occupatas repetebat. Inter alia referuntur hæc verba Ottocari: *Non decrevimus tam facilè reddere, quæ arcu & gladio noſtro tam ſudorosè conquiſivimus, vel quæ ad nos conſanguinitatis & affinitatis tramite manaverunt.* Deinde pergit M. S. illud narrativè de Ottocaro: adjiciens, *ſe non modicùm mirari, quòd Proceres Regni, omiſſis potentioribus, tam exilem Comitem ad Regni faſtigium extulerunt.* Ad hæc reſpondit Burggravius: *Expedire vobis crederem, ut depoſito elationis faſtu Romano vos Principi ſubderetis, cui neceſſè erit ſpiritum præſumptionis veſtræ retundere, eo quòd Imperium contempſiſtis, & ad Conſiſtoria Principum non veniſtis, ſed & oblatum vobis Regnum poſtergâſtis; ſufficientem vos habere gloriam reſpondiſtis. Scitis quòd*

Excel-

Excelsus potestatem habet in Regno hominum, & cui voluerit, dabit illud, &c. Genus & proavos strepitis? omne genus hominum in terra simili surgit ab ortu. Cui enim Deus auctor spectabilis, nullus degener extat. Ex his tale conficit argumentum Seifridus: Ottocarus objicit Rudolpho mediocritatem generis, & Burggravius tacitè illam fatetur, cum ait omne hominum genus simili ab ortu surgere, quod non dixisset, si Rudolphus cum Ducibus Zaringiæ, qui à veteribus Habspurgicis fluxerant, communem sanguinem habuisset: igitur ipse Burggravius insinuat familiam Rudolphi recentiorem fuisse, adeóque advenam ex Pierleonibus Romanis. Idem etiam asserit Lequile.

III. Rursum ex Epistolis Rudolphi Imperatoris aliud simile argumentum affert Seifridus, quas ait extare in Monasterio SS. Crucis Cistercienfium. Ait verò hunc sensum de seipso habuisse Rudolphum, quòd ex mediocri genere ortum habuerit. Et quidem in Epistola 53. quam fertur scripsisse Rudolphus ad Abbates Ordinis Cisterciensis in Capitulo Generali congregatos, ubi ait: *Attendentes quòd manus Altissimi, de tam humilis loci tugurio, ad tam celsa tam fastigiosa palatia nos provexit.* Et in alia Epistola, quæ est 130. data ad Gregorium Papam X. dicit idem Rudolphus: *O mira paternæ clementia pietatis, quæ non est dedignata nobis, à primis nostræ creationis nascentibus exordijs compassionis exhibere mamillam, ubera lacteis irrorata liquoribus porrigere, reddentia grave pignus amoris! O ineffabilis gratitudo favoris, & stupenda dilectionis affectio, quæ nos pridem in regno tenellos, in ulnis educationis delitiosè suscipiens fovit inter puberes & adultos!* Ex his cum Seifrido argumentatur Lequile, quòd Rudolphus profiteatur se tenellum, & velut infantem: id verò non videtur posse intelligi de ætate, quia dum electus est Imperator, maturus erat, & pater plurium filiorum: sed debet intelligi de comparatione cum alijs Principibus, qui pollebant antiqua nobilitate, respectu quorum ipse in Germania novellus erat.

Seifrid. citatus f. 67.

Idē fol. 68.

IV. Denique adducitur etiam quædam Epistola Pisanæ Civitatis ad Rudolphum num. 59. Italicè scripta, in qua Pisani revocant in memoriam Rudolpho innatam benevolentiam erga Italos, quasi innuerent ejus progenitores ex Italia oriundos fuisse. Sic verò habet Epistola:

Leges asserunt, usus approbat, antiquitas protestatur, quòd Romano Principi, ut de cæteris taceam, Tuscorum Regio serviat sub tributo. Hac igitur consideratione fretus unus pro multis, solus pro pluribus vobis loquor,

Seifrid. cit. fol. 69. M. S. Monast. S. Crucis.

quor, &c. Ecce Provincia Tuſciæ, quæ ſui propinquitate ad Romani Imperij piam ſedem tanquam principale membrum ſuo deberet capiti familiariùs reſpondere, jacet in numeroſitate ſchiſmatum lacerata bellis, &c. Guelfus perſequitur Gibelinum, filij fiunt exules, & in exilium ſede digni exilio exulantur. Luget Piſana Civitas inimicorum hoſtili gladio ſummi Pontificis ac Regij culminis vulnerata. Ad cujus protectionem tanto teneri creditur Regia celſitudo, & ad repulſionem ejus gravaminis ardentiùs anhelare, quanto à ſuis progenitoribus ipſi Celſitudini inhæſit. Addit de ſuo Seifridus: Hìc lacuna eſt, ſed ex ſequentibus apparet à patriæ avitæ charitate duci argumentum. Sequitur in Epiſtola: *puritate fidei firmioris & amplioris eſt ipſa gratiæ privilegio ſublimata. Ad celeritatem igitur adventûs altitudo Regia excitetur, imitanda favoribus gentilium non paucorum, & brachijs Apoſtolici numinis amplectenda, ne ob adventûs tarditatem nos ulteriùs irrideant inimici.*

Forſitan olim complures ad propoſitum hoc membranæ veteres extabant, quarum hodie nullum uſquam veſtigium invenitur, poſtquàm ſcilicet agricolarum, &c. tumultibus benè magnam Germaniæ partem turbari, multáque Monaſteria & Arces cum Bibliothecis, & tabularijs ſuis expilari, cremari, funditúſque everti contigit. Conſtat etiam, quòd Typo invento exigua cura haberi cœperit M. Scriptorum, præſertim hoc ſæculo apud quoſdam imperitos, qui rati jam omnia eſſe Typis ſubjecta, plurimas M. SS. lucubrationes abſumpſerunt, & peſſumdederunt, membranas pro librorum compacturis applicuerunt, uti etiamnum fit. Eruditiſſimus Schönleben memorat ante plures annos ſibi recenſuiſſe D. Guilielmum Mannagettam Cæſareum Proto-medicum, virum inſignis literaturæ fuiſſe ejus tempore quendam Bibliothecarium Aulicum Viennæ, qui partem unam, vel fortè librum Decadis ſecundæ T. Livij, quæ deſideratur, in Bibliotheca Cæſarea repertam, & in membrana conſcriptam, (ratus jam haberi impreſſam) tradiderit Bibliopego ad compingendos varios libros. Nec niſi poſteaquam jam omnes illi libri diſtracti erant, & Bibliothecarius obiêrat, animadverſum, quòd tanto theſauro, per ſummam hominis ignorantiam & avaritiam, fraudata fuiſſet Cæſarea Bibliotheca. Quid quod ego (verba ſunt Schönleben) viderim compacturas ex membranaceis operibus D. Thomæ, quæ hodie docti viri ſtudioſiſſimè inquirunt, ut cum recentibus editionibus conferant, videántque corruptelas, quæ ſenſim per varias editiones irrepſerunt. Scio etiam (ejuſdem Schönleben verba recito) & novi hominè Religioſum, qui è Monaſte-

Schönleben Prolegomeni Parte I. C. IX. pag. 109.

nasterij Bibliotheca, cujus curam habuit, complures libros membranaceos vendidit Bibliopegis, non discernens habeanturne impressi vel secus, & interrogatus cur id faceret: non respondit aliud, quàm: non ampliùs leguntur M. S. quia habentur sufficientes impressi; dignus certè, qui potiùs ad everrendam culinam, quàm custodiendam Bibliothecam amandaretur. Hæc adducere visum est, ut illi qui M.SS. abundant, ea meliùs custodiant & æstimare discant. Sanè si quid rari in hac prima parte Annalium Pietatis Austriacæ reperitur, potissimùm M. SS. Bibliothecæ Cæsareæ Viennensis & aliarum adscribi debet.

Conjecturæ & Congruentiæ.

PRimum Argumentum Lequile desumit ex consensu Scriptorum, qui à temporibus Rudolphi I. Imperatoris usque ad tempora Maximiliani I. scripserunt, priusquàm inventa fuisset opinio deducens Habspurgicos à Francis Regibus. *Lequile in Paneg. Ferd. Archiduc.*

Secundum argumentum ex approbatione ipsorummet Austriacorum Principum, qui se ab Italis ortos gloriati sunt, & opinionem Pierleonistarum laudârunt. *Inter hos Principes Austriacorum parens* (ait Lequile) *qui Arbori Habspurgiæ Austriacæ culmen Imperatorium penè hæreditariò propter hæreditariam pietatem inseruit, Rudolphus Habspurgius primus hujus nominis Imperator in suis Epistolis, ubi suprà, non solùm hanc sententiam approbavit, verùm etiam palàm toti terrarum orbi fecit meliùs, quàm quilibet alius Historicus, & clariùs, qui ex proposito de ejus origine scripsit.* Intelligit verò hic Epistolas Rudolphi suprà relatas.

Maximilianus I. referente Paulo Jovio asseverare solebat Austriacæ Domûs nobilitatem Romani sanguinis stirpem respicere, deducto stemmate à Pierleonum familia.

Carolus V. de quo Lucas Contilis tradit, Romæ existens inquisivit, an adhuc aliquæ reliquiæ familiæ Pierleoniæ in urbe extarent; ubi illi exhibita est ex eadem stirpe oriunda superstes venerabilis valdè persona.

Sigismundus Archi-Dux Tyrolensium Princeps, ut testatur Henricus Gundelfingensis, ejusdem sententiæ fuit cum Carolo V.

Matthias Imperator approbavit opus Joannis Seifridi de origine Habspurgica ex Pierleonibus, ut loquitur Lequileus.

Ferdinando II. Imperatori idem placuisse putat Lequileus, quia idem Seifridus illi dedicavit Librum III. sui operis.

Philippum III. Regem Catholicum in eandem sententiam

proclivem arbitratur idem Lequile, quia Seifridus illi suum Librum II. dedicavit. Imò etiam quia Comiti de Olivares specialiter commendavit Cornelium Vitignanum Nobilem Neapolitanum ob conscriptam Genealogiam Austriacam, quam à Pierleonibus deduxit.

Tertium argumentum promunt ex ingenua confessione errorum, quos in referendis circumstantijs loci, temporis, personarum commiserunt aliqui Pierleonistæ præsertim Itali Germaniæ locorum ignari: interim opinionis substantiæ nihil per hoc detractum putant, quia omnes in eo conveniunt, quòd Habspurgicos à Pierleonibus derivent.

Quartum argumentum desumitur, ex honestate & splendore Pierleonij sanguinis, simul & antiquitate, quibus Pierleones longè antecedere censentur alias familias. Huic argumento impendit Seifridus totum suum librum II. & III. Inscriptio libri secundi sic habet: Liber II. in quo Anicianæ prosapiæ planè singularibus, & omnino admirabilibus laudibus, prærogativis & ornamentis compendio descriptis radix & antiquitas pervestigatur.

Scutum Habspurgicorum.

Addit pro hac sententia Schönleben (quàmvis ipse contrariam sequatur) argumentũ desumptum ex Scuto gentilitio Pierleonum, aliquatenus simili Scuto Habspurgicorum. Pierleones usurpârunt duos aureos leones in campo rubeo invicem obversos & erectos, Habspurgici verò in campo aureo leonem rubeum ut habent Lazius & Guillimannus. Seifridus refert Frangipanes Venetos mutato colore prætulisse in parmula leones aureos in campo cæruleo: & Arnoldus Wion apud Guillimannum similiter existimat usitatum fuisse, Habspurgicis leonem aureum in umbone cæruleo, quæ sanè Pierleonistarum opinioni magnum pondus conciliant.

Jam ad Lambecij rationes & quidquid demum in favorem Pierleonistarum scripsit gradum facimus.

Edidit Lambecius An. 1669. librum secundum Cæsareæ Bibliothecæ, cui inseruit Epitomen Henrici Gundelfingensis Curati Friburgensis judicans, ut ea quæ de origine Comitum Habspurgicorum scripsit, imprimerentur. Inscripsit porrò opus suum Henricus Gundelfingensis Sigismundo Archi-Duci Austriæ, qui Comitatum Tyrolensem possedit, in quo pro hac sententia sequentia refert. *Secundum*, inquit, *Epitoma* Illustrium Comitum (a) Aventinorum tuo ingenio, Præcelse (b) Princeps, relinquo

(a) Hoc est Principum Habspurgo-Austriacorum, qui à Comitibus Aventinis Familiæ Aniciæ Pierleoniæ oriundi sunt. (b) Intelligitur Archi-Dux Austriæ Sigismundus I.

quo, qui tui Originem (c) tuorúmque Prædecessorum gesta, ac magnalia prioribus ex Chronographis (d) meliùs novisti. Eapropter eorum scribendo magnalia manum retraho: cùm omnibus in Historijs non exiguâ cum operâ, vigilantiâ ac lucubratione delucidata ac deprompta sint. Eorum tamen successioné brevibus incultísque explicabo verbis. Relegatis (e) ac deportatis ob potentis Senatoris trucidationem olim duobus fratribus præclaræ Romanorum Familiæ Petri Leonis dictæ de Aventino monte à Julij Cæsaris, valentissimi omnium Principis, qui in vigore animi non habuit parem nec ante se nec post se, Familia descendentibus, ipsísque ad Alpium jura venientibus, ubi nunc *Castrum* (f) *Habspurg* Lucernensem circa Lacum collocatum cernitur, Senior adeptus est prædia & possessiones, Junior autem ingentia vasallorum dominia; de quibus posteri descenderunt Comites. Hucúsque principium secundæ Partis Chronici Austriaci Henrici Gundelfingij. Ubi præter ea, quæ extra textum apposita sunt, primò notandum est, quàmvis ea, quæ in præcedenti Parte primâ de primo Marchione Austriæ Abrahamo, ejusque successoribus usque ad Familiam Babenbergensen narrantur, sine ullo dubio falsa sint, propterea tamen totum illud Chronicon non esse aspernendum & rejiciendum, nec demendam esse fidem ijs rebus, quæ in eodem veræ sunt, cùm sub finem jam memoratæ Partis primæ, ubi agitur de Marchionibus & Ducibus Austriæ ex Familiâ Babenbergensi, tùm præcipuè in duabus Partibus sequentibus, ubi recensetur Principum Austriacorum ex Familiâ Habspurgensi oriundorum successio ab Imp. Rudolfo I. usque ad Archi-Ducem Sigismundum I. eorúmque origo rectè derivatur à Comitibus Aventinis familiæ Aniciæ Pierleoniæ, quæ apud Romanos olim celeberrima potentissimáque fuit, & in monte Aventino sedem suam ac domicilium habuit. Notandum secundò est Henricum Gundelfingium testari, se illam Principum Habspurgo-Austriacorum Originem hausisse ex alijs prioribus, hoc est, vetustioribus Chronographis, eámque Sigismundo Archi-Duci meliùs magís-

(c) Aniciam (d) Hoc est vetustioribus, nempe Ulrico Krigio, Alberto Argentinensi & alijs. (e) per relegationem & deportationem non est hic intelligenda interdictio Urbis per legitimam sententiam judicialem, sed injusta ex Urbe expulsio per vim & tumultum propter defensionem *Ecclesiæ* Romanæ contra Hæresiarcham Arnaldum de Brixia ejusque Sectatores, summo Pontifici in Urbe Roma rebellantes. (f) Nunc pro *etiam nunc* Castrum hoc fuit multò ante conditum, quàm duo fratres Anicij Pierleonij Româ transmigrârunt in Helvetiam. Horum autem Junior, nempe Albertus, cognomine Dives, nactus est ejusdem Castri possessionem per matrimonium cum filia Werneri ultimi Comitis Altenburgensis & Habspurgensis, cujus obitu & masculæ prolis defectu defiêrat. Idem testatur Albertus Argentinensis, dum ait ex duobus istis fratribus, videlicet Anicijs Pierleonijs, omnes de Habspurg postea processisse.

que fuiſſe cognitam, quàm ut ullâ indigeret probatione vel ullo elogio. Per priores autem illos Chronographos intelliguntur ibi cùm alij plures, tùm inprimis Ulricus Krigius Nobilis Tigurinus, cujus Chronicon, tempore Imp. Rudolfi I. compoſitum, ſed hactenùs beneficio typographiæ nondum divulgatum citatur à Joanne Stumpffio Hiſtoriæ Helveticæ libro ſeptimo, capite duodecimo, & Magiſter Albertus Argentinenſis, qui à temporibus Imp. Rudolfi I. uſque ad mortem Caroli IV. ſive annum 1378. bonæ fidei condidit Chronicon, quod Joannes Cuſpinianus in Auſtriâ ſuâ ſæpe citat & Chriſtianus Urſtiſius Baſileenſis in Syntagmate Illuſtrium Hiſtoricorum Germaniæ, Francofurti typis Andreæ Wecheli An. 1585. edito in folio, primus integrum edidit. Et quod quidem ad priorem illum Ulricum Krigium attinet, concludit Joannes Stumffius ſuprà citatum locum, ubi Chronici ejus meminit, his verbis: Dieſer Ulrich Krieg iſt der älteſte Geſchichtſchreiber / den wir finden / der gründlich und deutlich anzeigt / der Herren von Habſpurg Herkommen ſey von altem Römiſchen Geſchlecht / ꝛc. So nun dieſer Hiſtorienſchreiber bey König Rudolphi Zeiten ſelbſt gelebt / hat es ein gar grundlich gut Anſehen / daß man damals ſolche oberzehlte Meinung vom Herkommen bemeldter Grafen für grundlich warhafftig gehalten / und von keiner andern Meynung gewuſt habe: hoc eſt: Hic Ulricus Krigius eſt antiquiſſimus Hiſtoricus, quem invenimus ſolidè & perſpicuè indicare, Dominos de Habſpurg oriundos eſſe ab antiquâ Romanâ Gente, &c. Siquidem igitur hic Hiſtoriographus temporibus Regis Rudolfi ipſe vixit, ſolidiſſimè rectiſſiméque hinc videtur poſſe colligi, ſuprà memoratam de Origine Comitum Habſpurgenſium opinionem tunc temporis pro ſolidè vera habitam eſſe, nec ullam aliam fuiſſe cognitam. Hæc Stumffius de Ulrico Krigio. Quod autem ad Albertum Argentinenſem attinet, ejus verba ad rem præſentem maximè facientia, in principio ſuprà laudati Chronici ſunt hæc: Rudolfus Comes de Habſpurg ex antiquis progenitoribus ab Urbe Roma traxit originem. Olim námque duobus fratribus propter potentis Romani occiſionem eliminatis ab Urbe, Pater eorum nobilior Romanus, dans cuilibet eorum immenſam pecuniam, ipſos juſſit in partes abire remotas. Qui ſe in ſuperiori Alemanniâ receperunt. Antiquior autem ad emptionem prædiorum & munitionum, junior verò ad habendam vaſallorum multitudinem contendebat. Patre autem in Urbe exiſtente, poſt aliquot annos cùm intellexiſſet, filios cum pace ſtare in Alemanniâ, ipſos viſitabat. Et cùm vidiſſet ſenioris empta prædia, ejus prudentiam nimiùm commendavit. Requirens autem à Juniore quid cum ſuâ

suâ substantiâ egerit, ille se omnem in unam munitionem fortissimam collocâsse respondit; &, jussis omnibus vasallis suis, cum eorum liberis masculis optimè armatis ad munitionem pertinentibus, & ab eo infeudatis, venire ad montem, ubi Castrum Habspurg est collocatum, illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem, quos & omnes eorum posteros masculini sexûs suos & posteritatis suæ fideles vasallos illis confitentibus patri probavit. Quo viso, pater in illius animosa Nobilitate gavisus, reversus ad Urbem, magnum thesaurum destinavit eidem. Ex quibus duobus fratribus omnes de Habespurg postea processerunt. Hucusque Albertus Argentinensis. Quem locum si quis cum altero illo suprà citato Henrici Gundelfingij loco conferre velit, & simul utriusque veram interpretationem, uberiorémque ac solidiorem confirmationem desideret, is consulat Reverendissimi Doctissimíque Viri Joannis Seifridi Wratislaviensis Zwethallensis olim in Austria Abbatis, eruditissimum de Genealogiâ Habspurgo-Austriacâ Opus; quod ARBOR ANICIANA inscribitur, omniáque ejus argumenti scripta, quotquot hactenus in lucem prodiêrunt, solidâ veritatis demonstratione superat. Notandum tertiò est, causam, cur jam memorata vetus & vera traditio de Origine Augustissimæ Domûs Habspurgo-Austriacæ temporibus Imp. Maximiliani I. & deinceps à varijs recentioribus Scriptoribus sit improbata, & per novas quasdam ac falsas opiniones, quantum fieri potuit, suppressa & conculcata, esse duplicem, nempe Ignorantiam recti & Adulationem. Si enim Joanni Stabio, Jacobo Manlio, Joanni Trithemio, Hieronymo Gebuillero, Wolfgango Lazio & cæteris, qui Gallicanam Augustissimæ Domûs Habspurgo-Austriacæ Originem falsam & anteà inauditam confinxerunt & propagârunt, dignitas Aniciæ Gentis & Familiæ Pierleoniæ, tùm quoque vera causa exilij duorum fratrum Pierleoniorum & commigrationis in Germaniam fuisset cognita, minimè dubium est, quin à novo illo suo & adulatorio commento, tanquam non solum non necessario, verùm etiam injurioso abstinuissent. Minimè igitur audiendus est Wolfgangus Lazius, imò severa castigatione dignus est, dum capite primo libri primi Commentariorum in Genealogiam Austriacam contra vetustissimam de Principum Habspurgo-Austriacorum Origine Romanâ, inprimis à Petro Leonis, Romano exule, *HOMINE MALI EXEMPLI*, & qui posteriùs sub primo ejus nomine Friderico Imperatore *ob seditionem* pulsus erat, tam splendidæ Domûs initia derivare voluit. Hæc

Lazius non minùs falsò, quàm injuriosè. Nám nec ipſe Petrus Leonis fuit pulſus Urbe Româ, ſed ejus nepotes ex filio Leone Maximo Rudolfus & Albertus; nec expulſio illa contigit ſub Imp. Friderico I. ſive Barbaroſſa, qui An. 1152. cœpit imperare, ſed An. 1144. ſub Imp. Conrado III. nec expulſi fuerunt duo fratres illi ob ſeditionem tanquam homines mali exempli, ſed propter defenſionem Eccleſiæ Romanæ tanquam æternâ laude digni antagoniſtæ Hæreticorum Arnaldiſtarum: ut videre eſt ex ipſorum Arnaldiſtarum Epiſtola, An. 1144. ad Imperatorem Conradum III. ſcripta, quæ etiam nunc extat apud Ottonem Epiſcopum Friſingenſem de rebus geſtis Imp. Friderici I. Libri primi capite vigeſimo octavo. Conſulendus etiam eſt Abbas Joannes Seifridus Arboris Anicianæ lib. 1. cap. 9. ubi non minùs verè & doctè quàm prolixè incorruptis monumentis antiquis demonſtrat, quam ob cauſam duo fratres Pierleonij patrium ſolum vitare coacti ſint, totámque illam de Familiæ Pierleoniæ potentiâ in Urbe Româ & fideliſſima defenſione Sedis Apoſtolicæ diſſertationem tandem concludit hoc lectu digniſſimo epilogo: Conſtat igitur ipſorum teſtificatione Arnaldiſtarum Romanorum, cauſam exilij Pierleonum eam duntaxat fuiſſe, quòd non eodem, quo illi Arnaldi errore depravati, eâdem pariter amentiâ & furore affluentiam bonorum Clericis & Monachis inviderint, ſacra Pontifici vectigalia eripuerint, Eccleſiæ immunitatem & Pontificiam auctoritatem infregerint; ſed quòd pro tuendâ Eccleſiaſticâ auctoritate ſe ijſdem murum oppoſuerint, pro Pontifice arma ceperint, nefarios eorundem impetus ac vim repreſſerint, ac denique, quod M. Albertus Argentinenſis ſcriptis prodidit in hoc laudatiſſimo conatu Civem præpotentem, ſed adverſæ factionis & hoſtem Eccleſiæ interemerint. Mutuâ enim cæde tunc in alterutram partem ſævitum eſſe, ſatìs indicat Epiſtola D. Bernardi, quam contra eoſdem Romanos Arnaldi alumnos ſtylo ferreo valdè acuto exaravit; in quâ inter cætera hæc ait: *Væ nunc tibi Popule miſerande, non ab exteris nationibus, non à feritate Barbarorum, non à millibus armatorum; væ tantum à facie tuorum: tibi væ à domeſticis & amicis, à clade inteſtina, à cruciatu præcordiorum, à tortionibus viſcerum.* Hæc S. Bernardus. Itaque etſi, cujus illa cædes fuerit, nihil certum & expreſſum ad poſteros transmiſſum ſit, illud tamen ex dictis liquet, eam factam eſſe non niſi ex flagrantiſſimo juſtitiæ ardore pro defendendâ Eccleſiæ immunitate, & tuenda Chriſti in terris Vicarij authoritate. Unde ſummus ille ac juſtiſſimus rerum omnium

nium arbiter Deus, qui utì nihil mali inultum & impunitum dimittit, ita etiam rectè factis merita præmia persolvit, quemadmodum zelum & factum Phinees, quo impurissimum hominis Israëlitæ flagitium vindicavit, adeò gratum habuit, ut non solùm omnem conceptam, in populum prævaricatorem, iram ex animo deposuerit, sed etiam, ut Regius ait Psaltes, illi hoc reputatum sit ad justitiam in generatione & generationem; itaque idem horum Pierleonum fratrum ferventissimo erga suam Ecclesiam, & ejus Summum Pontificem studio delectatus, non modò post paucos annos illam omnem urbanam rebellionem extinxit, Pontificémque Sedi suæ ac Urbi maximo omnium applausu restituit, verùm etiam dictos fratres, quia in causa Ecclesiæ patria extorres facti fuerant, & ingentibus opibus, possessionibúsque locupletavit, & ejus præclarissimæ Familiæ dedit esse authores, quæ postmodùm summâ Imperij dignitate, quâ prioribus temporibus condecorata fuerat, iterum exornata, murum se pro Ecclesia protegenda contra ejus quoscunque hostes viriliter opponeret. Unde, ùt vides Lector, moderni Augustissimæ Austriæ Domûs Principes zelum hunc atque studium erga Sacro-sanctam Sedem Apostolicam à Majoribus suis quasi hæreditarium acceperunt, & cum ipso veluti nutricis lacte mente totâ penitùs combiberunt, meritóque nefandissimam hominum pestem, quæ maximè aulas Principum obsidere solet, modernos POLITICOS dico, hominis pestilentissimi Arnaldi de Brixiâ sobolem & alumnos, odiô avitô & innatô prosequuntur; siquidem par est, ut quam Illustrium Majorum suorum vestigijs signatam atque impressam intuentur viam, toto pectore omníque animi contentione consectentur. Hucúsque Abbas Joannes Seifridus, unde licèt satìs supérque pateat, quàm sit impudens mendacium, quod Latius scribit, Petrum Leonis tanquam hominem mali exempli temporibus Imperatoris Friderici I. ob seditionem Româ pulsum esse; addam tamen auctarij loco tria antiqua Epitaphia in perpetuum honorem ac memoriam Patris, Avi & Proavi duorum illorum fratrum Pierleoniorum, qui propter strenuam Ecclesiæ Romanæ defensionem ab adversarijs hæreticis Urbe pulsi, commigrârunt in Helvetiam, & Familiæ Vindonissensi sive Altenburgicæ in possessione Castri Habspurgi & Habspurgensi Comitatu jure Connubiali successerunt. Horum Epitaphiorum primum est Proavi duorum illorum fratrum, Tritavi autem Imp. Rudolfi I. quod Card. Baronius Annalium Ec-

 clesia-

clesiasticorum Tomo duodecimo in actis anni M.C.XI. ex Codice M. S. Bibliothecæ Cassnensis exhibet hoc modo.

Leonis Romanorum Nobilissimi Epitaphium, scriptum ab Alphano Archi-Episcopo Salernitano.

HOc jacet in tumulo Leo, vir per cuncta fidelis
Sedis Apostolicæ tempore quo viguit,
Romæ natus, opum dives, probus & satìs alto
Sanguine materno nobilitatus erat.
Prudens & sapiens, & Cælo pænè sub omni
Agnitus, & celebris semper in urbe manens.
Virgo ter senis fuerat cum sole diebus,
Quando suum vitæ finiêrat spatium.

Hucúsque Epitaphium Leonis Anicij Pierleonij, qui Imp. Rudolfi I. fuit Tritavus. Secundum Epitaphium est Avi eorundem duorum fratrum Pierleoniorum, Atavi autem Imp. Rudolfi I. quod etiam nunc extat Romæ in atrio Basilicæ S. Pauli in Viâ Ostiensi, & à Card. Baronio Annal. Ecclesiast. Tomo XII. in actis anni 1144. nec non ab Arnoldo Wione in Parte Primâ Ligni Vitæ, sive Historiæ Ordinis Benedictini, exhibetur hoc modo:

Præterit ut ventus Princeps seu Rex opulentus,
E t nos, ut fumus, pulvis & umbra sumus.
Tot tantísque bonis pollens Petrus ecce Leonis,
R espice quàm modico tegitur nunc tumulo.
V ir fuit immensus, quem proles, gloria, census
S ustulit in vita, non sit ut alter ita.
L egum Servator, Patriæ decus, Urbis amator,
E xtruxit celsis turribus astra Poli.
O mnia præclara mors obtenebravit amara,
N ominis ergò Dei Gratia parcat ei.
I unius in Mundo fulgebat sole secundo
S eparat hunc nobis cùm Polus atque lapis.

In ipso sepulchro.

Te Petrus & Paulus conservent Petre Leonis
Dent animam Cœlo, quos tàm devotus amâsti,
Et, quibus est idem tumulus, sit gloria tecum.

Hucúsque Epitaphium Petri Leonis Anicij Pierleonij, qui Imperatoris Rudolfi I. fuit Atavus. Tertium Epitaphium est Patris eorundem duorum fratrum Pierleoniorum, Abavi autem Imperatoris Rudolphi I. quod extat etiam nunc Romæ præ foribus

Ecclesiæ S. Alexij in monte Aventino, & ab Arnoldo Wione in suprà citata Parte prima Ligni Vitæ, nec non à Joanne Seifrido Abbate Zwethallensi Arboris Anicianæ libr. I. cap. 8. exhibetur hoc modo:

Maximus hinc surget gemina cum pube suorum
Et natâ, superis dandus honore pio.
Quos Sergestus acer patrum longo ordine sevit
Illustres animas, pérque Ducum genera.
Mite genus hominum, sapiens, insigne, decorum
Nominis antiqui consepelit tumulus,
Stephane post patris interitum Leo concidit imus,
Póstque tuum lapsum atque sororis iter
Extraneo nulli liceat superaddier istis,
Aut si quis violans, sit anathema Deo.
CHRISTE, Decus Mundi, semper miserere sepultis,
Et loca fer pacis, qui bona cuncta facis.

Huc usque Epitaphium Leonis Maximi Anicij Pierleonij, qui Imp. Rudolfi I. fuit Abavus, quemadmodum ex sequenti Schemate Genealogico videre est.

Tritavus.	Leo Anicius Pierleonius, Comes Montis Aventini, cujus Epitaphium extat apud Card. Baronium Annal. Ecclesiast. Tomo XII. in actis anni M. C. XI. Descendit is rectâ Genealogiæ serie ab Imp. Flavio Anicio Olybrio, & in titulo Epitaphij vocatur Nobilissimus Romanorum.	Pater.
Atavus.	Petrus Leonis Anicius Pierleonius, Comes Montis Aventini, cujus Epitaphium extat apud Card. Baronium. Annal Ecclesiast. Tomo XII. in actis anni M. C. XLIV.	Filius.
Abavus.	Leo Maximus Anicius Pierleonius, Comes Montis Aventini, qui ob. an. M.C.LXII.	Nepos.
Proavus.	Albertus Dives Anicius Pierleonius. Comes Montis Aventini, qui an. M. C. XLIV. cum Rudolfo fratre natu majore ob defensionem Ecclesiæ Romanæ ab hæreticis Arnaldastis Româ pulsus, commigravit in Helvetiam, & per matrimonium cum Werneri ultimi ex Fa-	Pronepos.

	milia Altenburgica Comitis Habſpurgenſis filia, evaſit primus ex Gentis Aniciæ Familia Pierleonia Comes Habſpurgenſis.	
Avus.	Rudolphus Taciturnus, Alberti Divitis filius, ſecundus ex Gentis Aniciæ Familia Pierleonia Comes Habſpurgenſis.	Abnepos.
Pater.	Albertus Sapiens, Rudolfi Taciturni filius, Tertius ex Gentis Aniciæ Familia Pierleonia Comes Habſpurgenſis.	Atnepos.
Filius.	Rudolfus Alberti Sapientis filius, Quartus ex Gentis Aniciæ Familiâ Pierleoniâ Comes Habſpurgenſis, & primus ejuſdem Familiæ Imperator Romanorũ An. M.CC.LXXIII.	Trinepos.

Cæterùm quòd Familia Pierleonia non minùs, quàm Paulina, Proba, Olybria, Fauſta, Juſtiniana, Severina, Gordiana, Frangipania, aliæque complures illuſtriſſimæ Familiæ ad antiquiſſimam Gentem Aniciam pertinuerint, varijs monumentis antiquis ſatìs perſpicuè demonſtrat ſuprà laudatus Abbas Seifridus tàm toto libro tertio Arboris Anicianæ, quàm capite ultimo libri primi; ubi in primis obſervatu digna eſt ſequens Inſcriptio, quæ ſub Pontificatu Pauli Papæ III. Romæ in Monte Aventino reperta eſt.

MAGNI. FLAVI. ANICI. PE-
TRI. LEONIS. GORDIANI.
SENATORIS. AMPLISSIMI.
ROMANORUMQ. PATRITI.
CORPUS. HOC. SEPULCHRO.
CONDITUM. JACET.
FLAVIA. ANICIA. GORDIA-
NA. CON. P.P.P.
FLAVIUS. ANICIUS. FRANGE-
PANIS. PETRUS. LEO. PET.
LEONIS. F. ANI.
PETRI. LEONIS. N. PAT.
OPT. DEDI.
OBIIT ANNO DOM. INCAR-
NATIONIS D.CC. XXII.

Huc uſque ipſa illa Inſcriptio. Cujus explicandæ cauſæ

ab

ab eodem suprà laudato Seifrido hæc subjunguntur: Ne verò hoc monumentum tibi otiosè spectandum propositum Lector existimes, vide quanta in eo existant, ex quibus proficere possis. Imprimis enim * Pierleones germina fuisse Anicianæ stirpis, ex eo fit testatissimum, siquidem cùm pater, tùm ipse filius Anicios se profitentur. Deinde perspicis hallucinatũ esse Volaterranum, qui putavit * Perleones hoc cognomẽ sortitos esse à Petro Leonis, qui tempore Gelasij II. & Paschalis II. Pontificum Romanorũ magnâ in Urbe potentiâ floruit; quod etiam Card. Cæsar Baronius existimavit, cùm tamen ex hac sepulchri inscriptione, sicut & ex sequentibus manifestum fiat, eandem Familiam hoc cognomine multis seculis antè insignitam fuisse. Demùm ex eadem inscriptione Frangipanæ Familiæ origo demonstratur, siquidem in ea filius Frangepanis appellatur; quod nomen nec à patre, nec ab avo, nec etiam ab ipsa matre acceptum tulit, sed ab eodem primùm usurpatum est in memoriam amplissimi beneficij, quo sibi posteritatíque suæ universam Romam devinxit, dum Româ ingenti aquarum mole oppressâ, civibus summâ rerum inopiâ laborantibus per singulas domos scaphâ vectus, frangendo panes subvenisset. Huc usque Abbas Seifridus. Cùm igitur certò constet, Principes Habspurgo-Austriacos originem ducere ex Comitibus Aventinis Familiæ Perleoniæ, Familiam autem Perleoniam pertinere ad Gentem Aniciam, operæ pretium porrò fuerit, ut consulatur suprà laudatæ Arboris Anicianæ liber secundus, quippe ubi splendidissima Gentis Aniciæ antiquitas rectè repetitur inde à Q. Anicio Prænestino, qui Ædilis Curulis creatus est anno ab Urbe conditâ quadringentesimo quinquagesimo primo, P. Sulpitio Saverrione & P. Sempronio Sopho Coss. & à L. Anicio Gallo, qui Prætor fuit A. V. C. D. L. XXXVI. L. Æmilio Paulo II. & C. Licinio Crasso Coss. missúsque in Illyricum, intra triginta dies totam illam Provinciam subegit, ipsúmque Regem Gentium cum conjuge & liberis fratréque Caravancio cepit, & sequenti anno in triumpho duxit. Idem quoque L. Anicius fuit Consul A. V. C. D. XCIV. cum M. Cornelio Cethego, adeòque multi ex eadem Anicia Gente deinceps tàm in libera Rep. Romana, quàm sub Imperatoribus ad Consulare fastigium pervenerunt, ut S. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem, mentionem hujus Gentis in transcursu faciens, meritò exclamet: Scilicet nunc mihi Proborum & Olybriorum clara repetenda sunt nomina, & ILLUSTRE ANICII SANGUINIS DECUS; in quo aut nullus aut rarus fuit, qui non

** ut habet Schönleben c. 5. & in varijs locis.*

** ut alij scribunt.*

meruit CONSULATUM. Ad eandem singularem Gentis Aniciæ prærogativam respicit quoque S. Augustinus in Epistola ad Probam & Julianam, clarissimas ex Anicia stirpe fœminas, sic scribens: *Quis verbis explicet? quis digno præconio prosequatur, quantum incomparabiliter gloriosius ac fructuosius habet ex vestro sanguine FOEMINAS VIRGINES CHRISTUS, quàm VIROS CONSULES Mundus? Nam volumina temporum si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare, quanto est majus atque præclarius cordis corporisque integritate transcendere?* Hæc S. Augustinus. Huc quoque alludit Claudianus in Panegyrico carmine ad Olybrium & Probinum Anicios fratres, de eadem Gente canens:

His neque per dubium pendet fortuna pavorem,
Nec novit mutare vices; sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos: quemcunque requires
Hâc de stirpe virum, certum est de Consule nasci,
Per fasces numerantur avi, sempérque renatâ
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili servantem lege tenorem.

Et aliquanto pòst in eodem Poëmate ipsam Urbem Romam introducit, prædictis duobus fratribus Anicijs ab Imperatore Henrico Consulatum petentem his verbis:

Illis, quam propriam ducunt ab origine, sortem
Oramus præbere velis, anníque futurum
Devoveas venientis iter: non improba posco,
Non insueta dabis, DOMUS hæc de more requirit.

Quod porrò ad Imperatores Romanos tàm Orientales, quàm Occidentales, nec non ad Sanctos & Sanctas Martyrij laurea & gloria Confessionis illustres, qui ex eadem Anicia Gente prodiêrunt, attinet, operæ pretium est, ut ipsum audiamus Abbatem Seifridum, qui ea de re paucis multa complectens, libri secundi Arboris Anicianæ capite primo sic scribit: Cæterùm non tantùm Consulari dignitate ornatissimos Viros produxit hæc Familia, sed etiam iterùm ac iterùm fortunâ quadam fatali ad supremum Imperij fastigium evecta, partim in Occidente partim in Oriente, plurimorum annorum curriculo Imperiales rexit habenas, atque nunc etiam Occidentale Imperium singulari avitæ hæreditatis prærogativâ per manus potentium Cæsarum traditâ in suis posteris continuatis multorum annorum spatijs felicissimè moderatur. Porrò quod maxima sanè admiratione dignum est, triplici temporis intervallo divinis planè auspicijs ad hanc Familiam delata

lata ſunt Auguſta Imperij Inſignia maximo Reipubl. Chriſtianæ bono: cùm primùm Anicius CONSTANTINUS Maximus poſt deterrimam idololatriæ caliginem diuturnámque perſecutionis rabiem Eccleſiæ Chriſti tanquam Sol quidam novus affulſit, Chriſtianæ fidei & doctrinæ radijs Urbem & Orbem illuſtrans; deinde cùm ex eadem quaſi pharetra eductus Anicius JUSTINUS Senior divinitùs ad Imperium aſſumptus eſt, qui Eccleſiam Dei denſiſſimis hæreſum tenebris obvolutam, & hæreticorum Imperatorum Zenonis & Anaſtaſij machinis propè convulſam, maximè in Orientis partibus, rurſùs ad priſtinam lucem revocavit, in integrum reſtituit, pacémque ejuſdem ac libertatem diu exulem quaſi poſtliminiò reduxit; denique cùm poſt longam Imperij vacationem, turbulentiſſimóſque Germaniæ motus ex eadem Anicia ſtirpe oriundus præter omnem ſpem & expectationem ex Comite in Imperatorem electus eſt Rudolfus I. Habſpurgius, qui non ſolùm Imperium multis modis labefactatum in antiquum ſuum ſtatum & ſplendorem auctoritate & conſilio reſtituit, ſed etiam armis & ferro Auſtriam & Styriam ex ſæviſſima Ottocari Bohemi tyrannide in priſtinam libertatem vendicavit. Jam verò quantus ſe campus aperiret, in quo exultare poſſit oratio, ſi & eos hîc recenſere vellem, qui eandem Proſapiam eximiâ morum integritate & ſanctimoniâ vitæ, inſigníque Martyrij laureâ ac gloriâ Confeſſionis nimiùm quantum illuſtrârunt? Inter quos veluti majus quoddam ſidus eminet Divus Pater noſter BENEDICTUS, qui ſpectatiſſimo vitæ ſuæ exemplo, temperatiſſimâque morum diſciplinâ innumerabiles hominum mentes à curis rerum labentium avocatas ad cœleſtes & nunquam interituras divitias & delitias contemplandas & conſectandas convertit. Nullus profectò jam in Cœlis Beatorum civium ordo eſt, in quo non aliquot ſaltem præſtantes Anicianæ Familiæ alumni reperiantur. Nam quid Conſularem illum Virum omni ſcientiâ præditum Anicium Boëthium commemorem? quid Benedictini agminis Proto-Martyrem egregium Placidum Abbatem cum ſuis fratribus & ſorore, aliíſque non paucis in Martyrum choro præcellentem? Quid in Doctorum ac Confeſſorum cœtu glorioſius illis Eccleſiæ luminibus Sancto Gregorio Magno, Divo Paulino Nolano, B. Thoma Aquinate? Quid inter candida Virginum agmina & Agni ſponſas illuſtrius illâ à SS. Patribus adeò celebratâ ac decantatâ Demetriade? Quid de matre ejus Juliana, quid de avia ejuſdem Proba dicam? cujus, ut verbis D. Hieronymi utar, omnium dignita-

tum & cunctæ Nobilitatis in Orbe Romano Nomen illustrius; cujus, ut idem attestatur, Sanctitas & in universos effusa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit. Hucusque Abbas Seifridus de Imperatoribus & Sanctis Gentis Aniciæ. De divitijs autem & affluentia opum ejusdem Gentis subjungit ibidem hæc lectu dignissima: Illud etiam hìc commemorabo, quòd homines hujus Mundi illecebris irretiti maximè admirari consueverunt, tantâ nimirum rerum & opum affluentiâ ANICIOS cæteris præstitisse, ut etiam locum proverbio dederint, sicut ex Cassiodoro Cardinalis refert Baronius: erant jam, inquit, in proverbio Opes, Ædificiorum moles & splendor ædium Familiæ Anicianæ. Hinc Secundinus ad Augustinum: Ego námque fateor non tali diligentiâ, nec tantâ industriâ ANICIANÆ DOMUS micare marmora, quantâ tua scripta prælucent eloquentiâ. Et quidem sextum Anicium Petronium Probum, qui unâ cum Gratiano Augusto gessit Consulatum anno Christi trecentesimo septuagesimo primo, tantæ fuisse opulentiæ, tantæ magnificentiæ constat, ut ad ejus amplitudinem spectandam è Perside Sapientes Romam venisse Paulinus testetur. Perstrinxit autem hæc Familiæ Nobilissimæ Christianissimæque opulentia vehementer aliorum Ethnicorum non solùm oculos, sed etiam animos, unde Ammianus Marcellinus de eodem Probo hæc carptim: post hæc tempora, inquit, Vulcatio Ruffino absoluto vitâ dum administrat, ad regendam Præfecturam Prætorianam ab Urbe Probus accitus, claritudine generis & potentiâ & opum multitudine cognitus Orbi Romano, per quem universum penè patrimonia sparsa possedit; justè an secùs, non judicioli est nostri. Eodem invidiæ morbo laboravit Zosimus, qui favens Attilæ tyranno hisce ANICIOS perstringit: solam, ait, illorum Familiam, qui ANICII dicuntur, mordebant ea, quæ publicè universis conducere videbantur, quòd soli omnium propè dixerim divitias possidentes, felicitatem publicam permolestè ferrent. Sed accipe, quæ de ejusdem Probi opum amplitudine & munificentia Claudianus sine livore cecinit his versibus:

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo
Cernere semper erat populis undare penates,
Assiduè intrare inopes, remeare beatos.

Præ-

Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vovens.

Hæc de Probo Claudianus. Perſeveravit hæc opum affluentia in ejuſdem poſteris: unde, ut memoriæ proditum eſt à Gregorio Turonenſi, JULIANA ANICIA, Probi proneptis, Valentiniani III. Auguſti neptis, Olibrij Imperatoris filia, tantas opes tantámque vim auri poſſedit, ut Conſtantinopoli Sacellum Polyeucti Martyris totum texerit, veſtiéritque laminis ex auro puriſſimo fabrefactis. Eadem etiam, ut idem Auctor affirmat, Imperatori Juſtiniano propinquo ſuo annulum aureum dono dedit, pretij penè inæſtimabilis, propter incluſum in eo lapidem Neronianum, qui tantæ viriditatis ac ſpendoris fuit, ut oſtenſo eo omnia à pulchritudine ejus viſa ſint in viriditatem converti. Hæc Abbas Seifridus de divitijs & affluentiâ opum Gentis Aniciæ, unde Familia Perleonia Habſpurgo-Auſtriaca oriunda eſt.

Hæc dixiſſe ſufficiant contra Wolffgangum Lazium cæteróſque ſuprà citatos Auctores, qui cùm, ut S. Hieronymi verbis utar, ILLUSTRE ANICII SANGUINIS DECUS ignorârint, nec majorem habuerint cognitionem veræ cauſæ, propter quam duo fratres Anicij Perleoni Rudolfus & Albertus A.C. 1144. Româ pulſi in Helvetiam commigraverunt, ignorantiam hanc ſuam & inſcitiam verterunt in adulationem, &, ut Imperat. Maximiliano I. ac ſequentibus Imperatoribus & Principibus Auſtriacis perſuaderent, Familiam Habſpurgo-Auſtriacam à Pharamundo primo Francorum Rege oriundam eſſe, non erubuerunt Genealogiæ Regum Franciæ pro fundamento ſtabiliendi ſui figmenti inſerere commentitium quendam Sigebertum, quem ipſi exulem cognominant, & Theodeberti illegitimo toro procreati Regis Auſtraſiæ filium fuiſſe, ex Gregorio Turonenſi & Aimoino, apud quos tamen id minimè invenitur, falsò aſſerunt. Quare meritò Abbas Seifridus caput tertium libri primi Arboris Anicianæ, poſteaquàm ibi ſatìs demonſtravit Principes Habſpurgo-Auſtriacos à Pharamundo & Sigeberto non rectè derivari, hoc concludit epiphonemate: Videsne igitur, amice Lector, quo ſtudio & quâ fide Lazius cæteríque ejus ſectæ comites ſint verſati in celebranda nobiliſſima Familia Habſpurgia; ut nimirùm controverſum ſit, laudaréne eam inſtituerint, an potiùs vituperare. Quæ enim hæc laus à generis nobilitate, eos gentis Habſpurgiæ Progenitores, per quos maximè Regium Francorum ſanguinem in eam derivare volunt, aut fabuloſos, aut ſpurios fingere? Nam diſertis verbis

Lazius Theodebertum illegitimo procreatum toro asserit, quod tamen falsum esse Belforestius annotavit; neque verò melioris notæ fuisse Sigebertum exulem, si tamen unquam fuit, ex dictis est manifestum. Valeat ergò Lazius cum suo fictitio Sigeberto, laudatissimámque Domum Austriam hâc suâ sordidâ laude laudare desistat, quæ & si vera & non ficta esset, potiùs tamen reticenda quàm commemoranda foret. Hæc Abbas Seifridus contra Lazium de falsa Principum Habspurgo-Austriacorum Origine Gallicana. Cæterùm quod attinet ad Franciscum Guillimannum ejusque sectatores, qui putant Principes Habspurgo-Austriacos propterea non posse ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia derivari, quia multò ante adventum duorum fratrum Perleoniorum in Helvetiam, hoc est ante annum Christi 1144. Castrum Habspurg in Argovia jam fuit conditum, ideóque multorum Comitum Habspurgensium, ijsdem jam memoratis Perleonijs fratribus sine ulla controversia antiquiorum, memoria in Chronico Cœnobij Murensis alijsque varijs vetustis monimentis reperitur, contra eos defendit & declarat suprà laudatus Abbas Seifridus veterem illam Ulrici Krigij, Alberti Argentinensis, & Henrici Gundelfingij traditionem non minùs verè, quàm ingenuè capite quarto libri primi Arboris Anicianæ his verbis: Licèt verum sit, complura antiquitatis monumenta reperiri, è quibus perspicuè argui possit, Comitum Habspurgensium memoriam in Helvetiæ oris antiquiorem esse, quàm ut possit à stirpe Perleonia derivari, non tamen inde necessariò consequitur posteriores Habspurgenses Comites, quos gravissimi vetustissimíque auctores à Perleonibus Romanis oriundos tradunt, ab ijsdem in recta & paterna linea propagatos esse; quamvìs eandem cum veteribus ab eodem Castro Habspurg denominationem ac titulum usurpâsse reperiantur. Quemadmodum enim non rectè colligeret quispiam, Habspurgios Austrios ex eadem planè prosapia oriundos esse, ex qua prisci Austriæ, Styriæ & Carinthiæ Duces prodière, quoniam ijsdem titulis ac insignibus, quibus illi olim, hi etiam nunc utuntur; ita etiam perperàm concluditur, Habspurgios posteriores, eò quòd in nomen ac possessiones veterum Habspurgensium Comitum successerint, eorundem stirpis propria germina esse, præsertim cùm certorum testificatione Auctorum sit compertum, hos ab illis genere planè diversos fuisse. Nam successio in nomen ac bona alterius non solùm hæreditate, quæ tamen multis etiam nominibus obvenire solet, sed & emptione, donatione, jure belli,

ali-

alijſque modis acquiri poteſt, quorum plurima obviáque paſsim ſunt exempla, ut ſupervacaneum ſit diutiùs in his immorari. Similiter quoque ejuſdem libri primi capite duodecimo eandem ſententiam illuſtrat & confirmat his verbis: Vero igitur valdè congruum videtur, Albertum Divitem Leonis Maximi filium unam ex filiabus Werneri III. Comitis Habſpurgenſis in conjugem habuiſſe; ratione cujus Caſtrum & nomen Habſpurgum ad ipſum, poſteróſque ejus hæreditate & ſucceſsione eſt devolutum. Qui modus per connubium hæreditandi non ſolùm tunc temporis in illis Helvetiæ partibus uſitatiſsimus fuit, ut ex Hiſtorijs paſſim liquet, verùm etiam huic familiæ Habſpurgiæ adeò proprius eſt ac peculiaris, ut ad hanc ſtupendam hujus temporis Imperij magnitudinem nullâ aliâ penè ratione perveniſſe videatur. Quis enim ampliſsimas poſſeſsiones ComitumKyburgenſium in hanc Familiam intulit? nonne Hedwigis ſoror Hartmani ſenioris Comitis Kyburgenſis, quæ nupta fuit Alberto Sapienti, ex quo facta eſt mater Rudolfi I. Imperatoris? Quis clypeum & cor Sacri Romani Imperij, Auſtriam dico, eidem Familiæ adjecit? nonne eam cum Ducatu Styriæ atque Carnioliæ Albertus Rudolfi filius, uxoris Eliſabethæ Menardi Comitis Tyrolis filiæ intuitu conſecutus eſt? Quis deinde Burgundiam & illum Provinciarum ocellum ac delicias Belgium Habſpurgijs Auſtrijs addixit? nonne Maria Caroli Ducis Burgundiæ filia & unica hæres? Denique ſic Regnis Hiſpaniæ, ſic Siculo, ſic Neapolitano Sereniſsima Auſtria Domus potita eſt, ſic ſublimia Luſitaniæ ſceptra ad Indos uſque protendit, ſingulariter hoc Divinâ Sapientiâ, quæ omnia ſuaviter diſponit, providente, ut ad hoc admirandum humanæ Majeſtatis ac Potentiæ exemplar, ad quod à Deo potiſsimùm in terris eſt conſtituta, non ingenio, non induſtria, non divitijs & opibus, non armis, non viribus humanis, ſed ſolius Dei benignitate ac voluntate, qui ſiccavit lignum viride & frondere fecit lignum aridum, evecta & exaltata eſſe videatur. Quare cùm divinum ac cœleſte Numen hoc per connubium modo in amplificanda ac illuſtranda Habſpurgica Auſtriaca Domo uſum eſſe videamus, conſentaneum etiam eſt, ut idem in eadem Familia primùm in Germania plantanda eundem modum tenuiſſe ſentiamus. Præterea etiam in libri tertij Epiſtola dedicatoria ad eundem modum mentem ſuam aperit his verbis: De condito Caſtro Habſpurg atque de Comitibus Vindoniſſenſibus planè aſſentior Stumpffio & Guillimanno, neque ulla mihi cum ipſis aut cum Chronico Murenſi ultra & infra Albertum Di-

vitem controversia est. In hoc solo controvertimur. Hunc ipsi Wernero ultimo Habspurgico natum, ego ex Perleonia stirpe oriundum, cum Werneri filia Comitatum Habspurgium accepisse affirmo. Huc usque tria illa Abbatis Seifridi loca præ cæteris lectu digna de differentia inter veteres Comites Habspurgenses ex Vindonissensi sive Altenburgicâ Familiâ & novos Comites Habspurgenses ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia, ut & de modo, quo prioribus posteriores in Comitatu Habspurgensi successerint. Contra Gerardum quoque de Roo, qui in Principio Historiæ suæ Austriacæ veterem illam & veram traditionem de Principum Habspurgo-Austriacorum Origine Romana frigidâ admodùm & jejunâ calumniâ vulgarem quorumdam hominum errorem nuncupat. Notabilis extat locus in eodem sæpius jam laudato Abbatis Seifridi Opere, nempe libri primi capite quinto, quem ut certas ob causas lectu dignissimum, hîc exhibeo: Liquidò igitur, inquit, apparet, Volaterranum non hujus sententiæ primum fuisse auctorem, neque eam ab Italis confictam, sed à Germanis multis antè literis consignatam, eorúmque testimonijs roboratam usque ad tempora D. Maximiliani I. Imperatoris perdurâsse, donec Stabius, Trithemius ac alij emerserunt, qui ob rationes suprà enumeratas novam Habspurgiorum Austriorum commenti sunt Genealogiam. Quare non possum non stomachari in Gerardum de Roo, qui hanc nostram Sententiam VULGI OPINIONEM appellat, eámque hoc nomine ludibrio habet; cùm tamen Sacræ Literæ communem populi vocem instar divini esse oraculi pronuntient. Imò si semper in animis hominum hæsit hæc opinio, & vulgi in ore versata est, ex hoc illa maximè confirmari ac stabiliri debet. Non enim res Genealogicæ adeò captu difficiles & arduæ sunt, ut ex intimis Sapientiæ penetralibus evocari debeant, ad quam non nisi magnis & perspicacibus ingenijs patet accessus; sed tota, ut diximus, ex majorum traditione ac fide historica pendent, ad quam stabiliendam nescio, an quippiam efficacius afferri possit vetustissimâ vulgi opinione. Quanquam comparatione factâ inter adversariæ opinionis sectatores & nostræ sententiæ auctores, quos modò recensuimus, ipsi potiùs quàm hi vulgi nomine censendi erunt, quippe qui nostris nec claritate generis, nec dignitate, nec auctoritate, nec eruditione, nec fidei integritate ullo modo sunt æquiparandi. Hæc Abbas Seifridus contra Gerardum de Roo. Quod denique attinet ad Gasparis Sciopij Disceptatiunculam, Constantiæ typis Joan. Georgij Anno 1651. in 12.

impres-

impressam, quâ Abbatis Seifridi eruditissimum de Genealogia Austriaca Opus malitiosè vellicare ac criminari ausus est, ea profectò indignissima est, ut ulla ejus habeatur ratio, quippe quæ nihil continet solidi, sed meras ejusmodi cavillationes Scopticas & injuriosas, quibus is tanquam extremæ malignitatis monstrum maledicentissimos quosque Momos, Zoilos & Scurras longè superat. Hæc Lambecius vir eruditionis magnæ & antiquitatum studiosissimus, qui si Annales Austriæ publicâsset, in eorum Prolegomenis, ùt promittebat, solidissimis argumentis & rationibus opinionem suam utique stabilijsset. Interim de memorata duplici opinione liberum sit Lectori sentire, quod veritati & Antiquitati magìs consonum videbitur. Nobis placuit ipsius verba referre, ut si minus alicui arridet opinio, non meam sed Lambecij solidioribus & clarioribus argumentis evertat opinionem. Quodsi Lector quempiam Aniciorum judicaverit censendum potiùs inter Ecclesiæ impugnatores quàm inter Pietatis Austriacæ propugnatores, non ideo Operis mei titulus notam patietur: nam una hirundo non facit ver; neque unus pietati minus favens tot illustrissima pietatis specimina fuligine suâ asperget aut obumbrabit penitus, quæ pietatis specimina longâ serie Austriaci Principes posteritati erexêre. His præmissis in utraque sententia Nobilitatem Majorum Rudolphi I. Cæsaris habemus. Si illa oriatur ab antiquis Comitibus & Præfectis Vindonissæ, à mille & amplius annis Nobilitatem suam demonstrat. Si ab Anicijs est antiquissima; nam quinque familias connectit & vinculat: nempe ex Æneadum radice familiam Juliam, Julianam, Aniciam, Perleoniam, Habspurgicam, quasi hæ quinque familiæ continuatâ generationum serie sibi invicem successerint, & solùm per intervalla mutato nomine, familiæ Habspurgicæ hodie regnanti initium dederint. Nunc verò ut securo tramite cum Annalibus nostris possimus progredi, daturi sumus seriem Genealogicam à Rudolpho I.

Lambecius Comment. de Biblioth. Cæs. Lib. II. Cap. VI.

Lequile de rebus Aust. part. I. pag: 184. & seq: Schönleben de Orig. Domûs Austr: pag. 13. (a)

Series Genealogica Augustissimæ & Serenissimæ Gentis Habspurgo-Austriacæ à Rudolpho I. Cæsare usque ad modernos Archi-Duces.

RUdolphus Comes ab Habspurg, Pater & Conditor Generis & Austriaci Imperij, natus est anno 1218. 1. Maij. Post magnum

(a) ANICIA Familia dicta est quasi Invicta, ob singularem virtutem & heroica facinora Julianorum. Citatus Lequile in ea enumerat Sanctos viginti & unum, Summos Pontifices quinque, Imperatores octodecim, Consules & Prætores Romanos viginti tres, Cardinales & Episcopos præterit.

gnum illud Schiſma, quod ſub Imperatore Friderico II. cœperat Imperator Electus An. Chriſti 1273. & An. 1291. obijt. Ex prima conjuge Anna Hohenbergica ſeptem filios, totidémque filias numeravit.

Filij Rudolphi I. Cæſaris.

Rudolphum, qui anno 12. ætatis ſuæ obijt.

Albertum Stemmatis propagatorem de quo infra.

Hartmannus & Fridericus ſinè liberis deceſsêre.

Rudolphus alter Dux Sueviæ duxit Agnetem filiam Ottogari Bohemiæ Regis hac conditione, ut ſi frater ejus Wenceslaus ſine hæredibus obiret, ipſe in Regnum ſuccederet. Peperit ei Agnes Joannem poſthumum, qui Piſis apud Auguſtinianos vitam finijt. Vide de ejus morte paginam 277.

Hartmannus II. (aliqui ſcribunt Hermannus) Margaritam Eduardi Regis Angliæ filiam deſponſatam habuit; ſed antequam convenirent in Rheno ſubmerſus eſt. Carolus in pueritia mortuus. Itaque omnes Rudolphi I. ditiones & Provinciæ ad unicum Albertum, ejúſque filios pervenerunt. Idem porrò hujus etiam Alberti ſex liberis evenit.

Filiæ Rudolphi I.

Filiæ Rudolphi I. Cæſaris.

Ephemia Sanctimonialis Tullnæ inſtituti S. Dominici.

Gutha vel Juta aut Juditha Wenceslai Regis Bohemiæ, cognomine Pij, Ottogari Regis filij uxor.

Mechtildis Ludovici Senioris Ducis Bavariæ conjux.

Agnes quam duxit in uxorem Albertus Saxo Septemvir.

Catharina Ottoni Bavariæ Duci Regi Ungariæ electo copulata.

Anna (quam alij Hedwigem appellant) conjux Ottonis Marchionis Brandeburgici.

Clementia Carolo Martello Neapolis, & Ungariæ Regi elocata.

Ex ſecunda uxore nimirum Agnete Ottonis Burgundiæ Ducis filia, quam provectæ ætatis duxit, nullos liberos ſuſcepit.

Vide pagin. 177. uſque ad 211.

Per memoratas filias Rudolphi Cæſaris infuſus eſt ſanguis in præcipuas Europæ Familias, ut vix aliqua in Europa Principalis aut Regia Familia fuerit, quæ non participaverit in ſuis Majoribus ſanguinem Habſpurgo-Auſtriacum. Huc fortè ſpectant verſus Franciſci Tertij Bergomatis Sereniſſimi Archi-Ducis Ferdinandi II. Pictoris in effigie Rudolphi æri inciſi.

Quid magnos ſate Marte nepotes Romule jactas?
En ſobolem, cui nulla parem virtutibus altis

Attu-

Attulit; aut ſedis volventibus afferet ætas;
Ipſe dedi, & toto ſparſi diademata mundo.

Vide Caput XXVII. quo reperies Cæſares ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca, eorundem Symbola, & alia complura, ſicut etiam Reges Bohemiæ, Hiſpaniæ, Ungariæ. Imperatrices, Reginas, Archi-Ducißas (a) Quo loco quis ex Habſpurgo-Auſtriacis tumulatus ſit, ultimâ Parte Annalium dicetur. Paramus enim pro fine operis *Chronicon mortuale* cum recenſione ſepulturæ & fundationum.

(a) meliùs dicendum videtur Sereniſſimas Archiduces.

Albertus I. Romanorum Cæſar filius ſecundogenitus Rudolphi I. Imperatoris.

Vide lib. II. pag. 224. uſque 286. NB. *Vide indicem rerum: Albertus I.*

Uxorem duxit *Eliſabetham Mainhardi Goriciæ & Tyrolis Comitis Carinthiæque Ducis* filiam, atque Auſtriacæ propaginis feliciſſimæ huc uſque productricis. De his nuptijs ad annum 1282. agimus. Cum hac Eliſabetha in fide uxoria ac maritali fœdere vixit Albertus annis 26. & juxta Cuſpinianum 21. ſecundùm verò Lazium 26. liberos procreavit: è quibus (cæteris in pueritia extinctis) ſex mares, & quinque fæminæ ad pubertatem pervenerunt. Eligitur canonicè ſecundâ vice (primam enim Electionem tanquam parum legitimam generoſus heros reſpuit) in Regem Romanorum An. Chriſti 1298. obijt 1308.

Filij Alberti I. Cæſaris.

Rudolphus cognomine *Mitis*. Uxor prima Blanca Philippi III. Francorum Regis filia, ſecunda Eliſabetha ante hac conjunx Wenceslai Regis Bohemiæ cognomento Sancti. Fridericus Pulcher Cæſar Auguſtus, ſed in competentia Ludovici Bavari. Uxor ejus Eliſabetha, Jacobi Aragoniæ Regis filia, ex qua genuit Fridericum & filias duas Annam & Eliſabetham. Alij plures proles numerant. Quibus ſubſcribo. Vide paginam 250.

Vide indicem: Rudolphus & ſic, ſi plura ſcire deſideras pro prima Parte Annalium obſerva.

Leopoldus *Equitum Gloria*, dictus. Uxor *Catharina Amedæi Comitis Sabaudiæ* filia. Filias peperit duas Catharinam & Annam. Hæc nupta Boleslao Duci Suidnicenſi, illa cuidam Magnati Kuſſi vel Cauci in Francia.

Henricus *Comis & Placidus*. Uxor Eliſabetha Comitiſſa Virnburgenſis, ex qua nullos liberos ſuſcepit.

Otto cognomine *Jucundus, Pulcher, Audax*. Duas uxores habuit, Eliſabetham Bavaram, & Annam Lucemburgicam. Ex prima genuit filios Fridericum & Leopoldum. Anna nihil protulit. Uterque filius ſponſalia celebravit, ne ducerent importuna mors obſtitit, quæ egregia ſpe adoleſcentes immaturo ac flebili obitu ſuſtulit.

 Alber-

Albertus II. Dux Austriæ cognomine *Pius*, *Sapiens*, *&* *Contractus*. Uxor Joanna Ulrici (alij Udalrici) ultimi Ferretensium Comitum filia & hæres, ex qua sex liberos progenuit paulò feliciori successu, quàm Pater & Avus. E duobus enim usque ad quartam generationem saltem pervenit, tum ad unum Maximilianum Majoratus quasi devolutus est.

Filiæ Alberti I. Cæsaris.

Vide pag. 291. Catharina Henrico VII. Cæsari desponsata, eo autem mortuo Carolo Duci Calabriæ nupta.

Juditha nupsit Comiti Ludovico Oetingensi.

Anna duobus connubio juncta, primò Hermanno *longo* Marchioni Brandeburgensi. Secundò Henrico Duci Wratislaviensi.

Agnes nupsit primò Friderico Columnensi, eoque extincto Andreæ Regi Ungariæ, Stephani ex Thomasina Maurocena Veneta filio. Hujus Agnetis vitam descripsimus ex M. S. quodam Codice, qui Viennæ in Bibliotheca Domûs Professæ servatur & intitulatur: Chronicon M. S. Austriæ. *Vide pag.* 447.

Elisabetha nupsit Theodoro Duci Lotharingiæ Filij Alberti II. Ducis Austriæ cognomento *Sapientis*, qui fuit Nepos Rudolphi I. Cæsaris.

Notandum est, quòd in Alberto Rudolphi I. filio Habspurgica Familia mutato nomine dicta sit Austriaca. Utrùm autem Albertus I. Cæsar primus Archi-Dux Austriæ fuerit Parte II. Annalium nostrorum in Rudolpho filio Alberti Sapientis agemus. *Vide pag.* 161.

Natus est Rudolphus nominis hujus in Habspurgo-Austriaca Familia IV. (reverà autem Quintus ejus nominis est, si ratio habeatur filij Imperatoris Rudolphi I. nomine Rudolphi, qui duodecim annorum puer obijt) Anno 1339. Dictus est *Magnanimus*, *Ingeniosus*, *Fundator*. obijt anno 1365. Conjugem habuit Catharinam, filiam Caroli IV. Imperatoris, sed ex ipsa nullos liberos suscepit. *Vide pag.* 536.

Errant, qui ei Margaritam Henrici Ducis Carinthiæ & Comitis Tyrolensis filiam cognomento die Maultasch secundã conjugem assignant. Hæc enim filio suo Meinhardo sine liberis præmortuo, sicut etiam marito Ludovico, Comitatum Tyrolensem sponte suâ cessit Archi-Ducibus Austriæ Anno 1363. & in Diplomate nunquam appellat Rudolphum maritum, sed suum cognatum. Secundò constat Catharinam Rudolpho supervixisse.

De

De ea donatione dabimus Parte II. Annalium noſtrorum Diploma, & annum mortis Catharinæ ſuo loco memorabimus.

Secundo-genitus Alberti Sapientis fuit Fridericus in adoleſcentia extinctus.

Tertio-genitus Albertus III. cognominatus cum *Trica*. Duxit in conjugem Beatricem Friderici Burggravij Norimbergenſis filiam, ex qua natus filius ſui nominis Albertus IV. cognomine *Mirabilia mundi*. Uxor Johanna filia Alberti ſenioris Ducis Bavariæ, Comitis Hollandiæ & Zelandiæ. Hæc genuit Albertum V. qui Cæſaris Sigiſmundi filiam Eliſabetham duxit Uxorem, & ſocero poſt accepta Ungariæ & Bohemiæ Regna, in Imperio ſucceſſit, vocatus exinde Albertus II. Incidit Electio ejus Cæſarea in annũ 1438. & ex eo tempore in Auſtriaca Familia manet. Suſcepit ex conjuge Eliſabetha prolẽ ternam Eliſabetham uxorẽ Caſimiri II. Poloniæ Regis: Annam Uxorem Wilhelmi Saxoniæ Ducis, ac Ladislaum poſthumum, qui cùm in uxorem ducturus eſſet Magdalenam, Caroli VII. Francorum Regis filiam, mortuus eſt.

Leopoldus III. cognomento *Probus* (a) quarto-genitus Alberti *Sapientis*, qui ex uxore Virida filia Barnabæ Principis Mediolanenſis, aliqui Ducem, alij Vice-Comitem appellant, habuit quatuor filios & tres filias, ùt infra patebit.

Filiæ Alberti *Sapientis* II.

Margarita conjux Joannis Henrici Marchionis Moraviæ.

Catharina, quæ cœlibatum amplexa Monialibus Divæ Claræ apud Viennenſes præfuit.

Filij Leopoldi *Probi*, qui fuit cum Alberto III. Pronepos Rudolphi I. Cæſaris.

Wilhelmus dictus *Aulicus*, Leopoldus IV. qui *Ambitioſus*, (alijs *Superbus*) Fridericus qui *Magnificus*, Erneſtus qui *Ferreus*. Wilhelmus ex Johanna Duracia Caroli Ungariæ & Apuliæ Regis filia nullam reliquit prolem, ſicut etiam Leopoldus ex Catharina filia Philippi Audacis Ducis Burgundiæ.

Fridericus Comes Tyrolis ex Anna Brunſuicenſi unicum filium genuit Sigiſmundum.

Is cùm ex duabus uxorib' Catharina Saxonica ac Eleonora Scotiæ Regis Jacobi filia nullos hæredes relinqueret, Maximilianum I. adoptavit, eique omnes Provincias tradidit, certâ penſione ſervatâ.

Erneſtus *Ferreus*. Uxor ſecunda Cimburga Semoviti Principis

O

(a) Cognomen *Probus* non eſt hic, ut vulgò perperam fit, Germanicè vertendum der Fromme / ſed der Ritterliche / vel der Streitbare. Lambec. Comment. de Biblioth. Cæſ. Lib. II. Cap. 5. pag. 102. in margine.

cipis Masoviæ filia, quæ ei duos filios peperit, nempe Fridericum V. Cæsarem, & Albertum sextum. Duo alij à quibusdam numerantur: Rudolphus & Leopoldus; sed ambo in pueritia defuncti. Fœminas quinque, ex quibus ad maturam ætatem duæ pervenerunt, Catharina conjux Caroli I. Marchionis Badensis, & Margarita Friderici, alij etiam ponunt Ernesti Electoris Saxoniæ. Fridericus, primogenitus Ernesti, Imperator, qui vulgò quidem III. vel IV. cognominatur, reverà autem V. appellandus est, uxorem duxit Eleonoram Eduardi Regis & Reginæ Johannæ Portugalliæ filiam, è qua quinque liberi in lucem prodière, nempe Helena in annis infantilibus defuncta; Cunegundis Alberto Bavariæ Duci copulata. Filij Christophorus & Joannes in infantia extincti. Maximilianus I. dein Cæsar. Albertus Friderici V. Cæsaris frater nominis hujus VI. fundavit Friburgensem Academiam & sinè liberis obijt. Ejus uxor Mechtildis Palatina.

Vide paginam 303. usque 313.

Maximilian. I.

Maximilianus I. Friderici Imperatoris filius, natus anno 1459. 23. Martij, Belgij Provincias omnes per conjugium An. 1477. adjunxit Domui Austriacæ. Electus Romanorum Rex Francofurti 16. Februarij, & Aquisgrani coronatus 9. Aprilis Anno 1486. obijt Welsij Anno 1519. 12. Januarij ætatis 59. Neostadij, ut testamento voluerat, sepultus sub aris, ut sacrificans Sacerdos supra ejus pectus consistat.

Uxores.

Uxor I. Maria Caroli *Pugnacis* Burgundiæ Ducis filia & hæres, nata Anno 1457. 12. Februarij, nupsit 1577. 19. Augusti, obijt 1482. 28. Martij Brugis sepulta ibidem.

2. Anna Francisci ultimi Ducis Britanniæ filia unica, hanc ei rapuit Carolus VIII. Galliæ Rex pergentem ad sponsum.

3. Blanca Maria Galeacij Mariæ Ducis Mediolanensis filia, nupta Anno 1494. 16. Martij Oeniponti, obijt ibidem An. 1511. sinè prole.

Proles ex Maria conjuge.

Proles Maximiliani I. Cæsaris.

Philippus I. Archi-Dux Austriæ natus anno 1478. 23. Junij.

Margareta nata 1480. Bruxellis, uxor primò Joannis filij Ferdinandi & Isabellæ vel Elisabethæ Regum Hispaniæ. Secundò nupsit Philiberto II. Duci Sabaudiæ, qui obijt 1504. Margareta fuit Gubernatrix Belgij & obijt 1530.

Franciscus & Georgius infantes mortui.

Philippus I. Austriacus Rex Hispan.

Philippus I. Maximiliani I. Cæsaris primogenitus, & per conjugium primus ejus nominis Rex Hispaniarum, qui an. 1506. obijt ætatis 28. sepultus Granatæ. Dictus est *Pulcher*.

Uxor

Uxor Johanna Ferdinandi V. Catholici & Isabellæ vel Elisabethæ Regum Hispaniæ filia, obijt anno 1555. Mater duorum filiorum, & quatuor filiarum. De filijs infra dicemus. Nomina filiarum sunt:

Eleonora nata anno 1498. nupsit primò Emmanueli Regi Portugalliæ an. 1519. secundò Francisco II. Regi Galliæ 1530. obijt in Hispania anno 1558. Filij & Filiæ Philippi I. Regis Hispaniæ.

Isabella nata an. 1501. Uxor Christierni II. Regis Daniæ anno 1515.

Maria nata 1505. uxor Ludovici Regis Bohemiæ & Ungariæ 1521. fuit post mortem mariti Gubernatrix Belgij, obijt in Hispania an. 1558.

Catharina posthuma nata in Hispania an. 1507. fuit Sponsa primò Friderici Electoris & Ducis Saxoniæ an. 1518. deinde uxor Joannis III. Regis Lusitaniæ.

Filij Philippi I. Archi-Ducis & ambo Imperatores:

Carolus V. natu major, *cujus laudibus aliquid addidisse, decerpsisse est. Nemo siquidem est laudabilior, quàm qui ab omnibus laudari potest, & de quo tot præconia quot, homines.* *S. Ambros. in Serm. S. Agnetis.*

Ferdinandus I. Cæsar. De utroque priusquam aliquid dicam, observo proles Philippi I. fuisse omnes capita Coronata, filias quatuor Reginas & utrumque filium Imperatorem. Observo præterea per hos factum, ut Austriaca Familia in duas stirpes seu lineas divideretur, videlicet in Carolinam, & Ferdinandeam.

Linea Carolina, dicta *Hispanica.*

Carolus V. Archi-Dux Austriæ, Romanorum Imperator Philippi I. filius I. cognomento *Fortunatus* & oraculo Pontificio *Pauli III.* dictus *Maximus*, natus est anno 1500. Gandavi in Flandria 24. Februarij, Rex Hispaniarum coronatus Vallisoleti anno 1518. electus Imperator Francofurti anno 1519. coronatus Aquisgrani anno 1520. capit Franciscum I. Galliæ Regem ad Ticinum 1525. capit Romam per suos 1527. coronatur Rom. Imperator à Clemente VII. 1530. Bononiæ. Capit Tunetum in Africa 1532. cædit protestantes ad Mülbergam 1547. Cedit Imperio 1556. obijt in Hispania vitam solitariam agens. Anno 1558. ætatis 59. Carolus V. Cæsar & Hispan. Rex.

Uxorem duxit Isabellam Emmanuelis Regis Lusitaniæ filiam. Ex illa natus Philippus II. Uxor unica.

Maria nata an. 1528. nupta Maximiliano II. Cæsari, obijt 1603. Proles.

Joanna Joannis III. Principis Lusitaniæ Uxor, & Mater Sebastiani à Mauris occisi. obijt 1578.

Ferdinandus obijt anno 1545. Ad nuntium mortis ferunt illachrymantem parentem dixisse aliquibus Proceribus Belgis: *Ego quidem lugeo filium, at vos amissum lugete Dominum & Regem.* Statuerat enim in unum Regni titulum Belgicas Provincias contrahere, & Regem Belgij Ferdinandum filium natu secundum creare.

Philippus II. Hispan. Rex nepos Philippi I. Archiduc.

Philippus II. natus an. 1527. Rex Neap. & Sicil. 1543. Rex Angliæ 1554. Princeps Belgij an. 1555. Rex Hispaniæ 1556. cædit Gallos ad S. Quintinum an. 1557. & ad Gravelingam 1559. Turcas ad Melitam fugat an. 1565. & iterum per Joannem ab Austria 1571. Rex Lusitaniæ 1580. amittit partem Belgij 1581. obijt anno 1598. ætatis 72. Dictus est: *Justus, Prudens, ac potens.*

Uxores quatuor.

Uxor I. Maria Joannis III. Lusitaniæ Regis filia An. 1543. obijt 1545.

2. Maria Henrici VIII. Angliæ Regis filia Anno 1554. obiit 1558.

3. Isabella Henrici II. Galliæ Regis filia an. 1560. ob. 1568.

4. Anna Maximiliani II. Filia nupta an. 1570. obijt 1580.

Proles. Ex Maria I. Carolus natus anno 1545. ob. 1568.

Ex tribus I. III. & IV. proles.

Ex Isabella 3. conjuge. Isabella Clara Eugenia nata 1566. nupsit Alberto VII. Archi-Duci an. 1599. obijt 1633.

Item Ex Isabella Catharina nata 1567. nupsit Carolo Emmanueli Duci Sabaudiæ, cui 5. filios genuit. obijt 1630.

Ex Anna 4. conjuge. Philippus III. Rex Hispaniarum. Maria obijt triennis.

Ferdinandus obijt infans.

Jacobus natus anno 1573. obijt an. 1583.

Carolus obijt puer.

Philippus III. pronepos Philippi I. Archiduc.

Philippus III. Rex Hispaniarum natus an. 1578. Gubernavit Christianissimè ac pientissimè, summa cum Religione ac Pietate annis 23. Expulit Maurorum 900000. ex Hispania, obijt 1621. dictus est: *Pius.*

Uxor Margareta Caroli Archi-Ducis filia, nata 1584. obijt anno 1611. Mater quatuor filiorum & totidem filiarum.

Philippi III. Filij & Filiæ.

Philippus IV. Dominicus, Victor, natus 1605.

Carolus natus anno 1607. obijt an. 1632.

Ferdinandus natus 1609. Archi-Episcopus Toletanus, Cardinalis, Gubernator Belgij, obijt anno 1641.

Alphonsus obijt infans.

Anna Maria Mauritia nata 1601. nupsit Ludovico XIII. Galliæ Regi, & genuit an. 1638. 5. Septembris Ludovicum XIV. nunc regnan-

regnantem & anno 1640. 21. Septembris Philippum Ducem Aurelianensem. obijt anno 1666.

Maria obijt infans. an. 1603.

Maria nata 1606. nupsit Ferdinando III. Imperatori an. 1631. obijt an. 1646.

Margarita obijt in puellari ætate.

NB. I. Singularia Annæ Mauritiæ inesse putabant Galli, dum initio anni 1666. ætatis suæ 65. moreretur, in cujus Sarcophago legebatur asscriptum sequens distichon:

Phil. IV. Lud. XIII. Lud. XIV. Phil. & Marg. Austr.
Et Sor. & Conjux, & Mater: Nataque Regum.
Nulla unquam tanto sanguine digna fuit.

NB. II. Circa titulos Mariæ Imperatricis & lege lib. I. pag. 162.

Philippus IV. Hispaniarum Rex.

Natus est Philippus Rex an. 1605. Post multa pro Ecclesiæ honore & bono publico ferè per annos quadraginta gesta facit pacem cum Galliæ Rege anno 1660. obijt anno 1665. Dictus est *Magnus*. Philippus IV. abnepos Philippi I. Archiducis.

Uxor I. Isabella Henrici IV. Galliæ Regis filia, obijt an. 1644. Mater sex prolium. Maria Margaretha ob. infans. Margaretha Catharina ob. infans Maria ob. infans. Balthasar, Carolus, Dominicus, Lucas, Philippus; natus 1629. obijt 1646. Maria obijt infans.

Maria Teresia nata 1638. die 20. Septembris, nupsit Ludovico XIV. Regi Galliæ 1660. ex qua natus an. 1661. 1. Novembris Ludovicus XV. Galliæ Delphinus.

Uxor II. Maria Anna Ferdinandi III. Cæsaris filia nata anno 1634. Attulit marito duas filias & tres filios.

Margarita nupsit Leopoldo Cæsari nata 1651. obijt an. 1673. Maria obijt infans. Philippus Prosper obijt puer. Thomas Carolus obijt puer.

Carolus II. hodie regnans natus anno 1661. 6. Novembr. Rex Hispaniarum & Indiarum an. 1665. Carol⁹ II. pronepos Philippi I. Archiduc.

Uxor I. Philippi Ducis Aurelianensis filia.

Uxor II. Maria Anna Philippi Wilhelmi Palatini Rheni Ducis Neoburgici filia, nata 1667. 26. Octob.

Linea Ferdinandea, dicta *Germanica*.

Ferdinandus I. Philippi I. Hispaniæ Regis secundò-genitus Caroli V. frater, natus Alcalæ anno 1503. 10. Martij fit Rex Bohemiæ 24. Februarij anno 1527. & eodem anno Rex Ungariæ pellit Joan- Ferdinandus I. Cæsar Ungar. & Bohem. Rex.

Joannem Scepusiensem, defendit Viennam anno 1529. contrà Solimannum Turcam, cum eo bellum gerit usque ad annũ 1562. postea pacem facit. Rex Romanorum electus Coloniæ & coronatus Aquisgrani anno 1531. componit pacem Religionis Passaviensem anno 1552. & Augustanam 1555. fit Romanorum Imperator anno 1556. confirmatus an. 1558. obijt Viennæ an. 1564. Pragam ad Regum sepulturam devectus.

Uxor. Uxor Anna Wladislai Ungariæ & Bohemiæ Regis filia nata anno 1503. obijt anno 1547. in partu, sepulta Pragæ, genuit quindecim proles.

Filius primo-genit⁹ — Filij Ferdinandi I. Cæsaris:

Maximilianus de quo infra agemus.

Filius secundo-genitus. Ferdinandus qui post mortem Parentis Comitatum Tyrolensem possedit.

Ejus uxores. Uxor I. Philippina Welserina filia Francisci Welseri Liberi Baronis de Zinnenberg. obijt an. 1580.

II. Anna Catharina Ducis Mantuæ filia obijt anno 1621.

Ex prima liberi. Ex Philippina nata Maria & Philippus, qui obiêre infantes.

Andreas ab Austria natus 1558. Cardinalis & Episcopus Constantiensis & Brixiensis, Gubernator Belgij, obijt Romæ 1600.

Carolus ab Austria Marchio Burgaviæ natus an. 1560. militavit præclarè in Ungaria & Belgio.

Uxor Sybilla Wilhelmi Ducis Juliacensis filia.

Ex secunda. Anna nata anno 1585. nupsit Cæsari Matthiæ, ob. an. 1618.

Martha obijt puella.

Anna Catharina facta Monialis Ordinis Servarum B. V. Oeniponti, obijt 1649.

Tertius filius Ferdinandi I. Cæsaris fuit Joannes, & infans ob.

Quartus filius Carolus II. Austriaco-Styriacæ Familiæ Parens; de eo & Maximiliano infra dicemus.

Filiæ Ferdinandi I. Cæsaris. — Filiæ Ferdinandi I. Cæsaris.

Elisabetha nata an. 1526. nupsit Sigismundo Augusto Regi Poloniæ an. 1543. obijt 1545.

Anna nata Pragæ an. 1528. Uxor Alberti V. Ducis Bavariæ, ex qua hodiéque posteritas, obijt anno 1587.

Maria nata Pragæ an. 1530. uxor Wilhelmi Ducis Juliacensis, obijt an. 1584.

Magdalena nata Oeniponti an. 1532. Hallis vitam egit cœlibem.

Catharina nata an. 1533. uxor primò Francisci Ducis Mantuæ.

tuæ. Secundò Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, obijt an. 1572.

Eleonora nata an. 1534. uxor Wilhelmi Ducis Mantuæ, obijt 1594.

Margareta nata an. 1536. obijt 1566.

Barbara nata anno 1539. uxor Alphonsi II. Ducis Ferrariæ, obijt anno 1572.

Ursula obijt infans.

Helena nata an. 1543. Hallis Vestalis, obijt 1574.

Johanna nata Pragæ an. 1547. uxor Francisci Ducis Florentiæ, obijt an. 1578.

Linea, seu progenies Maximiliani II. Cæsaris, qui fuit primo-genitus Ferdinandi I. Cæsaris.

Maximilianus II. Ferdinandi I. filius natus Viennæ an. 1527. educatus in Hispania, interfuit pluribus bellis, fuit Prorex in Hispania 1548. Rex Bohemiæ coronatus anno 1562. electus Romanorum Rex & coronatus Francofurti 1563. & eodem anno Rex coronatus Posonij. Fuit ab aliquibus electus Rex Poloniæ anno 1575. quod ipse contempsit, obijt Ratisbonæ 1576. *Maximilianus II. Cæsar primo-genit⁹ Ferdinandi I.*

Uxor Maria Caroli V. Cæsaris filia nata 1528. Attulit Marito quindecim proles, obijt in Hispania anno 1603. ætatis 73. *Filij.*

Filij Maximiliani II. Cæsaris.

Ferdinandus III. obijt infans.

Rudolphus II. Imperator natus an. 1552. educatus in Hispania, Rex Ungariæ & Bohemiæ, eodem anno 1572. Roman. Rex coronatus an. 1575. bellum gessit cum Turcis ab an. 1591. continuis annis 15. obijt an. 1612. nunquam conjugem duxit.

Ernestus II. natus an. 1553. Gubernator Belgij, ob. an. 1595.

Matthias natus an. 1557. Gubernator Belgij, postea Ungariæ; ubi bis Turcas cæcidit, Rex Ungariæ 1608. Rex Bohemiæ 1611. Romanorum Imperator coronatus Francofurti an. 1612. obijt 1619. 20. Martij sinè hærede.

Uxor Anna Ferdinandi II. Archi-Ducis filia, de qua Tabulâ præcedenti diximus.

Maximilianus III. natus 1558. ab aliquibus Rex Poloniæ electus, sed captus & postea dimissus fuit Generalis Magister Ord. Teutonici, obijt 1618.

Albertus II. natus 1559. Card. Tit. S. Crucis, Prorex Lusitaniæ, Archi-Episcopus Toletanus, Gubernator Belgij, obijt 1621. Depositâ purpurâ duxit Isabellam, Claram, Eugeniam filiam Philippi II. Regis Hispaniarum.

Wenceslaus natus an. 1561. Eques Melitensis, obijt an. 1578.
Fridericus obijt infans.
Carolus obijt infans.

Filiæ.

Filiæ Maximiliani II. Cæsaris.

Ana nata an. 1549. uxor Philippi II. Regis Hispaniæ, ob. 1580.

Elisabetha nata anno 1554. uxor Caroli IX. Regis Galliæ, obijt 1592.

Vide ejus vitam Lib. III. à pagina 389. usque 422.

Maria obijt infans.

Maria obijt infans.

Margareta nata an. 1567. facta Monialis S. Claræ Madriti obijt 1633. ætatis 66.

Vide ejus vitam Lib. III. 427. & seq.

Eleonora nata an. 1568. obijt Pragæ an. 1579.

Linea Caroli II. Archi-Ducis Austriæ, qui fuit Ferdinandi I. Cæsaris quarto-genitus, Philippi I. Hispaniarum Regis nepos, Maximiliani I. Cæsaris pronepos, natus est anno 1540. 3. Junij, cognomen tulit *Fœcundi*, à Patre, & à Deo benedictus stemma ac genus fœcundissimè ac felicissimè propagavit.

Ex Maria filia Alberti V. Bavariæ Ducis, è sorore sua Anna nepte, ducta 1571. Viennæ, liberos genuit Parentis filijs numero & felicitate longè majores.

Filij Caroli II. Archiducis.

Filij Caroli Archi-Ducis fuerunt VI.

Ferdinandus obijt infans.

Ferdinandus II. Romanorum Imperator, de quo infra.

Carolus obijt infans.

Maximilianus IV. natus an. 1583. obijt an. 1616.

Leopoldus V. natus anno 1586. Titularis Episcopus Argentinensis & Passaviensis obijt anno 1632.

Carolus V. posthumus natus an. 1590. Episcopus Wratislaviensis & Brixiensis, Magister Ord. Teutonici, obijt an. 1624.

Ejusdem filiæ.

Filiæ ejusdem IX.

Anna nata 1573. uxor Sigismundi III. Regis Poloniæ, obijt 10. Februarij 1598.

Maria Christierna nata anno 1574. Conjux Sigismundi Principis Transylvaniæ, sed diremptum est conjugium, obijt 1621. in Parthenone Hallensi.

Catharina Renata nata anno 1576. obijt 1586.

Elisabetha nata anno 1577. obijt 1586.

Gregoria Maximiliana nata an. 1581. sponsa Philippi III. Regis Hispaniæ, ob. 1597.

Eleonora nata Anno 1582. Vestalis Hallis, ob. an. 1620.

Mar-

Margaretâ nata 1584. uxor Philippi III. Regis Hispaniæ, obijt 1611. Peperit octo proles, quæ enumeratæ sunt suprà.

Constantia nata an. 1588. uxor Sigismundi III. Regis Poloniæ, post sororem suam Annam obijt an. 1631.

Maria Magdalena nata an. 1589. uxor Cosmi II. Magni Ductis Florentiæ, obijt anno 1631. relictis quinque filijs, & quatuor filiabus.

Enumeratis prolibus Caroli II. Archi-Ducis (quæ linea in filio Leopoldo tota perijt) non attendendo, quòd Leopoldus V. junior Ferdinando II. Cæsare fuerit, ejus proles & neptes dabimus.

Postquam Leopoldus V. Archi-Dux dimissis Episcopatibus Passaviensi & Argentinensi Claudiam Ferdinandi Hetruriæ Ducis filiam, eandémque Urbini Ducis viduam in matrimonium accepisset, ex ea genuit duos filios & tres filias Mariam Eleonoram in infantia mortuam. Isabellam Claram Eugeniam, quæ nupsit Carolo II. Duci Mantuæ. Mariam Leopoldinam secundam uxorem Ferdinandi III. Imperatoris. Linea Leopoldi V.

Ferdinandum Carolum natum an. 1628.

Sigismundum Franciscum natum an. 1630.

Proles Ferdinandi Caroli Archi-Ducis.

Ex Anna Cosmi II. Magni Ducis Florentiæ filia genuit Ferdinandus Claudiam Felicitatem conjugem II. Augustissimi Cæsaris Leopoldi, nata est anno 1653. obijt 1676.

N. filia simul nata simul mortua anno 1654.

Maria Magdalena nata an. 1656. obijt 1669. 20. Januarij.

Sigismundus Franciscus Sponsus.

Erat Sigismundus Franciscus Archi-Dux Episcopus Augustanus primò, deinde etiam Tridentinus, dimissisque Episcopatibus mortuo fratre Ferdinando Carolo an. 1662. fine Decembris, desponsavit sibi Mariam Hedvigem Augustam Christiani Augusti Comitis Palatini Sultzbacensis filiam. Hic intentus totus recipiendæ Sponsæ suæ Kalend. Junij an. 1665. moritur. Fama est, Sponsæ eo ipso die, priusquam de infirmitate Sultzbaci erudiri potuerit, pretiosissimum adamantem conjugali ex annulo dissiliendo, sinistri quid præsagijsse, animúmque pulsasse. Dotavit sponsam vitalitio annuo censu, quem Imperator, cùm Sponsa ad altera vota transiret, certâ pecuniæ summâ redemit. Jam ad Caroli II. Archi-Ducis secundo-genitum, nempe Ferdinandum II. Cæsarem ejusdémque filios & nepotes, &c. gradum facimus.

Ferdinandus II. Caroli II. Archi-Ducis & Styriæ, &c. Domini

Linea Ferdinandi II. Cæsaris. mini filius natus an. 1578. Rex Bohemiæ 1617. Ungariæ 1618. Romanorum Imperator coronatus Francofurti 1619. cæcidit Fridericum V. Palatinum an. 1620. æmulum suum & alterum Gabrielem Betlemum Principem Transilvaniæ, & Georgium Fridericum Marchionem Durlacensem, & Christianum Ducem Brunsuicensem & Mansfeldium & Rusticos Austriæ & Christianum IV. Daniæ Regem. Humiliavit Carolum de Nevers Ducem Mantuæ 1630. fugatus ipse à Rege Sueciæ Gustavo Adolpho ad Lipsiam 1631. prælium cum eodem Rege ad Lützen commisit 1632. in quo Rex Sueciæ perijt. Cæcidit in Silesia exercitum Sueco-Saxonicum 1633. obtinuit ingentem victoriam ad Nörlingam an. 1634. obijt anno 1637.

Uxor I. Maria Anna Wilhelmi Ducis Bavariæ filia nata 1574. obijt anno 1617. Mater sex prolium.

Christina obijt puellula.

Joannes Carolus natus 1605.

Ferdinandus III. Cæsar Ungariæ & Bohemiæ Rex, de quo infra.

Leopoldus Wilhelmus natus 1614. Episcopus Argentinensis, Passaviensis, Halberstadiensis, Olomucensis, Wratislaviensis, Magister Ordinis Teutonici, Gubernator Belgij ab anno 1646. ad annum 1656. obijt 1662.

Maria Anna nata 1610. uxor 2. Maximiliani I. Ducis Bavariæ obijt 1665.

Cæcilia Renata nata 1611. uxor Wladislai 4. Regis Poloniæ obijt 1644. malè positum paginâ 186. obijsse anno 1648. sicut pag. 187. annus abdicationis malè positus est Christinæ Reginæ Sueciæ. Legendus est pro anno 1653. annus 1654.

Secunda uxor Ferdinandi II. Cæsaris fuit Eleonora Vincentij Mantuæ Ducis filia, ex qua nullas proles suscepit, obijt an. 1655.

Ferdinandi III. Cæsaris matrimonia & proles.

Linea Ferdinandi III. Ferdinandus III. natus 1608. Rex Ungariæ 1625. Rex Bohemiæ 1627. Expugnavit Ratisbonam & cæcidit Suecos ad Norlingam 1634. Electus Rex Romanorum & coronatus Ratisbonæ 1636. Fecit pacem cum Sultano Ibraim & cum Mahomet IV. ad 20. annos anno 1649. Cum Gallis & Suecis Monasterij 1648. & Norimbergæ 1650. obijt 1657.

Uxor. I. Uxor I. Maria Philippi III. Regis Hispaniæ filia, quæ ob. 1646. Ex illa proles.

Ferdinandus IV. natus anno 1633. Rex Bohemiæ an. 1646. Unga-

Ungariæ 1647. Romanorum Rex Ratisbonæ coronatus an. 1653. obijt anno 1654.

Maria Anna Regina Philippi IV. Hispaniæ Uxor, nata 1634.

Philippus Augustinus, obijt infans.

Maximilianus Thomas obijt infans.

Leopoldus Ignatius Franciscus, &c. natus an. 1640. 9. Junij.

II. Uor Leopoldina Leopoldi V. Tyrolensis filia, ob. an. 1649. Uxor II.

Ex ea nata Maria quæ obijt infans.

Carolus Josephus natus an. 1649. Episcopus Passaviensis, Olomucensis, Wratislaviensis, Magister Generalis Ordinis Teutonici, obijt an. 1664. 27. Januarij.

III. Uxor Eleonora Caroli II. Ducis Mantuani filia. Uxor III.

Ex qua Theresia Maria Josepha, obijt infans an. 1653.

Eleonora Maria nata an. 1653. nupsit primò Regi Poloniæ Michaëli. Secundò Serenissimo Duci Lotharingiæ Carolo anno 1678. ex qua hodie quatuor filij superstites.

Maria Anna Josepha nata an. 1654. nupta an. 1678. Joanni Wilhelmo Comiti Palatino Duci Juliacensi.

Ferdinandus Aloysius Josephus natus an. 1657. ob. an. seq.

Successio & Matrimonia Augustissimi Leopoldi Cæsaris.

Leopoldus I. Ignatius Franciscus, Balthasar, Josephus, Felicianus, natus an. 1640. 9. Junij. Rex Ungariæ 1655. 27. Junij. Rex Bohemiæ 1656. 14. Septembris. Romanorum Imperator electus Francofurti 18. Julij an. 1658. ibidémque coronatus 1. Augusti. Imploratus à Rege Poloniæ Joanne Casimiro & Friderico III. Daniæ Rege pro ijs feliciter bellum gessit & pacem an. 1660. procuravit. Post hæc magnorum Regum exemplo Provincias suas inspicere cœpit, nec Styriam, Carinthiam, & extremam Carnioliam omisit, cùm ecce inexpectato bello à Turcis, quo fœdus & fidem juratam abruperant an. 1663. petitur, ijsque fortiter resistit; dein Comitia Imperij Ratisbonæ, auxilia petiturus an. 1664. celebravit; mox reversus Inferiorem Ungariam Turcicam perterruit, & Canisâ frustra tentatâ Nitriam à Turcis recepit; victoriæ minores secutæ sunt multæ. Inter majores ad Levenzam, quam fugatis Turcis Duce Souchesio recepit; tandem suorum copijs & Christianorum aliorum auxilijs memorabilem de Turcis victoriam ad S. Gothardum reportavit anno 1664. victi tanto prælio Turcæ perlibenter ad annos viginti in pacis leges consensêre; munera dein ultrò citróque; ut mos est, Viennam & Constantinopolim anno 1665. missa; pace fruente Cæsare, ecce ultimus Tyrolensium

Nativitas. Coronæ. Res gestæ in compendio narrantur.

ſium Archi-Dux Sigiſmundus Franciſcus anno 1665. 25. Junij emoritur; omni ejus ditione ad Auguſtiſſimum devolutâ, factûmque eſt, ut unus LEOPOLDUS omne Domûs Germanico Auſtriacæ Patrimonium obtineret. Poſt bellum Turcicum, aliud non minùs periculoſum geſtum eſt: pro defenſione Imperij ſuſceptum, & pace demum Noviomagenſi anno 1679. terminatum. Ad Noviomagenſem hanc pacificationem alluſit nonnemo ironicè hoc verſu:

Proſpicitur modò; quòd durabunt tempore longo
Fœdera: nec Patriâ Pax citò diffugiet.

Sed veriorem & contrarium omninò ſenſum dat præpoſtero ordine lectum, & aliter interpunctum.

Diffugiet citò Pax Patriâ: nec fœdera longo
Tempore durabunt; quod modò proſpicitur.

Poſt pacificationem Noviomagenſem anno quinto, nempe 1683. fœdifragi Turcæ bellum adversùs Domum Auſtriacam moverunt; quod ut gloriosè & feliciter ad honorem Dei & Eccleſiæ cedat, omnes boni, quibus Religio cordi, & quibus Fides Chriſtiana Regnis potior eſt, apprecantur. Nunc quod in alijs obſervavimus, ſubjungimus.

Matrimonia ſeu Conjuges Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi.

Uxor I. I. Margareta Infans Hiſpaniæ nata an. 1651. die 12. Julij, nuptias habuit Viennæ an. 1666. obijt an. 1673. 12. Martij, Mater duorum filiorum & trium filiarum.

Ferdinandus natus an. 1667. 28. Septembris, obijt an. ſequenti 13. Januarij.

Maria, Antonia, Joſepha &c. nata an. 1669. 18. Januarij hodiéque ſuperſtes. Uxor Sereniſſimi Ducis & Electoris Bavariæ Maximiliani II.

Joannes natus anno 1670. 20. Februarij ſtatim mortuus.

Maria nata an. 1672. 9. Februarij, eodem menſe obijt.

Margareta an. 1673. deceſſit.

Uxor II. II. Claudia, Felicitas, Ferdinandi Caroli Archi-Ducis filia, quam Græcij duxit an. 1673. 15. Octobris, obijt an. 1676. die 8. Aprilis, Mater duarum filiarum: Annæ Mariæ & Mariæ Joſephæ, quæ infantes obiêre.

Præmemoratæ Auguſtiſſimæ proles omnes natæ ſunt Vien.

Uxor III. III. Eleonora Magdalena Thereſia Philippi Wilhelmi Ducis Neoburgici filia, quam duxit Paſſavij eodem anno, 14. Decembris. Hæ nuptiæ ſpem omnibus bonis faciebant verificandæ

dæ omnino illius jam olim factæ prædictionis, nempe: Quòd Augustissima Domus Austriaca à Cæsare Leopoldo rursus multiplicabitur, copiosisque hæredibus & successoribus beabitur.

De hac sponsa nonnemo epigrammate lusit sequenti.

Velle Palatinam viduata palatia sponsam
 Vox populi vox hæc sit Leopolde Dei.
Ter bona ter fæcunda, Domus, septémque ter annis
 Natáque nominibus tertia Sponsa tribus.
Tres Regnis tribus Hæredes dabit inde, quòd ipsa
 Nata trium Regum sit Leonora die. An. 1655.

Chronographicum exprimens annum nuptiarum.

ELeonora theresIa De neobVrgICa stIrpe tertIa IMperatorIs VXor.

Proles ex hoc matrimonio natæ.

Ex ea Proles.

I. Anno 1678. 26. Julij Viennæ Josephus.
II. 1680. 13. Decembris Lincij Maria Elisabetha.
III. 1682. 2. Junij Viennæ Leopoldus Josephus. ob. 1684.
IV. 1683. 7. Septembris Lincij Maria Anna.
V. 1684. 22. Augusti Viennæ Maria Theresia.
VI. 1685. 1. Octobris Viennæ Carolus.
VII. 1687. 6. Martij Viennæ Maria Josepha.
VIII. 1689. 26. Martij Viennæ Maria Magdalena.
IX. 1690. 22. Julij Viennæ Maria Margareta.

His addere lubet stemma Habspurgo-Austriacum Augustissimi Cæsaris Leopoldi in Linea recta, & Caroli II. Regis Hisp.

Linea recta Cæsaris Leopold. I.

I. Rudolphus I. Habspurgicus natus anno 1218. Imperator Electus anno 1273. obijt an. 1291. Uxor Anna Comitissa ab Hohenberg, ob. an. 1281.

|

II. Albertus I. Dux Austriæ, & Imperator natus anno 1246. obijt anno 1308. Uxor Elisabetha filia Meinhardi II. Comitis Tyrolensis, quæ obijt anno 1313.

|

III. Albertus II. Dux Austriæ dictus Contractus, obijt anno 1358. Uxor Joanna filia Udalrici postremi Comitis Pfiretarum.

*pag. 47. post verbũ Lotharingiæ ponendum fuit à capite *Filij Alberti II. Ducis Austr.*

|

IV. Leopoldus Cognomento Probus, & Militiæ Decus, Dux Austriæ, ob. an. 1386. Uxor Viridis Vice-Comes Mediolanensis, quæ obijt post an. 1425. in Carniolia, sepulta Sitticij.

|

V. Ernestus cognomento Ferreus Archi-Dux Austriæ, obijt an-

no 1424. Uxor Cymburga Ducissa Mazoviæ, filia Zemoviti.

VI. Fridericus V. Cognomento Pacificus Imperator, obijt anno 1493. Uxor Eleonora filia Eduardi Regis Portugalliæ.

VII. Maximilianus I. Archi-Dux Austriæ, & Imperator obijt anno 1519. Uxor Maria filia Caroli Audacis Ducis Burgundiæ.

VIII. Philippus I. Archi-Dux Austriæ Rex Hispaniarum, obijt anno 1506. Uxor Joanna filia Ferdinandi, & Isabellæ Regum Catholicorum.

IX. Ferdinandus Archi-Dux Austriæ Imperator, obijt an. 1564. Uxor Anna filia Wladislai Ungariæ, & Bohemiæ Regis.

X. Carolus Archi-Dux Austriæ Dux Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ, ob. an. 1590. Uxor Maria filia Alberti Ducis Bavariæ.

XI. Ferdinandus II. Archi-Dux Austriæ Imperator, obijt anno 1637. Uxor Maria Anna filia Guilielmi Ducis Bavariæ.

XII. Ferdinandus III. Archi-Dux Austriæ Imperator, ob. anno 1657. Uxor Maria Infans Hispaniæ, filia Philippi III. Regis.

XIII. Leopoldus Archi-Dux Austr. Imperator Augustus.

Linea recta Caroli II. Hispaniarum Regis Habspurgo-Austriaci.

Linea recta Caroli II. Hisp.

Philippus I. Archi-Dux Austriæ filius Maximiliani I. Cæsaris. Rex Hispaniarum I.

II. Carolus V. Cæsar Maximiliani I. nepos, ob. 1558.

III. Philippus II. Pronepos, ob. 1598.

IV. Philippus III. Abnepos, ob. 1621.

V. Philippus IV. Atnepos, ob. 1665.

VI. Carolus II. Trinepos.

Imperatores Habspurgo-Austriaci ordine propositi, omissis personis, quæ ad connexionem necessariæ non sunt.

Series Imperatorũ ex Domo Austriaca.

I. Rudolphus I. Habspurgicus Imperator natus an. 1218. Electus Imperator an. 1273. ob. an. 1291.

II. Albertus I. Austriacus Imperator natus circa acnum 1246. Electus Romanorum Imperator an. 1298. ob. an. 1308.

III. Fri-

III. Fridericus III. Dux Austriæ Imperator, natus circa annum 1286. Electus an. 1314. ob. an. 1330.

Albertus Sapiens Dux Austriæ natus circa an. 1297. ob. 1358.

Leopoldus III. Archi-Dux Austriæ natus an. 1342. ob. 1386.

Albertus III. cum Trica Archi-Dux Austriæ natus circa an. 1341. ob. 1395.

Ernestus Ferreus Archi-Dux Austr. natus an. 1377. ob. 1424.

Albertus IV. Archi-Dux Austriæ natus 1377. ob. 1405.

V. Fridericus V. Pacificus natus an. 1415. electus an. 1440. obijt an. 1493.

IV. Albertus V. Archi-Dux Austriæ Imperator hoc nomine II. natus an. 1395. electus an. 1438. ob. 1439.

VI. Maximilianus I. Archi-Dux Austriæ natus an. 1459. electus Imperator an. 1486. ob. an. 1519.

Philippus I. Rex Hispaniarum natus an. 1478. .Inauguratus Rex Hispaniarum 1502. obijt 1506.

VII. Carolus V. Archi-Dux Austriæ natus an. 1500. electus Imperator an. 1519. ob. an. 1558.

VIII. Ferdinandus I. Archi-Dux Austr. natus an. 1503. electus Romanorum Rex an. 1331. ob. an. 1564.

IX. Maximilianus II. Archi-Dux Austriæ natus an. 1527. electus Imperat. an. 1562. ob. 1576.

Carolus Archi-Dux Austriæ natus an. 1540. ob. 1590.

X. Rudolphus Archi-dux Austr. natus an. 1552. electus Imperat. an. 1575. ob. an. 1612.

XI. Matthias Archi-dux nat. an. 1557. electus Imperat. 1612. ob. 1619.

XII. Ferdinandus II. Archidux Austriæ nat. an. 1578. electus Imperat. an. 1619. obijt anno 1637.

Ferdinandus III. Archidux Austriæ natus an. 1608. electus Imperator an. 1636. ob. an. 1657.

Ferdinandus IV. Archi-Dux Austriæ, natus an. 1633. electus Romanorum Rex an. 1653. obijt an. 1654.

Leopoldus Archi-Dux Austr. Ferdinandi IV. frater, Germaniæ Regum ac Imperatorum quinquagesimus, natus an. 1640. 9. Junij, electus Imperator Francofurti 18. Julij an. 1658. eodémque anno 1. Augusti coronatus, sicque quinquagesimũ numerum, *sanctissimum numerúmque naturæ gratissimum*, ut loquitur Philo feliciter & augustè terminavit. Cujus Serenissimus filius Josephus, Archi-Dux Austriæ, Romanorum Rex an. 1690. 26. Jan. Augustæ Vindelicorum, Regio Romanorum Diademate insignitus, ut Jubileum annum, qui eidem Philoni *exordium rerum omnium* significat, feliciter inchoet, & in Augustissima Domo Austriaca continuâ serie, felicissimè impleat, vovet Imperium, vovent Regna, vovent subditi populi, desiderántque omnes; ut impleatur in eo illud Virgilianum Augusto Cæsari vaticinium pronuntiatum:

Lib. de vita supplicũ.

Lib. cit.

Lib. 1. Æneidos.

Imperium sinè fine dedi.
Moderníque belli tumultibus peccatis;
Imperium Oceano, famam qui terminat astri. (d) ibid.

Ad Lectorem.

Illud ad extremum occasione hactenus dictorum benevolum lectorem monitum ac rogatum cupio, ut si per decursum lectionis in errores nonnullos typographicos & amanuensis inciderit, benevolentiâ suâ juxta errores in calce libri expositos emendet. Neque enim authori licuit semper adesse per varias Bibliothecas ac ipsam etiam Cæsaream Operis continuandi gratiâ avocato ac itineribus distracto. Demum sibi persuasum velit, in rebus humanis nihil ex omni parte perfectum & absolutùm esse: In multis etiam typis tum ponendis tum revidendis facilè offendimus omnes.

A. M. D. G.

Annotationes quædam circa errores librorum ad excusationem ſcribentium proponuntur, & non nulla pro Hiſtoria Auſtriaca obſervanda decernuntur.

HOmines ſumus, ſinè labe neque gignimur, neque gignimus quidquam. Juſtus Lipſius fatetur de ſuis operibus Centuriâ I. Epiſtola 32. *Et lapſus alibi ſum, & quædam mihi elapſa: ſemitam ſæpè ingredior cùm maximè cenſeo viam, & gratiam ſeriò habeam, ſi quis corrigat, dirigat*, reducat. Georgius Heſſerus S. I. in præfatione operis ad Lectorem qui Pſalmos explicat. *Nullus ſanè viri probi liber non aliquam frugem facit; ut ſit, qui non ſimul & ſenticoſum quid immiſceat. Eſt hæc humanorum ingeniorum miſera conditio, nihil ex omni parte beatum, omnibusque numeris abſolutum, quantam ea cunque induſtriam adhibeant, elucubrare.* Adeo libris adhærent, iiſque perpetuò ſui denique inſunt errores, ſive autoribus ipſis, ſive librarijs imputandi, neque ulla ſatìs quantavis demum induſtriâ atque doctrinâ evitabiles, ut facilius ſit roſam invenire ſinè ſpina, quàm librum ſinè errore. Et Eruditiſſimus Marcus Velſerus lib. 3. Rerum Boicarum ait: *Unius interdum Scriptoris inſcitiâ atque temeritas, incurioſa ſequentium credulitate evaleſcit, & obiter etiam mendoſè, vitioſèque dicta in uſum tranſeunt.* Ità ille. Hinc fit quòd aliquorum Scriptorum poſterior labor fiat accuratior; non pudet fateri clarè ubi peccatum fuerit, fiunt variæ Annotationes, Mutationes, Correctiones. Joannes Bollandus S. I. præfatione in Januarium fatetur. Si alicubi erravi, date veniam & admonete. Habebo gratiam & errata retractabo. Et cur pudeat quòd perperam ſcripſerim cùm magnus ille Annalium Scriptor in ijs atque ipſo etiam Martyrologio à ſe tantô ſtudiô & curâ recognitô, poſtea quædam repererit quæ emendanda cenſeret, quod demum Pontificis Maximi Auctoritate perfectum eſt? quid quòd in ipſo quoque publicarum precum Breviario diligentiſſimè fuit quoque emendatum. Nec me pudebit errores meos animadverſos per decurſum temporis corrigere. In errore perſeverare Scriptoribus eſt ſemper probroſum, ſed retractare, poſtquam innotuerunt, errata ſemper commendabile apud univerſos. Sæpe ex diſcrepantia, quam Lector in alijs hiſtoricis reperit ſcriptorem arguit erroris, ſed hæc diſcrepantia inter ſcriptores reperta, fit nonnunquam ex eo, quòd Scriptores ipſi quos allegamus ſæpè varient. Exempli gratia Nicolaus Vernuleus in Hiſtoria Auſtriaca ponit de Clypeis Auſtriæ tres aurei coloris fuiſſe alaudas, alij & rectius, aſſignant quinque. In deſcriptione Auſtriæ etiam variant ſcriptores, qua de re lib. 2. Pag. 212. Atverò quod Menſes & dies, imò

etiam nonnunquam annos concernit non parva est discrepantia inter Historicos, quos allegamus, quæ vel exinde oritur quod alius nonnunquam utatur stylo novi, alius veteris Calendarij, alius noctem præteritæ, alius posteræ diei conjungit. Verbo: in scriptione librorum rarissimus sibi promittere potest quòd nuspiam cespitaverit; sed nec ullus unquam hoc Scriptionis genus exercuit sine nævo. Nam ipsa quoque MMSS. quibus plus fidimus, quàm impressis, suos sæpe patiuntur manes, dum ab invicem discordant: & facilis est calami lapsus etiam attento scriptori. Multa peccant amanuenses, multa Typographi, quibus contigit malus descriptor, negligens corrector, absens Author & quod omnium pessimum est: negligens Typi positor, qui nictitante vel somnolento oculo correcturas inspicit, atque ità præterit, non prætereunda. Tentavimus multa conciliare, omnia non licuit, neque potuimus. Magna quoque discrepantia, & perturbatio Autores inter provenit in enumerandis Ducibus, & Archi-Ducibus, quorum nomina subinde prætermittuntur, quod ex eo accidisse reor, quòd sub infantia extincti sint, atque adeo ad regimen Provinciarum haud provenerint. Advertit hæc Joannes Ludovicus Schönleben, & spatio annorum 20. ex Adversarijs statuit in Ephemeride Habspurgo-Austriaca emendatius producere, sed morte præventus non præstitit. Sic fit cum Scriptoribus, maximè qui magnum opus sibi scribendum assumunt, ut raro illud finiant; ego equidem a me Synopsim augendam, spectando præsentes vires meas omnino despero, relicturus post me ingentem fascem notatorum Chronologicè deductorum. Curiosus lector patientiâ digerat, quæ malè posita suspicabitur interim annoto errores quosdam, & in primis pag. 15.

Irrepserunt præter insinuatos supra, errores non nulli, qui etiam in Austriaca apud alios quosdam historicos solent reperiri. Sed nè multitudine Lectori nauseam pariam, prætermissis levioribus qui ex se patebunt, aliquot tantùm majores hoc loco subjiciam. Reliquos benevolus Lector pro sua benignitate, aut corrigat, aut condonet. Honestus est error magnos Duces sequentibus, quo se dicto egregij sæpe scriptores excusare solent, ùt apud Balbinum in ejus operibus videre est, præcipuè in fine; Item apud Lambecium qui adjicere solet: *Omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare divinitatis magis, quèm mortalitatis est.*

Paginâ igitur 29. dele Austriæ, quia Rudolphus I. Imperator non fuit possessor Austriæ anno 1268. Pag. 15. dele Theses ex parte, & in fine folij ejusdem adde: Iccarijque Canis. Pag. 151. Symbolum Ferdin: I. Imp: verius fuit: *Fiat justitia nè pareat mundus.* Pag. 155. Josephus Archidux in Regem Romanorum 26. Januarij coronatus est. Pag. 166. legi

legi debet loco Heriberti Ducis Bavariæ: Alberti IV. NB. Lector à pagina 177. (ubi ponitur erroneè elucescet locò elucet) quotiescunque usque ad paginam 211. legerit Fridericus III. vel IV. Imperator, legendum erit semper Fridericus V. qua de re dictum est fusè pagi: 302. In Alberto I. Imper. semel pro semper observandum erit obijsse illum 1308. Quæ autem de Ladislao & Wladislao Regibus Ungariæ aliquando inseruntur, confusio fit in nomine ipsorum, & error agnosci potest in Chronologia annorum.

Cæteri errores in Libro I. per se patebunt, quem admodum in Libro II. ubi error Typographi sub finem pag. 251. legitur amplectimus, pro amplectimur, & paulò ante pag. 235. pro pietate, Beatæ. Conradus de Monachio non fuit Prior Maurbacensis Carthusianorum, uti in indice pag. 553. notatur, sed Augustinianorum Eremitarum Monacensis Prior. Friderici *pulchri* Imperatoris lemma vel Symbolum fuit: *Stat adhuc*, & corrigitur, Typographus qui pag. 359. sat ad huc posuit. Error est etiam Historicorum quorundam qui annotârunt obijsse Guilielmum Ducem Cliviæ anno 1585. qui veriùs mortuus est juxta Historiam Circuli Westphalici anno 1592. ad initium Januarij. Præter hos errores si Lector & alios deprehenderit eos ipse corrigere potest, quos ego consultò præterij, imò totam Genealogiam S. Leopoldi Marchionis Austriæ, de qua pag. 6. mentionem facio & pag. 181. Noto & corrigo Schönleben, qui scripsit Cæciliam Reginam Poloniæ obijsse 1648. quæ obijt anno 1644. Idem malè notavit Christinam Reginam Sveciæ resignâsse coronam Anno 1653. melius annum abdicationis posuisset 1654. Notet demum Lector ad corrigendam exactiorem Chronologiam optimum fuisset, si ea signata fuisset non cifris seu notis, sed integris literis per quod plurima errata excusari potuissent; Zifra O quæ sola nihil quidem denotat, ideoque vulgò *nulla dicitur* Arithmeticis; addita verò alijs semper numerum auget, & totam Chronologiam immutat. Hæc circa Annotationes & errores Librorum ac Scriptorum observanda habui, quæ Libro I. & II. impressò emendatione indigebant.

ANNALIUM
ET
ACTORUM PIETATIS
AUGUSTISSIMÆ
ET
Serenissimæ Domûs
HABSPURGO-AUSTRIACÆ
LIBER I.
RUDOLPHI I. PIETATEM COMPLECTENS.

Prooemium.

PIetatem Auguſtiſſimæ & Sereniſſimæ Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ narrare, & quæ de ea ſparsìm in multis monumentis, nec non ſedulis variarum claſſium Scriptoribus habentur, quorum legendorum mihi facultas conceſſa eſt, eâ integritate atque induſtriâ, quam habere potui, in unum collecta ad imitandum exhibere aggredior. Nulli ætati, ordiníque deerunt pulcherrima ad imitandum incitamenta & exempla: neque ad pietatem ſola pietas, ſed exercita in eam *familiam & dominam è cœlo ortam ad imperia terrarum*, per varias fraudes impietas proderit, hæc odiô, illa amore provocabit: cùm *aliorum non minùs offenſionibus cavere, quàm prudentiâ diſcamus ſapere.* Inveniet virtuoſus Lector in hac Auguſtiſſima Domo cultûs Evcharistici, Beatiſſimæ Matris & Sanctorum exempla, munificentiam in ſacraria, in pios manes pientiſſima ſuffragia, in vivos denique virtutum omnium apicem & complementa. Deteſtabitur idem virtuoſus Lector conatus, quos virtutis & pietatis oſores in cultum Evchariſticum & ſacra omnia ipſúmque Auguſtiſſimæ Domûs interitum & exciſionem moliebantur. Hæc porrò narraturus; à verborum elegantia & ſtyli ſublimitate abſtinere cogor, quia annis viginti ſeptem nobiſcum literæ ruſticabantur. Quanquam malo uti & verborum & ſtyli claritate, ut ab ijs etiam, qui mediocri doctrinâ ornati ſunt, intelligar & quod maximum eſt, magís Auſtriacorum Principum virtutes, quàm eloquentia authoris inclareſcat: neque me latet Ciceronis mens, quam Libro tertio de finibus his verbis expreſſit: *Grandiores*, inquit ille, *res dicere ornatè, puerile eſt, planè autem & perſpicuè expedire poſſe, docti & intelligentis eſt viri.* Et ſecundùm Euripidem: *Simplex ſit*, & nuda, *oratio veritatis.* Conor etiam non ſolùm ſenſum, ſed etiam verba dare laudatiſſimorum quorúmque ſcriptorum, etiam diverſis è Manuſcriptis eruta, nolens per variam verborum immutationem aut virtutis excellentiam deprimere, aut rerum narrandarum æſtimationem per hyperbolem attollere.

Scopus Authoris.

Lipſius in præfat. in Admiranda.

LIBRI I.

CAPUT I.

Rudolphi I. Cæsaris nativitas, Parentes, educatio, militia, Aula, & nominis Rudolphi varia Etymologia.

Rudolphi I. Cæsaris nativitas. *Speculum honoris Domûs Austr. Joan Jacobi Fugger lib. 1. c. 6.*

RUdolphus è Comitibus Habspurgicis Imperator Romano-Germanicus nominis hujus primus Sceptris, Imperióque fæcundi stemmatis author futurus, annô salutis humanæ 1218. ipsis calendis Maij in superiori Alsatia Limburgi, ditione paternâ nascitur. Pater illi Albertus Comes Habspurgicus; Mater Hedvigis, filia Hermanni senioris Comitis Kyburgensis. *Sapientem* alij, alij *Exulem* Albertum cognominârunt, felici prorsus omine, ut nimirùm jactis ab ipso fundamentis, Sapientia ædificaret sibi Domum Augustam in Austria, ceu propugnaculum adversùs Christiani nominis hostes; quando ipse spontaneô quasi exiliô, contra eosdem decertans, vitam posuit in *Terra Sancta.* Ob aëris inclementiam morbô correptum Albertum, & extinctum asserunt plerique; non desunt tamen, qui in prælio cum Saracenis fortiter dimicantem occubuisse ad Accaronem Urbem Palestinæ, instauratam ab Herode, in gratiam Augusti Cæsaream dictam, ibidémque ceu Christi fidei Testem, ac Martyrem laudatum, cultúmque ab incolis asseverent.

Parentes. Patris militia, & mors gloriosa.

Schönleben de Prærog. Austr. Cæs. c. 8. p. 136. Guillim. l. 6. Habspurgiacorum.

Hujus Alberti abeuntis è patria præclaram, & pietatem spirantem cohortationem ad filios hisce expressit Guillimannus: *Ad hos*, inquit, *conversus, quæque honesta, quæque utilia essent proposuit, injunxítque; fidem ante omnia, & promissa nè fallerent, Pietatem semper colerent: Consiliarijs, licèt in speciem commodis, re ipsâ falsis, & ad rem suam intentis, nè aures, & animum darent; bella nè affectarent, &c. Paci universæ privata quoque commoda postbaberent. Postremò ita statuerent Habspurgi Comites virtute non fraude; honoris publici, & utilitatis communis curâ & cupidine, non per insolentiam, & propria emolumenta eam apud mortales in opinionem & famam pervenire, ut pauci quidem sui ordinis eos præeant, plerique concedant. Quâ viâ si sequantur, non in dubium vertere, quin à Majoribus parta non modò retineant, sed etiam augeant, & in ampliorem dignitatem provehant.* Ita suos allocutus filios, augur fuit Rudolpho postmodum ad Imperij sceptra vocando.

Idem l. 6. f. 268.

De

De conjuge Alberti memoriæ Cœnobij Tullnensis Sanctimonialium Ordinis Prædicatorum produnt, post mortem mariti assumpsisse eam habitum S. Dominici, & emissâ professione in sacra S. Dominici familia ad extremum vitæ pientissimè vixisse. Cujus exemplum filia Kunegundis secuta, in eadem religione, vitâ probè functâ tandem decessit. Mater Rudolphi institutum Sanctimonialium D. Dominici cum filia Kunegunde amplectitur.

Rudolphus interea in pietate, literis, & exercitijs, quæ nobilitatem condecorant egregiè instructus, annô ætatis suæ octavô ac decimô completô, militis simul & Imperatoris rudimenta ponit sub Friderico II. Cæsare, qui eum è sacro fonte levârat. In hac aula Rudolphus degens, non solùm apud Fridericum, sed apud omnes propter virtutem & pietatem ea in veneratione fuit, ut cùm Cæsarem adiret, omnes ei Aulici assurgerent. Inter eos, quibus venerationi erat Rudolphus, fuit insignis Cæsaris Friderici Mathematicus, qui observatus à Cæsare, quòd impensiùs Rudolphum revereretur, causam tantæ propensionis rogatus liberè respondit: *Majestatis vestræ in Imperio olim successorem veneror.* Anno Christi 1240. seu ut alij volunt quadragesimo quinto uxorem duxit Annam Comitissam Hohenbergicam, ex qua sub finem ejusdem anni natus est Rudolphus, qui anno ætatis suæ duodecimo obijt; & anno insequente Albertus posteaCæsar, licèt non immediate in Imperio successor. Temporibus Rudolphi Cruce signati in Syria rem non secundo adeò successu gerebant, condolente ijs plurimùm Rudolpho, qui paternis vestigijs insistendo, omnem opem, ipsámque adeò vitam, pro recuperatione *Terræ Sanctæ* paratus erat impendere. Præfuit eâ tempestate bellorum Ecclesiæ universæ Innocentius IV. Pontifex, qui de *Terra Sancta* suorum Prædecessorum exemplo solicitus, ut muri Hierusalem reædificarentur, scriptis ad omnes Principes Christianos literis, hortatus est, manus adjutrices ei operi porrigerent: ad quod etiam Rudolphus egregiè suam contulit operam. Quæ post paternam hanc invitationem in Italia & *Terrâ Sanctâ* acta sunt, lacrymis quàm calamo digniora sunt. Optandum fuisset, ut Fridericus Martios ignes, aut temperâsset, aut in alium hostem, quàm Romanum Pontificem direxisset. Interim Rudolphus ea in æstimatione fuit Friderico II. Cæsari, ut eum ad maxima quæque testem adhibuerit: nam dum Viennæ Austriæ celebrem Principum, populorúmque Conventum ageret, adesse etiam oportuit Rudolphum Alsatiæ Landgravium, quo præsente Austriæ Duces Babenbergicæ jam jam interituræ Familiæ ornantur

Rudolphi educatio.

Aula apud Cæs. & in ea veneratio.

Prædictio Astrologi.

Matrimonium cū Anna Hohenburgica.

Solicitudo Pontif. de Terra Sancta conservanda.

Æstimatio Rudolphi in Aula Cæs. Friderici.

nantur privilegijs, quibus Rudolphi posteritas tandem frueretur, nimirum: Crux Regalis pileo Ducali est imposita, adhibito sic inter testes Rudolpho, qui in privilegij Diplomate, teste Schönleben, insolito id ætatis more *Nobilis Comes* appellatus est.

Floret Albertus M. Dominicanus.

Præmemorati Cæsaris temporibus literis virtutibúsque florebat decus illud eximium Prædicatorum Ordinis Albertus Magnus titulo *Beati* hodiedum ab Ecclesia decoratus. Is priusquam ad sedem Episcopalem Ratisbonensem assumeretur Confessarius Rudolphi fertur extitisse. Qua de re paginâ 31. & 97. plura adferemus.

Mors ultimi Ducis Austriæ.

Anno 1246. Fridericus Dux Austriæ, initô præliô contra Belam Regem Ungariæ, propè Neostadium in Austria, pœnas tandem dedit suæ inquietudinis 15. Junij occumbens. Ex cujus morte quæ in Austria evenerunt Lib. 2. pag. 222. pluribus indicabimus. Errant, qui hodiernos Principes Habspurgo-Austriacos lineâ virili à Divo Leopoldo Marchione Austriæ descendere putant: siquidem prosapia Babenbergica, omnibus historicis consentientibus in præmemorato Friderico defecit. De fæminea linea quæstio est, an scilicet per fæminas sanguis D Leopoldi Marchionis in gentem Habspurgo-Austriacam sit infusus. Id cùm quidam negarent, & nonnemo Genealogistarum diceret, se in eam rem inquisivisse diligenter, neque tamen ullum hujus consanguinitatis vestigium deprehendisse affirmaret, Patriæ nostræ Historiographus præcipuus R. P. Bohuslaus Balbinus Societatis Jesu Tabulam Genealogicam confecit, eámque Tabulario Stemmatographico seu Genealogicis Tabulis Regni Bohemiæ inseruit. Mihi hæc obiter proponere hìc visum est; rem autem ex præfato Historiographo demonstrare infrà capite trigesimo pag. 181. Hunc Divum Marchionem Austriæ vetus M S. Chronicon Austriæ Anonymi etiam Ducem nominat. Causam tituli lector paginâ nonâ reperiet.

An posteri hodierni Principes Austriaci lineâ virili sint sanguis Divi Leopoldi Marchionis.

Friderici II. Cæsaris mors.

Anno 1250. Fridericus II. Imperator moritur, ætatis suæ annô quinquagesimô supra septimum. Vir sanè magnus, si impotentes animi motus comprimere potuisset, quos tamen Principes in magna fortuna nati, & educati rarò domare solent.

Eligitur in Regem Romanorum Wilhelm⁹ Comes Hollandiæ.

Morte Friderici necdum quies Imperio reddita est, quamvìs favente Pontifice, jam anno 1248. Electores Wilhelmum Hollandiæ Comitem Romanorum Regis titulo ornâssent. Quo etiam tempore bellum sacrum languere cœpit. Quod licèt Ludovicus nonus Galliæ Rex magno animi ardore resumpsisset,

post

post multa à Christianis magna virtute gesta, eò demum ventum est, ut sanctus Rex cum parte præcipua copiarum captivus in manus hostium venerit, quas nec evasit antè, quàm redditô Pelusiô, ingens auri pretium pactus pro capite saluteque suorum expenderit. Bellum porrò pro recuperatione *Terræ Sanctæ* penitus expirâsse visum, ac proinde Rudolpho Habspurgico Hierosolymam adeundi & contra hostes Christiani nominis pugnandi occasio sublata. Interim alia sese occasio bellandi obtulit Rudolpho, quando, ut mox videbimus anno 1253. 22. Septembris moritur Wenceslaus Bohemiæ Rex, ætatis anno 47. Huic Regi fatalis venatio, qua tamen maximè oblectabatur, fuit, in qua primò alterum oculum amisit (ideo *Luscus* à Scriptoribus appellatur) & iterum dum intempestivè venaretur, morbum contraxit. Fuit Rex liberalissimus, & frequenter illud habebat in ore: *Liberali Principi nihil unquam deesse.*

Mors Wenceslai Regis Bohemiæ.

Wenceslao Rege vitâ functo, Przemyslaus Ottocarus, vel Ottogarus, filius ejus, Regni Bohemici, simul & Provinciarum eidem annexarum sceptra adeptus est: *qui Duces Regésque omnes, qui antehac Bohemis præfuerunt, gloriâ, virtute, opibúsque superavit*, ab hospitalitate *Hostimil* vocatus. Hic annô regiminis sui secundô, hortatu Romani Pontificis Alexandri IV. expeditionem adversùs Prutenos, in vicinos Christianæ Religionis populos immaniter sævientes, suscepit, *Signo Crucis*, verba sunt Anonymi, accinctus, quem multa turba Nobilium Bohemiæ, Moraviæ & Austriæ secuta est.

Succedit filius Przemislaus, & Prutenos bello petit ad finem anni 1254.

In hac expeditione Ottocari fertur militâsse etiam Rudolphus Comes Habspurgicus, & multùm in debellandis Idololatris Pruthenis virtute sua militari profuisse, ut plurimi eorum Religionem Christianam amplexi sint.

Anno 1260. Bela Rex Ungariæ augendi regni cupidine flagrans, bellum Ottocaro Regi, Austriæ & Styriæ recuperandæ causa inferre constituit, collectísque ducentis millibus & ampliùs armatorum, & Moravâ flumine ad Marhekum oppidum superato, in Austriam movet. Ei Ottogarus Rex cum suis obviam progreditur. Impar tamen numero & viribus, non tam virtute suâ, quæ modica fuit, quàm manifestâ Dei cælitúmque ope, solemnem illam, omníque ævo memorandam, de hostibus victoriam obtinuisse creditur; id quod etiam ipsemet epistolâ ad Alexandrum IV. datâ profiteri non dubitavit, victoriam illam soli Deo Optimo Maximo referens. In hoc prælio Rudolphus

Rex Ungariæ bellũ Ottogaro Regi infert.

Ottogari victoria.

Comes Habspurgicus grandem fortunam suis visus est humeris sustinere equitatu, cui speciali titulo præfuit, hostilem impetum gloriosè sustinendo. Referunt historici Bohemiæ Ottocarum in castris Belæ tantum auri nactum esse, ut aureum posthac pro argenteo abacum sibi ad mensam instruxerit, aureósque calices ad aras, & aurea thuribula facienda curârit: tantum præterea manubiarum, ut præter donativum militibus affluenter dispertitum, tam larga adhuc superesset de reliquo pecunia, ut inde nobile in Bohemia Cœnobium Ordini Cisterciensi, quod Regiam Coronam vocari voluit, condere potuerit.

Spolia ex hoste.

Fundatio pro Ordine Cisterc.

Eâ victoriâ tantum authoritatis & potentiæ sibi comparavit Ottogarus, ut Italiæ populi Veronenses, Tarvisani, ac totum penè Forum Julij ultro sese ejus tutelæ submiserint. Interea quantùm aucta Ottogari potentia est, inquit Sylvius, tantùm etiam insolentia crevit, ita ut oblatum ab Electoribus Romanum Imperium acceptare noluerit. Post hæc Rudolphus à diversis ad belli munia vocatus feliciter rem gessit, ubique Marte & arte victor.

Histor. Bohemiæ. c. 27.

At inter arma non deerat Pietati ac Religioni Rudolphus, damnavítque illud factis pluribus, quod de viris militaribus circumfertur:

Rara fides pietásque viris qui castra sequuntur.

Celebratissima vivit Recordatio Anno 1264. exhibitæ venerationis sacrosancto Evcharistiæ Sacramento. Inde Rudolpho diadema; inde Domui felicitas & incrementum. Quæ priusquam recensenda aggrediar, juvat notare Augusti nominis Rudolphi acceptionem.

Notius est, quàm ut probatione indigeat, inquit Clarissimus Lambecius, Rodolfus, & Rudolfus corruptè dici pro Radulfus, sive Rath-hulf, hoc est græcè σύμβουλος, vel ἀλεξίβουλος, Latinè autem, *Consilio adjuvans*, seu, ùt Cicero lib. 3. de Legibus loqui amat, *Consiliarius* atque administer. Nos ex usu communi scribemus Rudolphus, vel Rudolfus, atque ostendemus præsenti opere Rudolphum non solùm consilio, sed industria & opere valuisse ad Pietatem ubivis per se suosq; Posteros inducendam. Quam adeò ad omnia utilem esse ostendit, ut per eam maximos Imperij tumultus fluctúsque componere & sedare potuerit. In hoc mihi tamen Eruditus Lector monendus videtur, ne eam in opinionem inducatur, me solam Pietatis narrationem

Etymolog. nominis Rudolphi.
Commentario de Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, seu Viennensi l. 2. c. 8.

nem ſuſcepiſſe, adjungam nonnunquam Notas & Additamenta, quæ tamen propter connexionem materiæ ſcitu haud indigna, aliquando etiam neceſſaria erunt. Et locum primum S. Leopoldus Marchio Auſtriæ (juxta vetus M.S. Chronicon Auſtriæ Anonymi, etiam Dux nominatus, quòd oblatum titulum Ducis ab Imperatore modeſtiæ cauſâ ſuſcipere noluerit) ſibi jure vendicabat, ſiquidem ejus ſanguis, ùt paginâ quintâ inſinuatum eſt, in Auguſtiſſimam Gentem Habſpurgo-Auſtriacam infuſus eſt per fæminas lineâ rectâ uſque ad Auguſtiſſimum Cæſarem Leopoldum. Poſtulare etiam videbatur in Divum Marchionem gratitudo, ne præteriretur vel poſtponeretur alijs, ùtpote cujus auſpicio & patrocinio olim anniverſariâ die ipſi ab Eccleſia dicata compoſitio, ac tandem impreſſio Operis hujus initium ſibi ſortita eſt. Nec forſitan ingratum fuiſſet eruditionis amantibus, occaſione mortis Friderici II. Imperatoris bonarum artium fautoris maximi, & linguarum multarum peritiſſimi, ex nobis audire: ipſum non fuiſſe celeberrimæ Univerſitatis Viennenſis, ex qua tot tantíque viri in utraque Republica præſtantiſſimi prodiêre, Fundatorem; ſed decus illud ad Rudolphi I. Cæſaris poſteros pertinere. Quæ & alia conſultò hìc omittenda judicavimus, daturi prærogativam pro Notis & Additamentis capiti ſequenti, quo cultus SS. Evchariſtiæ à Rudolpho Comite Habſpurgico exhibitus (unde Familiæ Habſpurgo-Auſtriacæ omnis felicitas promanavit) deprædicabitur.

CAPUT II.

Rudolphi Comitis Habſpurgici Pietas & cultus SS. Evchariſtiæ. Vaticinium de ſecutura dignitate Cæſarea.

SS. Evchariſtiæ & Corporis Domini veneratio tintinnabuli ſonitu excitatur Coloniæ Agrippinæ. *Annales Trevirenſ. ad annum 1202.*

DUo Sæculô poſt Chriſtum natum 1200. quô anno octavo ſupra decimum, ùt vidimus, natus eſt Rudolphus Comes Habſpurgicus, & ſub hoc nomine primus in Romanorum Regem electus, video pro augendo cultu SS. Evchariſtiæ in Eccleſia eſſe conſtituta. In primis Guidonis, qui erat ex Abbate Ciſtercienſi Cardinalis, Præneſtinus Epiſcopus & Legatus Innocentij tertij Papæ dum anno 1202. Coloniæ Agrippinæ moraretur & ſalutares pióſque mores in eam urbem inducere cuperet, operâ factum eſt, quòd Evchariſtiæ & Corporis Domini veneratio tintinnabuli ſonitu excitata ſit. Rem Annales Trevirenſes Chriſtophori Broveri Societatis Jeſu hiſce commemorant. Ad elevationem hoſtiæ ſalutaris cernuum cupiebat procumbere populum audito ſonitu tintinnabuli, ac tantiſper humi proſtratum Dei pacem poſtulare ac veniam, dum calicis ritè conſecratio peracta foret. Ejuſdem hoſtiæ intemeratæ viatico ad infirmos de more per compita deferendo nolam adhiberi quoque placuit; cujus tinnitu populus ad præſens reverendũ Numen commonitus, ubi ubi Chriſtum Dominum in Evchariſtia adoraret. Deinde, ùt mox videbimus, Urbanus IV. Pontifex Feſtum Corporis Chriſti inſtituit, & quidem ipſo anno, quo Rudolphus piè admodùm SS. Evchariſtiam, dum ad ægrum deferebatur, honoravit. Hanc porrò Pietatem & fervorem in cultu erga Sacratiſſimam Evchariſtiam in medium daturi, non aptiori ſtylo ipſam exprimere valemus, quàm verbis Juſti Lipſij Scriptoris & elegantiâ ſtyli, & ingenio, ac eruditione clariſſimi. Ipſum itaque inſpiciamus.

Monit. Polit. Monito III.

Rudolphi Pietas & cultus SS. Evchariſt.

Te ne ego hìc (inquit) Rudolfe Auſtriace prætercam? te, qui fluctuans per diſſidia Imperium ſtabilijſti, & gentem fatalem ſceptris Regníſque propagâſti? Quo merito? inquirere in Deum & divina conſulta nefas, nec facio: ſed non eſt inquiſitio quæ in aperto ſunt memorare. Tu in modica adhuc fortuna, nec niſi Comes Habſpurgenſis Pietatis multiplex ſtudium prætuliſti: & illi ſequentem magnitudinem tuam vaticinia & divinæ voces adſcripſerunt. Unum videamus: Venatum fortè, ut nobilitas illa & noſtra ſolet, cum paucis in equo exiverat. Pluvius dies erat, & viæ fractæ & ſordentes: ecce occurrit Sacerdos, venerabilem

&

& mysticam hostiam, extremum solatium ægro laturus: & occurrit pedes, is aspectus pium pectus perculit, nec sine indignatiuncula aliqua equo desilit: &, *Me vehi, te, qui Servatorem meum portas, pedibus incedere? indecorum, vel impium sit: conscende, & equum hunc cape.* Jussio, non preces erant: paret ille, & iste capite revelato humilis sequitur, ad ipsas ædes ægri deducit, ab ijs eodem habitu reducit. Jam domi & apud se Sacerdos erat. Qui Officio attonitus & mente à Deo mota, bene abeunti dixit, & simul Imperium ipsi, posteríſque prædixit. Alij tamen ad Suevicam vatem hoc referunt: quidam & somnio sequentis noctis edoctum ipsum volunt. Unde prædictio, & res illa certa, & rata ista fuit, ac fidem etiam nunc ab eventis habet. Itâ ille, probans citato Monito Tuitionem sacrorum famam & potentiam donare. Eleganter fusiúsque eundem actum Rudolfinæ Pietatis descripsit Gualterus Paulus Societatis Jesu libello, cui titulus: *Affectus Evcharistici Pietati Ferdinandi Tertij dicati.* Eo ipso anno, inquit, quo Urbanus IV. Pontifex *Corporis Christi* Festum instituit, *Rudolfus primus*, ob exhibitum *Corpori Christi* singularem honorem futuræ suæ in Imperatorem electionis vaticinium accepit. Is fuit annus 1264. Uno nimirum eodêmque consilio Deus Sacro-Sanctam Evcharistiam Ecclesiæ Catholicæ, ut festivum solem; Domui Austriacæ, ut Fundamentum posuit. Solidè fundantur regna ubi non est fundamentum. Fortuna Austriaca in orbe stat, cujus centrum Deus: potuítne altiùs stabiliri? Erat tunc Rudolphus, ex Regum sanguine, Comes Habspurgicus, magnitudine animi Atavis, & præsente fortuna major. Habebat impressam animo excellentissimam de Majestate Numinis opinionem (hinc timor, & reverentia) sensus erga SS. Evcharistiam cum quadam amoris suavitate teneros. Hæc via, hi gradus fuerunt ad imperium. Idea Principis Deus est. Is veram Principis formam habet, in quo relucet Deus. Qui rerum eventus humanâ regulâ metiuntur terreni homines, putabunt agendi prudentiam, bellicam virtutem, corporis speciem, Imperium Rudolfo peperisse. Et ijs sanè ornamentis aptabatur Imperio: divinius tamen aliquid in eo invenire voluit Deus, quod coronaret.

Imperia â Deo sunt, David in pascuis eligitur, Rudolfus in sylvis. Solitus erat venando otium perdere, & oblectando se assuêsse laboribus. Eo quo diximus anno, die quadam versanti in sylvis, visa est audiri campanula, minimo signo attentus ad Dei obsequium animus erigitur. Sylva erat: Spiritus ubi vult

ſpirat. Agitabântur feræ: ſæpe reperta eſt ſalus, ubi non quærebatur. Etiam ex cervorum cornibus Chriſtus Hubertos & Euſtachios vocat. Ubi ex pulſu viſum eſt Sacroſanctum Chriſti Corpus ad ægrum ferri, poſito ſtatim venabulo, Rudolfus ſonum ſequitur. Compoſiti eſt animi, oblectamenta pari facilitate ponere, ac aſſumere, prout ratio vult. Sonum ſequitur, ut Deum aſſequatur: opinor per compendia. Non eſt, quâ ad Deum itur, trita, communiſque via: per ſpinas & tribulos eundum eſt. Ibat Rudolfus per avia ſylvarum. Nunquid dixit alicui famulorum, vide tu, ubi ſit? quo deferatur? ſciebat Reges etiam & Monarchas Deo (ùt ita loquar) Feudatarios eſſe, & homagium debere. Veſtigat ipſe, ipſe indagat, & ex venatore factus Cervus ad aquas venit. Fluviolus erat, quem poſitis calceis Parochus vadare parabat; ut agenti animam ruſtico ſacrum viaticum acceleraret. Bonum ſanè Paſtorem! *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Hic Rudolfus ex equo in terram abjectus, Chriſtum in hoſtia præſentem humiliter adorat, ſacerdoti oneris pretioſi bajulo equum reverenter offert, ſubmittit, fortè & aſcendenti frænum, aut ſtapedem tenet. Nihil ſibi vile putabat, quod Deo honori eſſet, vadatô fluviô, ægrô recreatô, datô viaticô, Sacerdos functus Officio boni paſtoris revertebatur. Rudolfus Chriſtum abeuntem oculis fuerat & affectibus proſecutus, ſibíque gratulabatur, quòd Dei obſequio equum melioris notæ, quô ipſe utebatur, conſecrâſſet: ratus Deo optimo optima deberi. Exſpectabat, ut redeunti famularetur, ex equite pediſſequus. Redijt, famulatus eſt, icum ad parochiam, nobiles greſſus! ſequere Rudolfe, ſequere præeuntem Deum; quot paſſus, tot coronæ. Re peractâ, Sacerdoti equum reſtituenti, abſit (inquit) ut, quem Deus equum ſeſſione conſecravit, ego prophanatum eam. Equus hic Dei eſt: utatur Eccleſia ad uſus Dei. Donatione factâ, nè Eccleſiæ grave eſſet alere; alendo cenſum conſtituit, cenſúmque voluit eſſe perpetuum, ut equus ſemper ali ad ſacros uſus, & emi poſſet. Deus immortalis! quot in facto uno virtutum exempla! quot documenta! multum refert, quo quis animo Deo ſerviat: an liberali? an reverenti? an devoto? an humili? Deus non penſat donum, ſed affectum. Rudolfum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus honorem illum exhibuiſſe perſuadet Dei in remunerando promptitudo, & ſtupore digna munificentia. Sequenti ſtatim die de Imperio oraculum accepit. Erat in Monaſterio Fare, quod inter Tigurum & Aquas ſitum eſt,

Virgo Deo ſacra, grandis natu, Rudolfo ſanguine propinqua! ad hanc rem viſitandi causâ veniſſet; exclamat virgo, macte animo Rudolfe, edidiſti heſternâ die facinus Deo gratiſſimum, futuris olim ſæculis memorandum. Chriſtum honore proſecutus es; honoraberis tu viciſſim à Chriſto Rudolfe: decrevit ille tibi honorem, quem optare potes inter homines ſummum. Vide, quàm liberali Domino ſervijſti. Nè vanum putes oraculum; notes in decurſu temporis numerum novenarium; experiêre vaticinij veritatem. Dixerat: obſtupuit Rudolfus virgini ſolitudinem profitenti factum heſternum innotuiſſe; & quia viſa eſt divino afflata ſpiritu vaticinari; avidus futuri exſpectat, quid nonus ferat dies: quid hebdomada nona: quid menſis nonus. Cùm nihil apparuiſſet, depoſita eſt memoria oraculi, & cura futuri. At ecce! anno poſt prædictionem nono præter omnem expectationem Francofurti Romanorum Imperator renuntiatur. Hæc ille.

Notæ & Additamenta.

DIdacus de Lequile Franciſcanus ſtrictioris obſervantiæ de rebus Auſtriæ Principum ex Domo Habſpurgica Parte II. folio 185. notat, quotquot recentiores ſuper ennarratam hiſtoriam de Rudolfi venatu ſcripsêre, eam ex Franciſco Guillimanno Rudolfi II. Cæſaris Conſiliario & Hiſtoriographo mutuâſſe. Guillimannum verò ex antiquis, ùt ipſe ait, & probis manu-ſcriptis ipſam deſumpſiſſe. Codices quidem calamo tantùm adnotati circa annorum ſupputationem inter ſe hac in re minimè concordant. Conveniunt tamen omnes in facti ſubſtantia enarranda.

Gregorius Bulzius ex Somaſchena Congregatione totum eventum brevì & ſimul ingenioſè complexus eſt de Rudolfo Cæſare, bino epigrammate.

Primum eſt.

Sacerdoti Evcbariſticum libum deferenti equum cedit.

SAcra pedes defert ægro libamina Myſtes,
Tardat at implicitos unda vadoſa pedes.
Deſerit æriſoni Princeps mox terga veredi,
Myſtaque feſtinus trans vada ſeſſor abit.
Cede locum terris, Princeps generoſe Tonanti
Cede: tibi in terris cedet & ille ſuum.

D Alterum

Alterum.

Equo Sacerdotis vectori nunquam inſidet.

OFficijs defuncta pijs jam tergora bellva
Juſſa petit Dominos nullo equitante lares.
Ut ſacra magnanimus veneretur tergora Princeps,
Hoc vehitur nullo tempore ſeſſor equo.
Libertatis abit donatus jure veredus
Ad pompam vivit bellua, non ad opus.
Non fecit fors ipſe Deus, quæ munia obivit,
Vt ſentiret equus? Magne Rudolfe facis.

Idem Poëta Auſtriacam dignitatem & potentiam ex ipſis aſtris prænuntiatam eſſe cecinit.

Anxius ut ſtellas remetitur in Æthere Vates
Grandia fatidico præſcius ore canit.
Surget, ait, Comiti gens poſtera multa Rudolfo,
Quæ reget Auguſtâ ſceptra ſuprema manu.
Auſtriacæ cur nemo rapit diademata Genti?
Tellus cœlorum rumpere fata nequit.

Potentiam verò & cum gloria Auguſtiſſimæ Auſtriacæ Domûs ex præmemorato illuſtri & celebri facto eleganter deſcripſit Jacobus Damiani è Societate Jesu, obſervans Religionem tunc erga Venerabilem Evchariſtiam totius Germaniæ fuiſſe, nondum hæreſibus corruptæ.

Iſta per omnem
INtegra Teutoniam ſtabat, cultúque vigebat
Relligio, Habſpurgum dum gloria magna Rudolfus
Auſtriadúmque auctor Pietate inſignis & annis,
Ad ſummos ducente Deo conſcendit honores.
Per ſalebram ſacra pedes ibat ab æde Sacerdos,
Pauperis ad Lycidæ cellam miſeróque ferebat
Divinas ſub morte dapes, quà fortè fugacem
Habſpurgus telo cervum curſúque premebat,
Vectus equo; clamore canes, lituíque ſequuntur.
Non tulit hanc ſpeciem Princeps; quin ipſe repentè
Deſilit, & prono veneratur poplite Chriſtum
Nixus humi, ſellæque jubet ſuccedere Myſtam

Tum

Tum frænos rapit ipſe, præítque equitantis agaſo
Numinis, explorânsque vias deducit euntem,
Redducítque luto exultans, cœnóque decorus.
Imperium obſequij merces fuit: atque per orbem
Diſſita Regna procul, ſolíque admenſa poteſtas;
Quippe indeficiens oritur, nec deficit unquam
Hiſpani Imperio Regis, quin quolibet horæ
Momento, ſeu lucis ea eſt, ſeu noctis opacæ,
Parte aliqua Chriſtum deſcendere cernit ab æthre
Auſtriadum in Terras, ſimul enthea verba Sacerdos
Ore dedit tacito, & ſublimem excivit ad aras,
Quem Mare, quem Tellus, quem Cœlum haud continet ingens
Vlteriùs ſeſe ſuper aſtra, Polóſque ferentem.

Alius è Societate Jesu ita de hoc Pietatis exercitio Anno 1659. Olomucij cecinit.

FOrtunata domus, quam terris ardua virtus *Theſes Der.*
Jam dudum eripuit, celsóque æquavit Olympo!
Felix prole Virûm! fauſti! quibus ipſa Tonantis
Dextera, non dubio toties manifeſta favore,
Imperium ſine fine dedit. Deſcendere tantùm
Profuit, ut gemini ſupra faſtigia mundi
Alta ſupinatus ſpatioſi aſcenderet orbis
Culmina Rudolphus, Divíſque Nepotibus arcem
Poneret æternam ſummarum in vertice rerum.
Invia nulla via eſt, quâ non tendatur ad alta,
Si virtus moderetur iter. Diademata in agris
Sæpius, & Sylvis Pietas Heroica cepit.
Quâ Tigures vitreis pellucidus abluit undis
Limagus, & gelidis illapſus ab Alpibus amnis
A nimia ardentes æſtate refrigerat agros,
canis reſtinguit amœnior ignes
Umbroſos inter ſaltus, Habſpurgicus Heros;
Dives avûm, dives generoſæ Stirpis, & amplo
Sanguine longævis retrò memorandus ab annis,
(Quippe Quirinalis deductus origine gentis
Faſcibus inſignes toties, claróſque triumphis
Omnigenis numerabat avos) Rudolphus apricâ
Frondentis facieque loci, ſtudiíſque Dianæ,
Aſſvetus feſſæ curas componere mentis,

Nunc agitat trepidas dum laxa in retia cervas,
Nunc torvos dum cogit apros, levioréve bello
Nunc pavidam leporum plebem graſſantibus urget
In cædem canibus, quam non arcana Tonantis
Diphtera fortunam? quam non Clementia prædam
Tum Venatori in riguis dedit obvia campis?
Jeſſææ modulis citharæ celebratus Amator,
Qui quondam hinnulei, & celeris veſtigia cervi
Præcipiti ſimulare fugâ, conſuevit & artes
Ludere, ſponſa, tuas pernicis imagine Venti,
Sponte tuas, Rudolphe, manus, tua ſponte ſub ora
Advolitat, largéque pio ſe indulget amori.
Fortè Notus pluvijs dudum ebrius imbribus undas
Ore gravi vomuit, gemini quas vertice montes
Infudêre ſinu ſubjectæ vallis, & amnem
E modico fecêre vado. Quid creſcitis undæ
Eripitíſque vias? miſeri jacet incola tecti
Supremámque implorat opem, torquétq; jacentem
Magni ſacra fames epuli, quid vota moraris
Eluvio infelix, differsque famentis amores?
Laturus miſero pretioſa Tragemata Myſtes
Stat dubius, quâ vertat iter. Tranſire vetatis
Congeries torrentis aquæ? remeare, piámque
Non ſatiâſſe famem dejecti viribus ægri
Et pudor & dolor eſt. Gemit ille cupidine magni
Numinis; invidiam rapidarum hic damnat aquarum.
O magni Decreta Dei, arcanúmque profundæ
Majeſtatis opus! quænam ſpecioſa paratur
Sors Rudolphe? Stat hìc tuus ad faſtigia rerum
Curſus, & auguſto venias ut munere dignus,
Obvius expectat. Tibi prodigus annuit æther.
Interea emenſus procul hoſpita tecta ferarum,
Cervorum, leporúmque domos, videt eminus altis
Dux Myſtem luctari undis, clausíque Tonantis
Aut prohibere viam, aut greſſum vada rauca morari
Quid facimus? cùm vidit, ait: Nos ire caballis
Sublimes Geticis, timidæque illudere turmæ,
Indigenis nemorum? ſtet portitor ille Tonantis
Inceptum fraudatus iter, luteóque profundo
Obluctans, ægérque pedes, modò ſentiat undas

Obje

Objectare moram, ſuperúmque illudere Regi?
Sic ait, & volucri Myſtæ ad veſtigia curſu
Abjectus procumbit humi, ſupplexque precatus
Ore animóque Dei Numen præſentis adorat,
Stat ſonipes, ſensítque Deum, dominíq; propinqui
Plurima in alipedis reverentia noſcitur ore.
Cui poſtquam viridi ſe terrâ ſurrigit Heros:
Hâc geſtaſſe tenus Rudolphum ſufficit. Ito
O felix ſonipes! melior fortuna parata eſt.
Rudolphi poſthac (hoc ſi dignetur honore)
Portabis Dominum. Nihil eſt opis indigus hujus,
Subjuga flammipedis quem prenſant eſſeda ſolis,
Et celeris vehit ala Noti liquidáque curuli
Cæruleus portat ſpatioſa per æquora Triton
Si tamen ire lubet, quis vel domitoris Eoi
Bucephalus te major erit? latóque ſuperbus
Cæſare, & alterius, poſt magni pondera Juli
Impatiens ſeſſoris equus? rogat inde ſtupentem
Ire ſacerdotem, famulóque ad vota caballo
Ferre vias, quaſcunque libet, venerabile pondus
Fit Comes Habſpurgi pulchrâ Comes arte viarum,
Nec pudet agreſtis prenſare mapalia tecti,
Hoſpiti amata Deo. Nemorum diſcedite curæ,
Cum viridi Diana choro, concedere Cœlo
Vos pietas Auguſta jubet. Rudolphe! quot Orbes
Quem modò triticeo clauſum veneraris in orbe
Jam tibi diſpoſuit, dignos pietatis honores!
Atque Comes Dominum duce quòd virtute ſequare,
Quas tibi terrarum Domino dabit ille ſequaces
Deîn Comites? quantos ad vota dicabit Ephebos?
Audîn quid tacito ſpondent oracula ſenſu?
Poſtque *Novem* (Menſes? annos? horáſne? diéſne?)
Qualia promittunt? Neſcis? moderamina rerum,
Romanæque Aquilæ, & ſummi diademata regni
Annorum poſt ſecla novem, poſt terq; quaterq; novena
Non generi tollenda tuo. Manet illa perennis
Gloria: & æternos Majeſtas vivet in annos.
Auguſta ſeri cernent in luce Nepotes
Ire genus Rudolphe, tuum; magnúmque videbunt
Qui geminos ultra ſe extendat Carolus orbes

Extra anni ſolíſque vias, quatuórque ſtupebunt,
Terrarum ſoles, nova ſidera, Ferdinandos;
Deliciúmque orbis gemini, columénque, decúſque
Te, Leopolde, ſuum, magníque Parentis in illa
Nobile mirantes cernent ſobole incrementum.
Flos Habſpurgiadum! natus veſtro ignis ab igne
Nunquam extinguetur. Collucent alta Viennæ
Mœnia, Pragenſis procul ardent vaſta Triurbis
Compita de facibus generis, gens inclyta, veſtri,
Cum nivea Dominus ſub Majeſtate triumphat,
Atque Siligineo vehitur ſpecioſus in orbe.
Auſtria. Rudolphi durant oracula, durant!
Poſt novies Tibi ſêcla novem, Sceptrúmq;, Coronæque
Imperij ſtabunt! certa eſt ſententia; ſtabunt.

Huic in ſacro-ſanctam Evchariſtiam Pietati, & alij Verſu applausêre, cum in Athenæo Lovanienſi Año Domini 1638. publicis Theſibus: *Magnitudo, Pietas, Fortitudo, Gloria, Securitas & Victoria Auſtriaca, à cultu Evchariſtico proveniens* egregiè celebraretur, quæ opinione noſtrâ denuò utiliter in publicum dabimus, ut & ſacro-ſanctæ Evchariſtiæ Gloria, & Avita Auguſtæ Domûs Auſtriacæ Pietas magìs illuſtretur.

Magnitudini Auſtriacæ.

Symbolum. Religio erga ſanctiſſimum Venerabile Sacramentum baſi cubicæ aſſiſtens, cui obeliſcus varijs Regnorum & Provinciarum inſignibus cum Aquila & Campo Auſtriaco illuſtris ſtat impoſitus. Baſi ſubſcriptum eſt Lemma.

Hoc tanta moles nititur.

MOrtale eſt quodcúnque vides. Rapit omnia tempus,
Ipſa, quâ ſteterant grandia mole ruunt.
Pyramides ubi nunc? etiam periêre ruinæ.
Mauſolea ſibi facta ſepulcra jacent.
Templa ubi, quæ quondam Romana potentiá cælo
Æquavit? Divis incubuêre ſuis.
Vtque domus, & buſta & celſa palatia Regum,
Ipſa etiam fato Regna premente cadunt.

Poſt Trojæ exitium ſtravit brevis hora Mycenas,
Romanæ famam jam pudet hiſtoriæ.
Quàm citò ut domitos Macedo ſua ſigna per Indos
Pertulit ignotum victor ad oceanum.
Quàm citò Achæmenijs ſuperatâ Perſide Suſis,
Jura dedit? Bactris impoſuítque jugum?
At citiùs tanti, quàm parta eſt, gloria Regni
Occidit, & domini fata ſecuta ſui eſt,
Sic placitum Superis, brevis eſt humana poteſtas,
Et Reges uno, ſtántque, cadúntque die.
Ne metuas ſimilem, mundi decus, Auſtria caſum,
Auſpicio terras tu meliore regis.
Quod dedit his fortuna, tulit. Tua ſceptra Tonantis
Munera ſunt. Etiam cura Tonantis erunt.
Hunc tibi Relligio fructum, Pietáſque rependit,
Et quæ delicias continet ara tuas.
Ergo ſubjectum tibi dum circumſpicis orbem,
Quáque cadit Titan, quáque reſurgit aquis.
Dum titulos, palmáſque, & gentes mille ſubactas,
Et tua trans Gangem fixa trophæa vides:
Ne tibi ſuſpectum tanti ſit culmen honoris,
Nec faciant, lapſi qui periêre, metum.
Nec dubites, quàmvis minitentur ſumma ruinam,
Altiùs humanis exeruiſſe caput.
Vt terram excedas, ut te ſuper æthera virtus
Evehat, hoc fulcro gloria tuta tua eſt.
At neque, ne mundis impar ſis una duobus,
Curarúmque gravi mole premare, time.
Grande quidem & majus mortali pondere pondus,
Quòd tibi tot gentes impoſuêre, geris:
At præſtò eſt, addítque ſuo de corpore vires,
Supponítque oneri ſe Deus ipſe tuo.
Herculeis humeris dum cælum & ſidera fulſit
Feſſus Atlas, Divûm regia tuta fuit.
Tu quid formides quando, qui ſuſtinet orbem,
Te, molémque tui ſuſtinet imperij.
Viribus, hoc aliquis convellere tentet & armis?
Ah miſer! adverſo qui gerit illa Deo.
Materiam debet, quicúnque eſt iſte, triumphi.
Hac petit Auſtriacum conditione caput.

Infremat, & truculenta ſuas exaſperet iras
Hæreſis, & totum ſecum Acheronta trahat.
Inſtiget populos, componat fœdera, fraudem
Vímque paret, Reges ad nova bella vocet,
Dum tua cum cauſa conjuncta eſt cauſa Tonantis,
Nil aget, ille tuis hoſtibus hoſtis erit.

Pietati Auſtriacæ.

Symbolum. Aquila Auſtriaca pullos ſuos ad ſolem Evchariſticum explorat. Subſcriptio.

Sol Iſte

Verum Sanguinem Auſtriadum probat.

SCilicet Auſtriadum ſoboles auguſta latebit,
Nec dominos nôrit, ſubdita terra ſuos?
Non ſatìs hos celebrant variorum inſignia Regum?
Tot titulis nunquam ſplenduit ulla domus.
Dum bis ſex Aquilis, feliciter addidit unam;
Vt foret Auſtriacâ Julia ſtirpe minor.
Inſita quid Generi victos clementia in hoſtes,
Semper & ad pacem prompta, vel arma manus?
Qui rogat hoc igitur quis ſit de ſanguine natus,
Oſtendi ſolem poſtulat ille ſibi.
Naſcitur Imperio Auſtriacus, Jovis alitis inſtar,
Sol iſte indicium eſt Sanguinis Auſtriaci.
Illa oculis jubar hoc; dextra hic victrice tuetur.
Et ſic Auguſtum prodit utérque genus.
Jam tituli lateant, Aquilæque inſignia Romæ,
Quas circum Auſtriacam cerno volare domum.
Non terra, at cælo eſt Auguſti ſanguinis index.
Auſtriacam ſobolem jam Deus ipſe probat.
Et quamquàm ſol ille, viget quacúnque per orbem
Vera fides, cunctis conſpiciendus adeſt.
Clariùs Auſtriacis tamen eluceſcit in oris:
Splendor hic à clara nobilitate venit.
Sic ſolet illuſtri ſplendeſcere Phœbus in auro
Clariùs, & nitidas purior intrat aquas.
Hôc calet Auſtriacus ſanguis, dum Numinis ardor
Dictat in hoſtiles arma movenda manus.

Hic etiam terras alio ſub ſole calentes,
Et tutum oſtendit, quà caperentur, iter.
Auſtriacis Europa parum eſt. hoc ſole fovente,
Auſtriadum Braſilâ laurea crevit humo.
Ergo livor edax fruſtra, vel fraude, vel armis
Niteris Auguſtam ſollicitare domum.
Armáque fracta cadent, armíſque nocentior ipſis
Proditio. Sol hic deteget inſidias.
Pacificos quid ad arma vocas? ſole arma reſplendent,
Auſtriacus ſemper clarus ab hoſte redit.
Nec poterit, licèt ipſe velit, ſplendore carere,
Auſtriacum veri ſolis imago probat.

Fortitudini Auſtriacæ.

Aquila Auſtriaca ex orbe Evchariſtico fulmina vibrat contra Leonem telorum faſce armatum. Cum Epigraphe:

Cæleſtibus Armis.

Bellua flecte caput, non evitabile fulmen
Auſtrius Ales habet: bellua flecte caput.
Hac impunè tenus (quamquam haud impunè tuliſti)
Sæva Brabantinos depopularis agros.
Numine teliferos irato ſenſimus ungues,
Vidimus & rapto rura relicta grege.
Hæc tua ſcena fuit: nunc denique verſa rebellem,
Auguror, offenſi conteret ira Dei.
Non in aves tantùm tribuit per inane vagantes
Jupiter Armigero regia jura ſuo.
Ille etiam impavidos ſerpentibus injicit ungues,
Cervorum celeres occupat ille fugas.
Ille nemus motâ complet terroribus alâ:
Tène putas omni poſſe carere metu?
Nempe paludoſis in campum efferre cavernis
Audes intrepidum non comitata pedem.
Arma tuis armis ſociat ſua concitus orbis;
Ex Acheronte petes, ſi neget orbis, opem.
Et quando totus tua ſigna ſequetur Avernus,
Ut fugias, cervis ocyor eſſe voles.
Aſpicis, ut ſpecies manifeſta Tonantis obarmet,
Quæ dedit Armigero tela vibranda ſuo.

Arcticus hoc nuper cecidit Leo fulmine, Cælo
 In Nortlinganis auspice victus agris.
Fama tuas cæsi, cùm perveniebat ad aures,
 Hei mihi! dicebas, spes mea quanta jaces!
Cæsa ego, te cæsâ, sum, Suecia: penè tuorum
 Strage sub armorum contumulata fui.
Túque Ales, tumidi cùm viceris æquoris iras,
 Cúmque per Alpinas veneris inde nives,
Et rapidum intrepidis Istrum transmiseris alis,
 Et sociam audaci straveris ungue feram,
Quàm timeo, postquam Rheni superaveris amnem,
 Ne mea, quo Suecum fulmine septa petas.
Evenit. petijt tua septa, & limine in ipso
 Constitit, inflectens exitiale caput.
Eveniétque iterum. franget *Cælestibus Armis*,
 Submissis Dominum ni venerêre jubis.
Quid valeant hæc arma, docet pars magna tuorum,
 In Wasia ferro strata, vel hausta vadis.
Pars etiam major vinclis constricta fatetur,
 Exutas armis ista per arma manus.
Principis Ales habes non evitabile fulmen,
 Bellua nec Dominum te tamen ista colit.
Quid dubitas? invade feram *Cælestibus Armis*.
 Bellua strata tuos mox cadet ante pedes.
Non mea, non FERNANDE, sed est, sub imagine culti
 Triticea, vox hæc indubitata Dei.
FERNANDE Austriadum sanguis, Fernande Zelandi
 Terror, & Advatici, spésque salúsque soli.
Hæc Tibi, & Austriadum generi bene nota rebellem
 In Batavum impavidâ fulmina sume manu.
Memet ego implicui flammis; tu me auspice fortis
 Cælesti hostilem cuspide fige feram.
Protinus illa jubas Victori victa feroces,
 Et flectet Domino colla superba suo.
Hæc Deus. Æternum Pario de marmore ponet
 Belga Tibi, sub quo te veneretur, opus.
In summo, volucris Batavo direpta Leoni,
 Talibus ungue premet scripta trophea notis.

Austria-

Auſtriades Batavum domuit Cæleſtibus Armis,
Exuvias Ales ſub Pede victor habet.

Gloriæ Auſtriacæ.

Symbolum. Aquila alis expanſis pede dextro Evchariſtiam, Enſem flammeum ſiniſtro gerit. Subſcriptum legitur:

His tollet in Aſtra.

NOn Jovis árma gerit, quàmvis Jovis Armiger ille eſt;
Nec tamen ignoti Numinis arma gerit.
Numen habet, quo non orbi præſentius ullum,
Quodque ſuo mittat pro Jove, fulmen habet.
Viderat Auſtriaci Ductrix, & gloria belli
Relligio, dici ſeu magè Pallas amat.
Viderat exiguo clauſum bene Numen in orbe,
Excluſum noſtro jam minùs orbe coli.
I mea, dixit, avis, celeres celer excute pennas;
Bella Deo, video, bella parata meo.
Germani Proceres, & quæ regit arva Quiritum
Imponunt alis júſque, Deúmque tuis.
Et quoniam geminant hoſtes; geminavimus arma:
Eſt tibi cum gladio Crux bene juncta tuo.
Accedet capitis tegmen venerabile ſacri,
Quod tibi cum galeâ, pro galeáque datur.
Junxit & arma Togæ, cui Regum Purpura cedat;
Purpura Fernandos non minus illa decet.
Utere ſorte tua; geminatáque munera præfer:
Ter geminos facient, ter geminata metus.
Nil ità ſublime eſt, nubéſque ſupervolat alis
Non ſit ut inferiùs, ſuppoſitúmque tuis,
Terrarum Dominam Domini præſentia fecit,
In terris magnum, quem tua cura facit.
Nec dum finierat: ſcires audîſſe: volabat:
Viſa ter elato ſigna dediſſe Deo.
Et ferro flammas, & flammis miſcuit arma;
Miſtáque ſunt armis, arma profana pijs.
I, fuge, bella Deo quiſquis moliris, & aſtris.
Nil agis: adverſo moveris arma Deo.

His

His bene munitum per mille pericula Numen;
His bene ſecurum tollet in aſtra caput.
Cæſareæ ſuperi ſubſcribunt alitis iræ.
Quos ferit Auſtriadum, Numinis ira ferit.
Illa Dei facies, parvis bene tecta latebris,
Excutiet manibus fulmen & arma tuis.
Cura Dei dij ſunt: pro Numine Numinis arma,
Próque fide certâ, certa futura fides.
Cum cælo Auſtriadum ſtabit pro Numine Numen,
Auſtriadum tutum Numine Numen erit.
Sic bene Romanus Superos dum curat & aras;
Cura Deûm propior urbis & orbis erat.
Sic Pius Æneas patrios cum Patre Penates;
Tutorem ſervant Dardana ſacra Pium.
Palladium Trojam multos ſervavit in annos,
Stant pro Palladio Troica caſtra ſuo.
Hoc unum, & ſatis eſt, Ancile tuebitur ales,
Hoc unum Imperij pignus, & omen habet.

Securitati Auſtriacæ.

Symbolum. Aquila volatu defeſſa, ſub alis alterius Illuſtris & cæleſtis Aquilæ conquieſcit. Lemma:

In Velamento Alarum.

NAtura quamvìs Regem avibus vagis
Iovis miniſtrum dixerit alitem;
Ævo tamen luctáque feſſus
Alterius recubat ſub alis
Sacræ volucris: déque ſinu novum
Illius haurit robur, & indolis
Magnæ vigorem. Prætulêre
Auſpicio meliore quondam
Heroës iſthoc Heſperij decus;
Profeſſi honores & diademata,
Quòd myſticâ paſcantur umbrâ,
Stare ſibi, imperiíque culmen.
Furore toto ſtyx fremat. Hæreſis
In bella gentes concitet. Eriges
His tutus alis altiores
In medijs animos periclis:

In

Te nam tuetur Cælituum favor:
Christi sub alis robur adest novum
Virésque, pectus FERDINANDE.
Ambrosio madidante rore.
Testis subacto cum Batavûm grege
Calloa: testes quæ Morinos gravi
Bello fatigavêre turmæ;
Vindelicíque, trucésque Finni.

Victoriæ Austriacæ.

Ferdinandus Trophæo Victorioso insistens profusis ad pedes Victis hostibus. Subscribebatur.

SERENISSIMUS PRINCEPS FERDINANDUS.

Pro Philippo Fratre Belgarum, & Burgundionum Moderator,
Austriaca Pietate insignis & Armis.

Ad Caloam, Audomarum, Geldriam, stratis,
fusísque hostibus jam sæpè victor.

FERDINANDO AUSTRIACO
VICTORI.

Recepta ad Scaldim Caloa post Octavam
VENERABILIS SACRAMENTI
IN FESTO
B. ALOYSIJ GONZAGÆ,

NEcte triumphalem capiti Fernande coronam;
Austriacum rursus Mars tuus omen habet.
Tunc vincis tua cum pietas, ut vincere posses,
Compita lustrantem, ponè secuta Deum est.
Vincis io, quibus Austriadum gens digna diebus
Vincere: fatales gens habet ista dies?
Nempe ubi sub tenui tectum velamine Numen,
Et magni Reges, & coluêre Duces.
Munera mox illis veniunt uberrima cælo,
Dignaque pro meritis præmia semper habent.

Demens Auſtriacos illis quicunque diebus
Impetit; adverſum ſentiet ille Deum.
Tunc referunt cælo vires, quas ſentiet hoſtis,
Tunc precibus peragunt bella deinde manu
Quoſque dein celebrant, jam tum meruêre triumphos,
Quæ venit, ex illo laurea fonte venit.
Et tibi nunc venit FERNANDE; recepta Caloa eſt
Pulchrius, & cladem fortiter ulta ſuam.
Quæque modo & Flandris erat aggeribuſque Brabantis,
Advaticíſque opibus, capta Caloa metus.
Lætitiæ nunc cauſa novæ eſt. Spes excitat illa,
Ingentéſque animos, ad nova bella facit.
Contudit illa feros hoſtes, faſtúſque ſuperbos
Fregit, & utilior dedita ſponte fuit.
Profuit ignavi crimen Ducis: omnia verſa
FERNANDE, in laudes omnia verſa tuas.
At nos ſolliciti rerum gens cæca futuri,
Credidimus noſtris, hoc caput eſſe malis.
Credidimus certam tandem impendere ruinam,
Averti nullâ, quæ modò poſſet ope.
Fama volans, latè populos terrebat & urbes:
Omnia plena fugæ, plena timoris erant:
Hoſtis adeſt, ripam tenet, aggeribúſque potitur
Victor, & in prædam Waſia tota patet.
Capta Caloa, arcéſque aliæ, & munimina Scaldis;
In Beveræ campis, Battava ſigna vides.
Jam latebras aptant, & inexpugnabile vallum,
Rumpere quod nullo milite poſſit Iber.
Proxima nunc, eheu, ardes Antverpia! tecum
Cuncta trahes; Belgas ultima fata premunt.
Parcite, quis furor hic? trepidis ſpem ſumite rebus:
Auſtriaca ſtabit pro pietate Deus.
Obſervate dies, queîs primùm Battava claſſis
Undíque ſuſpenſis cæperit eſſe metus.
Dicite, quando erat ut partes intentus in omnes
Hinc pedites, illinc duxerit hoſtis equos?
Dicite, quando ſtetit peregrinus in aggere miles?
Quando arces, quando capta Caloa fuit?
Scilicet Auſtriaco cum Principe dum ſacra curat
Belgica, & æternum ſupplicat ante Deum.

Ante Deum, panis tectum sub imagine prisco,
Quem veterum ritu, nunc quoque fida colit.
Et sibi tum eventus aliquis sperare secundos,
Hæc qui nil metuit, spernere sacra potest?
Aut quia prima favet belli alea, prospera credit
Cuncta? nec adverso se putat ire Deo.
Numinis hæc ars est. Spe pelliciuntur inani:
In laqueos, ipsi quos posuêre, cadent.
Nil moror: undique bella parent, classémque virósque;
Insidijs jungant robur, & arma dolis.
Et Wasiæ ripas, & quas ignavia dedet
Jam teneant arces, præda sit omnis ager.
Suppetiásque virûm mox advehat altera classis,
Mittat & huc vires, terra Zelanda suas:
Præmoneo, sua victores victoria perdet.
Magno emptum, Wasios, non tetigisse, volent.
Et jam tempus adest. Sed enim quem clade paratis,
O Superi, tantâ nobilitate diem?
Illum perpetuis signabunt tempora fastis:
Ante alios Belgis ille colendus erit.
Nec dubito, certa Austriacæ pietatis in illo
Omnia, divini signa favoris erunt.
Fallimur? huc manibus Belgæ date lilia plenis,
Albentésque rosas; Aurea lux oritur.
Exoritur sacris princeps Aloysius aris,
Castiglionæis, nobile nomen avis.
Notus in Hispana puer olim Aloysius aulâ,
Obsequio notus clara Isabella tuo.
Notior at spretis titulis, opibúsque suorum,
Maluit Ignati signa, Deúmque sequi.
Non alius magìs Austriacæ pietatis amator,
Triticeáque Dei nube latentis erat.
Exorere aurea lux. populis testabere adesse
Præsentem Austriacis post sua festa Deum.
Nec frustra (fremat impietas) per compita Numen
Velatum, tanta Relligione coli.
Dum loquor, insonuêre tubæ, fragor æthere toto,
Et gemitus. Batavos jam premit ultor Iber.
Jam superat fossas, jam propugnacula victor
Prima tenet: multo terra cruore madet.

Sic agedum, hostili sic cæde Caloa pietur;
Nulla fuga est; solvi non sinit unda rates.
Ite citi, trepidósque cruento cingite ferro.
In vestras venient, agmina tota manus.
Contigit en; longâ stant captiva agmina ripâ;
Vincláque condiscunt, servitiúmque pati.
Ante pedes strata arma jacent amissáque signa,
Et spolia, & prædæ, quas habuêre rates.
Non aliàs tanta est attrita Hollandia clade;
Crebraque lustra, licèt per duodena tulit.
Militiæ hìc fractum robur. Sine Numine Divûm,
Ipsi hostes vinci, sic potuisse negant.
Dicite io Belgæ, Fernando, dicite Belgæ;
Vincis io pro te bella gerente Deo.
Austriaci victoris habes cum sanguine nomen,
Præmia sinceræ Relligionis habes.
Agnoscítque libens, & quêis Aloysius aris
Visitur, en genibus procidit ille minor;
Sacráque persolvi votiva, trophæáque Divûm,
Suspendi sanctos, imperat ante tholos.
Interea æternis bona lux dignissima fastis,
FERNANDO, & Belgis tam bona sæpè redi.
Austriadûm genti similes fer sæpè triumphos,
Dum Regem agnoscat Battava terra suum.

CAPUT III.

Rudolphi cultus Marianus, & in Deiparam munificentia; & benignitas etiã in hostem.

Rudolphi cultus Marianus.

ANno 1268. Rudolfus Comes ut magnæ Dei Matris specialem experiretur gratiam, singulari in eandem affectu raptus, eximiáque liberalitate ad deprædicandam ejusdem in terris gloriam persuasus partem Silvæ Hercyniæ (quæ maxima Germaniæ est, atque ab incolis ob arborum procerarum latissimè diffusam umbram *Nigra* dici consuevit) donavit. Hæc olim paludem habuit, Mari mortuo pejorem, tetrâ mephtiti, quam in omnem latè regionem sparsit, nulli animalium non lethalem. Hinc apud Germanos à morte nomen hausit, Todtmoß appellata. Certè non aversata loci naturam Beata Virgo, per

per somnium conspecta Theodoricum Parochum Reichenbachensem docet, pinum, quam, nescio quis, incisâ cruce notaverat, admotâ securi in terram dejiceret, ex ipso arboris casu visurum, quâ templi longitudo vergere debeat; Cacumen verò quò pertigisset, ibi altaris locum fore. Dictum, factum, quod in somnijs suaserat Divina Mater, hoc insomnes actutum præstitêre plebeculæ. Sed & ut suus hoc in Mariano opere locus Habspurgicæ Pietatis foret, tenuior domesticæ rei fortuna fecit. Quapropter Rudolfum Habspurgi & Austriæ tunc Comitem Theodoricus adijt, eúmque rei totius narratione adeò suum facit; ut quàm primùm & sylvam & proventus scriptis ritè literis firmatos loco tribueret. Hinc ædicula in justi templi formam excrevit, & ab Eduardo Constantiensi Episcopo Consecrata, & Parochiali jure dotata; demum à Leopoldo Austriaco Rudolfi nepote Anno 1319. Monasterio D. Blasij Ordinis S. Benedicti donatione perpetuâ cessit. Consulamus de affectu & hac sacra æde Beatæ Virginis Leonardum Mayr scribentem. Ab ineunte, inquit, ætate Rudolfus illi devotus, nullum arduum negotium, nisi Mariâ auspice aggressus est. Unde, cum adultus in Hercynia sylva intellexisset, vallem territorij S. Blasij dictam Todtmos/ adeò insalubri aëre laborare, ut quodcunque vivens animal eò pedem inferret, illicò lethali morbo corriperetur; spe conceptâ de Magnæ Matris auxilio Rudolfus in ea vicinia Ecclesiam condidit, & Mariæ viventium Matri dedicatum voluit. Placuisse id Virgini, ostendit eventus, & subsecuta auræ mutatio, quæ nulli ampliùs viventium nocet. Mors cedat oportet, ubi Mater vitæ locum sibi vendicat. Frequentia insuper in æde miracula multos eò peregrinos alliciunt, reddúntque gratiarum Marianarum, & quæ supplices flagitant, beneficiorum participes; ut ditiores semper ad propria redeant, largitatémque Magnæ Dominæ deprædicent grati clientes. Cui Reginæ Cæli, ut Rudolfus gratiosioribus vinculis constringeretur in terris, dedit annus Christi 1270. quô Philippus Benitius Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis V. Generalis, doctrinâ & vitæ sanctitate illustris eidem Rudolfo, & conjugi Annæ manibus proprijs Dolorosæ Confraternitatis Scapulare tradit.

Et in Deipar. Munificentia. Atlas Marianus fol. 174.

Ephemerides Mariana p. 2.

Annus proximus 1271. excitat gravem controversiam inter Rudolfum, Civitatem, & Episcopum Basileensem cognatum ejus, circa ditionum paternarum fines, & terminos, quam Rudolfus suavibus medijs componere conatur, sed irrito conatu. Idcirco Anni 1272. verno tempore evocato ex hybernis milite Ba-

Benignitas in hostem. *Gerardus de Roo Historia Aust. lib. 1.*

sileam ducere, eique incommodare cogitur. Accessit insuper novus hostis Rudolfo Abbas S. Galli, quem singulari humanitate in suas partes traxit. Paucis enim comitatus & inermis in Monasterium (dum Abbas loci cœnaret) venit, mensæque assedit, atque inter cœnandum illi conciliatus est, adeò, ut auxilia mutua contra hostes pollicerentur. Facta pace Rudolfus è Monasterio discedens, fertur ad suos dixisse: *cui sunt tres lites, meô judiciô optimè fecerit, si duabus compositis, tertiam tanto diligentiùs prosequatur.*

Copijs Abbatis Rudolphus auctus in agrum Basileensem contendit, aderant illi & Tigurinorum auxilia. Excogitaverat verò singulari industria navium aliquot fabricandarum novum modum, quæ solubiles erant, & quocúnque lubitum esset ferri poterant: Iis in trajicieudo Rheno usus, ita assiduis excursionibus hostem vexabat, ut ager circa Basileam incultus relinqueretur.

Annô ejus sæculi septuagesimô tertiô, cum omnibus copijs Basileam sub ipsa mœnia movet, propè Divæ Margaretæ castris locum capit; Sancti Georgij vallem depopulatur, & pagum Clingenam exurit. His territi Basileenses, & vel maximè Episcopus, inducias cum utrisque facit, turbatâ interim alibi quoque Germaniâ, quæ Principem quærebat, qui illam summa cum prudentia administraret & armis tueretur. Sed actum agit, in irritum cadunt vota, spe obtinendi Principis ubíque luditur, undíque luditur, vexata malis Germania.

CAPUT IV.

Electio Rudolphi in Imperatorem, observantia in Romanum Pontificem, amor & æstimatio Literarum.

CUm Wilhelmus Romanorum Rex, Hollandiæ Comes, vir animi magnitudine, studiô Religionis, ac bellicæ laudis excellens contra Frisios sibi rebelles Anno Christi 1255. arma ferens, ex insidijs hastis confossus, obijsset, Annô quinquagesimô septimô supra millesimum ducentesimum Electores, Moguntinus, Coloniensis, Palatinus, Richardum Joannis Anglorum Regis Cornubiæ Comitem, Regem Romanorum pronuntiârunt: Arnoldus Archi-Episcopus & Elector Trevirensis cum Bohemiæ Rege, Saxoniæ Duce & Brandenburgico Alphonsum Regem Hispaniarum

Turbatur Imperiũ ex Electione instit.

rum, Castellæ & Legionis etiam Romanorum Regno dignissimum pronuntiârunt; vacavítque distractis ita Electorum suffragijs Imperium ad annum 1273. quô Gregorius X. Pontifex, missis in Germaniam nuntijs Principibus author erat, ut, cùm primùm liceat, in tanta morum atque legum confusione, moderatorem Imperio deligant. Electores multùm de Rege designando, suóque & Reipublicæ discrimine inter se collocuti, deníque campum legunt Francofurtum Comitijs finiendis. Electus est igitur Rudolfus Habspurgi Comes Austriacæ Domûs fundator, atque ex sua Domo Germanici Imperij Regum & Imperatorum assumptorum *Alpha*, quàmvis Rege Bohemiæ absente & contradicente. Dies electionis contigit festo S. Michaëlis Archangeli; felicissimo planè omine, seu repræsentaturus ipse Imperio Angelum, seu habiturus præsidem Imperiorum Michaëlem in sui, atque Augustissimæ suæ Domûs Genium Tutelarem. Videre hìc lubet Dei providentiam admirabilem. Sacerdos ille, cui Sacro-sanctam Eucharistiam deferenti Rudolfus equum donârat, factus Archi-Episcopo Moguntino à secretis & officijs divinis, apud ipsum Moguntinum, aliósque Imperij Electores Rudolfo æstimationem, utpote herois, Imperio præ cæteris, qui in Germania essent, longè dignissimi cum S. Alberto Magno Dominicano, Rudolfi Confessario, conciliârat. Movit ad hanc electionem præter commendationem præmemoratorum, beneficium à Rudolfo Moguntino Archi-Episcopo & Electori præstitum. Quippe nuper Româ revertens Elector ditiones Rudolfi intraverat. Occurrit illicò Comes hospiti, & honorificè habitum, continuatis officijs Argentoratum usque perduxit. Per iter totum animo Rudolfum emensus fuit Moguntinus. Reperit in illo Principem coronâ Imperiali dignum. Quare, dum valediceret, sublatis in cælum manibus, Deum rogavit, sibi copiam fieri, priusquam moreretur tam dignum caput vicissim honorandi; quod uti vidimus, assecutus est. Recensentur autem plura præsagia, quibus divinam providentiam non hominem nutu ad Imperium extulisse demonstrant, intérque illud in Colmariensibus Annalibus adductum, virum prænobilem atque opulentum, cui de Clingen nomen erat, hoc cælesti viso imperaturum agnovisse: *Vidit*, inquiunt, *Principes & Electores Imperij congregatos & dicentes: quicunque ex vobis hanc coronam levare poterit, Rex ab omnibus habebitur. Singulis autem se probantibus*, nullus eorum levare potuit eam. Tandem Rudolfus Comes de Habspurg coronam potenter levavit,

Quod electo Rudolpho componitur.

Gerardus de Roo supra citatus.

Signa quædam, quæ electionē anteced.

vit, seque coronavit. Visionem hanc eventus subsequens approbavit: eligitur enim in crastino Michaëlis Anno M. CC. LXXIII. Hæc Odoricus Ragnaldus in Annalibus Ecclesiasticis ad A. C. 1273. N. 9.

Dum verò electio Rudolfi fieret, finitis inducijs Basileenses eodem tempore egregiè promotis castris ad mœnia pressit, & jam tenebat antè. Vbi accepit inopinatum nuntium, premere ultrà desijt, quos poterat opprimere, missis, qui reconcilationem suaderent, pacem fecit. Et Basileenses victi à benignitate victoris, affirmârunt, hactenus secum Comite Habspurgensi bellum gessisse, nolle autem imposterum cum Cæsare pugnare. Digna profectò subditi suum in Principem fidelitas, dignior Cæsaris suos in sclavos pacifica benignitas. Sed quia ex mente Tullij, nullus imperium pro dignitate Cæsar gubernat, nisi arte pariter, Martéque potens noscat dextram sceptrô, lævam ense ponderare; Rudolfus nè mancus sed ex utróque Cæsar audiret, animum debitum adjecit armis & suum singularem amorem attribuit literis, literatísque. Occupatus licèt rebus bellicis ante Basileam, Civi Argentinensi Historico Librum sibi de bellis Germanorum cum Romanis, & proprietates Belliducis describentem dedicatum, aureâ catenâ, quam collo pendulam gestabat, unâ adjunctâ portione æris regratificatus est. Cúmque eam ob rem à Burggravio Norimbergensi Friderico Zollerensi, ex sorore nepote, reprehenderetur, quòd id non potiùs in militum remunerationem impendisset, ita respondit: *Sine etiam doctos homines nostra facta laudare, & per hos ad bella animosiores reddere. Utinam plus temporis ad legendum nanciscerer, & impensas, quas sæpius in inutiles milites expendo, in doctos homines transferre possem!* Qua in re nactus est imitatores Rudolfus omnes ex sua Augustissima Domo Austriaca oriundos, & vel maximè Imperatores, usque ad nostram ætatem, quos ingeneratâ quâdam benignitate maximos fuisse eruditionis & eruditorum amatores constat, eorúmque ex numero Maximilianum (non tantùm gessisse res magnas, verùm etiam ad imitationem primi Romanorum Imperatoris) Julij Cæsaris rerum à se gestarum Commentarios conscripsisse.

Amor Literarum.

Lambecius Comment. de Biblioth. Cæsarea. l. 1. c. 31.

Ad Rudolfum, numeris omnibus absolutissimum Principem, revertamur. Is pro sua erga caput supremum Ecclesiæ Pietate & Reverentia mox electionem suam significavit Epistolâ quam damus.

Observ. erga Rom. Pontif.

Romano jam prîdem vacante Imperio Principes Electores, quibus

quibus in Romani Electione Regis jus competit ab antiquo, die locóque præfixit, ab omníque convenientes in unum, post multos, & varios, de futuri Regis Electione, tractatus tandem sub deliberationis prolixæ consilio, quam negotij qualitas exigebat, licèt poterant in nonnullos alios longè clariorum virtutum titulis insignitos, longéque majoris meriti claritate conspicuos, consensisse: nos tamen ad tam honorabilis oneris, & onerosi honoris Fastigium nullo prorsus ambitu, teste conscientiâ aspirantes, ad Imperij Regimen evexerunt; acceptione nostra, nihilominus importunâ instantiâ, postulata. Nos itaque licèt animo trepido revolventes, quæ, & qualis esset hujus Divinæ dispositionis vocatio, utpote nostræ multiplicis insufficientiæ non ignari, formidavimus conscendere tantæ speculam dignitatis, quodam nimirum attoniti tremore & stupore: In eo tamen, qui alto & ineffabili suæ Divinitatis consilio conditiones, & statum terrestrium prout vult, & variat & alternat, quíque robur multiplicat, & balbutientibus eloquentiam tribuit, confidentes, & spiritum fortitudinis assumentes, ad laudem, & gloriam Regis Regum, ob Reverentiam Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Catholicæ fidei fulcimen, tum tam laboriosæ solicitudinis exercitio, & tam onerosæ Curæ regimini; Nè, quod superni Consilij altitudo decreverat, scissionis aut rupturæ dispendio contingeret infirmari, subjicimus humeros imbecilles: sperantes, quòd nobis tam Dei, quàm Sacro-sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non Apostolicæ gratiæ plenitudo, atque Paterni vestri favoris clementia debeat non deesse. Jactatis igitur cogitationibus nostris in eo, cujus imperio vivimus, & in vobis anchorâ spei nostræ totaliter collocatâ, Sanctitatis vestræ pedibus provolvimur supplicando rogantes, quatenus nobis in assumpto negotio de benignitate consueta, favorabiliter aspirantes auxiliatricibus apud Altissimum Hostijs adjuvare dignemini: Causam nostram, imò totius Reipublicæ specialem, ut in suo beneplacito dirigens, gressus nostros per suorum dignetur nos ducere semitam mandatorum. Ut igitur salubriùs & feliciùs ea, quæ sibi sunt placita, & Ecclesiæ suæ sanctæ sunt grata, jugiter prosequi valeamus; placeat vestræ, quæsumus, sanctitati nos Imperialis Fastigij Diademate gratiosiùs insignire. Nos enim potentis & volentis animi armaturâ præcingimur, quæcunque nobis vos & Alma Mater Ecclesiæ duxeritis imponenda.

M.S. Codex Epistolaris Rudolphi I. collectus operâ Joan. Seifr. Abbatis Zvvethalensis Ordinis Cisterciensis.

Ad hanc Epistolam quid responderit Rudolfo Pontifex nullibi reperi. Gratam tamen fuisse electionem Rudolfi patet in

literis datis ad Fridericum Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, in quibus Rudolfum diverſis præconijs ornat aſſerens: *Rudolfum eſſe Catholicum Principem, Deo devotum, veritatis amicum, Zelatorem juſtitiæ, favorabilem Eccleſijs ac perſonis Eccleſiaſticis, & Eccleſiæ libertatis ſedulum promotorem.*

Elogium Rudolfi I. à Pontifice datum.

Addamus his illuſtribus præconijs præconia, quibus Rudolfum ornat Engelbertus de Domo Nobilium de Walckenburg Archi-Epiſcopus Colonienſis datâ ad Pontificem epiſtolâ, cujus tenor ſequens: Et ut de Regis electi, inquit, ſic & coronati perſona Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris noſtræ nova gaudia cumulentur, idem Rex eſt: *Fide Catholicus, Eccleſiarum amator, juſtitiæ cultor, pollens conſilio, fulgens pietate, proprijs potens viribus, & multorum potentium affinitate connexus, Deo, ut firmiter opinamur, amabilis, & humanis aſpectibus, ut cernitur, gratioſus; inſuper corpore ſtrenuus, & in rebus bellicis contra infideles fortunatus.*

M. S. Codex Epiſtolaris citati autoris.

Propter quod ſperamus in eo, qui Reges, & Regna conſtituit, quòd ſub ejus Principatu pacifica quies Regno proveniet, pax Eccleſijs, concordia plebibus, & moribus diſciplina: ità quòd gladij conflabuntur in vomeres, Cornu Chriſti ſui à Rege Regum magnificè ſublimato.

Vos itaquè quæſumus Pater ſancte, ſuſcipite Filium ſingularem, quem procul dubio ſentietis intrepidum Matris Eccleſiæ pugilem, & invictum fidei Catholicæ defenſorem. Proceſſum verò tam ritè, tam providè, tam maturè de ipſo ſic habitum, gratioſæ approbationis applauſu benevolo proſequentes, ac ex affluenti Paternæ dulcedine pietatis opus perficientes; Dei in ipſo eundem, cum veſtræ Sanctitati placuerit, & viſum fuerit opportunum, ad Imperialis Faſtigij Diadema dignemini miſericorditer evocare: ut ſciant & intelligant univerſi, quòd poſuerit vos in lucem gentium Dominus, & per veſtræ diſcretionis arbitrium, orbi terræ poſt nubilum exoptata ſerenitas illuceſcat.

Idem M. S. Codex Epiſtolaris indicat quempiam è cœtu Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium dignitatem Cæſaream Rudolfo gratulatum fuiſſe. Quam, ut hic apponam, non arbitror fore ab inſtituto meo alienum.

Sublimitatis (inquit) Veſtræ glorioſæ promotio ad totius orbis imperiali lumine orbati diutiùs claritatem, ad Sanctæ Matris Eccleſiæ propugnaculum, & juvamen, ad Chriſtianæ fidei propagationem, & gloriam divinis auſpicijs procurata, quàm citò mihi innotuit relatione veridica, tantâ cor meum lætitiæ ſuavitate perfudit,

fudit, quòd ipſam nec calamis poſſum ſcribere, nec verbis plenariè declarare, cùm ex hoc manifeſtè collegerim, quòd Pater miſericordiarum ſuper deſolatione populi Chriſtiani oculos pietatis aperiens, finem inteſtinis diſcordijs, quæ ſpecialiter intra viſcera Romani Imperij diutiùs exarſerunt, velit imponere, & per veſtræ victricis potentiæ brachium mundo pacem, quæ multis retrò temporibus exulaverat, ſeminare. Et quoniam ad comprobandum conceptam de veſtra exultatione lætitiam, juxta cordis noſtri deſiderium, certis cauſis prohibentibus, non poſſum perſonaliter comparere, virum providum, & omni ratione multipliciter fide dignum ad veſtram duxi Celſitudinem dirigendum, qui ſuppleat in expreſſione gaudij mei quodammodo viam meam, & me Dominationi veſtræ, licèt abſentem præſentialiter, paratum ad veſtra regalia imperia repræſentet. Hæc Cardinalis ille.

Porrò Rudolphus præter ſpem & expectationem ad ſublime Imperij faſtigium provectus, nihil antiquius habuit, quàm ad Abbates Ciſtercienſes Ciſtercij congregatos quantocyùs recurrere, eorùmque preces & ſuffragia apud Deum pro ſtabiliendis Imperij ſui exordijs implorare. Audierat fortaſſe aliquando verba, quibus ipſa æterna veritas Chriſtus Beatæ Mechtildi, utì videre eſt L. 2. Operum ipſius cap. 5. cohoneſtârat Virgineæ Matris Ordinem venerabilem, nimirum quòd *Ordo Sancti* Bernardi ſuſtentet Eccleſiam, velut columna, cui tota domus innititur, adeóque credidit, ſi huic ſacræ Religionis ſe, ſuámque Auguſtam Domum & Imperium comendet, habiturum ſe in ejus precibus fortiſſimam columnam, cui Auguſtæ Domus, & Imperium Romanum innitatur, & inconcuſſum perſiſtat. Juvat Epiſtolam ipſam Rudolphi hìc referre.

Aſſumpti, inquit, *Divinitus ad Romani Imperij dirigenda molimina, dum in eminentis ſpeculæ celſitudine, cui nos manus Domini virtuosè præfecit, ad deorſum ſubjacentis abyſſi faciem oculos retorquemus, dum incultum hactenus agrum ejuſdem Imperij, circumquáque proſpicimus; tempeſtatum inſurgentium denſitate quotidie ſylveſcentem, quodam nimirum timore pariter & horrore demittimur ex præmiſſis incertâ formidine meritò trepidantes. Verùm rejectis interdum, ad primitivæ noſtræ ſublimationis auſpitia noſtræ Conſiderationis obtutibus, attendentes, quòd manus Altiſſimi, de tam humilis loci tugurio, ad tam celſata & faſtigioſa palatia nos provexit; in eo, cujus admiranda potentia dat per gratiam eſſe ſtabilia, quæ ſunt fragilia per naturam, noſtræ fiduciæ ſpem locamus, præſumentes fiducialiter,*

quòd opus, quod omnipotentiâ ſuâ dignoſcitur ineffabili diſpenſatione contextum, felici præſagio conſummabit.

Porrò, cum ad hoc preces juſtorum aſſiduas nobis ſummoperè neceſſarias æſtimemus, Devotionem veſtram attentiùs exhortamur, quatenus debitâ gratitudine diligentiùs advertentes, quòd in veſtris agendis Regia vobis Celſitudo libenter aſpirat, piarum orationum veſtrarum ſuffragijs nos Divinæ clementiæ commendetis.

Hactenus Rudolphi Epiſtola ad univerſos Ordinis Abbates Ciſtercij congregatos; cui ex perſona eorundem quàm primùm reſpondit, qui præfuit ſacris illis Comitijs Ciſtercienſis Abbas hâc, quæ ſequitur, epiſtolâ.

Sereniſſimo Rudolpho Romanorum Regi electo.

F*Rater Joannes, in illo feliciter agere qui Regibus dat, ſalutem.*

SUblimitatis Regiæ Veſtræ litteras ſuſceptas cum reverentia debita legi feci coram fratribus, de diverſis mundi partibus congregatis. Et quia eædē quaſi duplici fungentes officio, noſtrorum Fratrum Veſtræ Excellentiæ devotorum exhiberi vobis devotarum orationum ſuffragia poſtulabānt, & vos eorundem ſingularem Dominum dilectorem præcipuum & proviſorem munificum teſtabantur, non ſolùm auditæ fuerunt libentiùs, & gratiùs intellectæ; Verùm etiam ipſarum petitio efficaciter, & hilariter meruit exaudiri. Noverit igitur Veſtra Serenitas, quòd pro veſtræ conſervatione ſalutis pariter in augmento, pro Illuſtriſſima Domina Anna, Veſtræ Magnificentiæ participe, & conſorte, nec non pro præclariſſima veſtra prole, univerſis & ſingulis Fratribus totius Ordinis noſtri Miſſæ, & aliarum Orationum ſuffragia ſunt impoſita, & injuncta, ab eiſdem eô libentiùs & celeriùs Divinæ Clementiæ offerenda, quô vos Patrem recognoſcunt benevolum, & ipſorum fervidum Zelatorem, quos licèt ex abundanti Veſtræ Excellentiæ propius recommendo, pro indultis eiſdem gratijs, & favoribus, & gratiarum vobis multiplices actiones aſſurgens, paratus nihilominus ea promptiori animo juxta modum facultatis propriæ, effectu proſequente complere, quæ accepta novero veſtræ beneplacito voluntatis.

Extat etiam epiſtola Rudolphi Cæſaris, quâ eodem tempore, quo Ciſtercium ſcripſit, à Sanctimonialibus ejuſdem Ordinis pro ſe, & conſorte ſua orationum ſuffragia expetijt, ratus publica Imperiorum negotia non ſat felici progreſſu incedere, niſi unitis piorum ſuffragijs firmentur.

Ad ſpeculam inquit, *dignitatis Regiæ, ordinatione Divina provecti, dum importabilia onera noſtris humeris incumbentia diligenter attendimus, dum in trutina continuæ meditationis appendimus propriarum imbecillitatem, & inſufficientiam virium, & ſuſcepti laboris inſpicimus gravitatem: quod jam nimirum timore & tremore ſtupere compellimur, & gradûs præeminentiam & perſpectam deorſum abyſſi faciem formidantes, nè loci forſitan terribilis altitudo plerùmque nos terreat. Et fiducia tamen Divinæ Clementiæ relevamur, ſperantes, quòd hujus procelloſi, & ſpatioſi maris illæſi tranſire poſſimus anguſtias, ſi ſalutis, & gratiæ nobis impetretis auxilium, quæ Cæleſti ſponſo in Conſcientiæ veſtræ delicijs lectum floridum præparâſtis. Quid enim vobis à Pietate Divina negabitur, quamquam ſemper illam meremini habere propitiam virtutum Candore, & fragrantia operum Beatorum? quid apud Reginam præfulgidam Matrem Dei veſtra non poterunt obtinere præconia, quorum meritis fulget Eccleſia, viget mundus exemplis, & proficit Religio Chriſtiana? quid illa clariſſima acies Civium ſupernorum veſtris votivis non impetrabit affectibus, quæ vobis propitia redditur pro laudis divinæ præconijs & pro vitæ meritis innocentis? Ecce igitur qui cum Martha multiplicis perturbationis inquietamur incommodis, opportunum auxiliationis ſolatium expectantes ab acquieſcentibus cum Maria univerſitatem veſtram, quam Regis æterni gratiam, & cæleſtis curiæ favorem claris habere argumentis præſumimus, votis ſupplicibus duximus requirendam, quatenus Nobis ac Inclytæ Annæ Romanorum Reginæ conſorti noſtræ chariſſimæ, divinæ Omnipotentiæ gratiam, veſtris pijs interventionibus acquiratis, ut ejus admiranda potentia faciat per gratiam eſſe fortiſſima, quæ ſunt fragilia per naturam, debilitatem noſtram robore fulciat, & virtute corroboret: dètque nobis ab alto proſequi, quod commiſit & tradidit, quatenus in Gloriæ ſuæ convaleſcat augmentum, & Chriſtianus populus unà nobiſcum in pulchritudine Pacis & Requie opulenta conſideat, tandem claritatis perpetuæ radijs illuſtrandus.* Præmiſſas tres epiſtolas etiam ex citato ſuprà M. S. Codice Epiſtolari fideli calamo deſumptas dedimus.

Magnam equidem laudem meritus eſt Reverendiſſimus & Doctiſſimus D. Joannes Seifridus, vigilantiſſimus quondam Abbas Zwethallenſis Ordinis Ciſtercienſis, quòd curâ & ſtudiô ex antiquis duobus Monaſterijs S. Crucis, & Monaſterij Zwethallenſis Codicibus manuſcriptis Epiſtolas 149. partim & quidem præcipuè ab Ipſo, partim ad Ipſum, partim de Ipſo Rudolpho ſcriptas collegerit, & in tres Libros diviſerit. Summam laudis attigiſſet, ſi Perſonas, & Annum, quô, & ad quas datæ ſunt, expreſſiſſet. Has ipſas Epiſtolas Clariſſimus Petrus Lambecius ad prælum parabat,

K rabat,

rabat, & Syntagmati ſuo *Rerum Germanicarum* inſerere volebat, additis non ſolùm Seifridianis, verùm etiam ſuis Annotationibus cum Tabula Chronologica, & variantibus lectionibus ex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquo Codice membranaceo, inter Codices M. S. Philoſophicos & Philologicos Latinos ducenteſimô ſexageſimô ſecundô, in quo eædem extant, quem mihi inſpicere hactenus non obtigit. Ipſi verò Lambecio hunc ingenij partum, utpote morte prævento, non licuit eniti, quò lucubrationes ſuas coronaret. Nos jam ad Coronationem veniamus.

CAPUT V.

Rudolphus Aquisgrani coronatur; ſigna in cælo viſuntur; Crucis amor & Rudolphi in Crucifixum fiducia; Cura Imperij; Liberalitas in militem; Severitas in prædones.

Rudolfus Aquisgrani coronatur. *Annales Trevirenſ. ad Ann. 1274.* Conſpecta in cælo Crux dum Regalibus cingitur. *Annal. Colmarienſes. Nirembergius citato opere f. 82. & 83.*

RUdolfus igitur Januario Anni 1274. ineuntis Aquisgranum magnâ Principum coronâ cinctus, unà cum Anna conjuge pergit, atque octavo Idus ejuſdem menſis coronatur. Dignum memoriâ eſt, quod coronationis, utì tempore Conſtantini Magni factum legimus, evenit. Per horæ ſpatium candida nubes in Crucis figuram diffuſa, ſudo & ſereno cælo ſe aſpectantium oculis viſendam præbuit; quæ ſubinde ſparſis in orbem radijs ſanguineum ruborem induit. Eâ re ad Rudolfum delatâ, dixiſſe fertur: *Si Dominus vitam, proſperitatémque conceſſerit, tranſmarinas partes adibo, & pro peccatis meis Domino JESU ſanguinem meum conſecrabo.* Præfulgida illa ſereno cælo nubes in Crucis figuram diffuſa apparens, omen fuiſſe videtur inaugurationis gratæ ſuperis, & glorioſorum eventuum Pietate, ac Religione ducibus per Auguſtalem Rudolfi proſapiam in Imperio ſecuturorum. Illud etiam memoriâ & admiratione non minùs dignum, quid eo temporis quando coronabitur, acciderit: incuriâ eorum, qui regalia, & apparatum Cæſareum advehere debebant, fortè fortuitò factum, quòd ſceptri unà deportandi non meminerint; atque ideo Corona ipſa Principum primum fidelitatis & ſubjectionis obſequium præſtare tergiverſata fuerit. At ſuâ conſtans in functione, cæteríſque mente ſuâ verè Cæſareâ ſanior, nullum ab argento, auríve ſplendore

pretium

pretium pondúſque dignitatis ſumendum ratus, Crucifixi effigie ab Altari accepta, ita ad præſentes: *hoc ſceptrum eſt, quo Deus regnat, quo redempti omnes ſumus: hoc ego utar contra hoſtes Dei, ac Imperij, & perſonæ noſtræ rebelles.* Jvêre in ſententiam Principes, ac crucem exoſculati, præſtitêre conſuetum Cæſari juramentum. Hoc ipſum factum Odoricus Raynaldus Congregationis Oratorij Presbyter, celeberrimus Annalium Eccleſiaſticorum poſt Baronium Scriptor ad Annum ſuperiorem narrat. Sequitur enim eorum ſententiam, qui coronatum Rudolfum feriâ 3. poſt feſtum S. Lucæ, vel in Vigilia omnium Sanctorum, volunt. Cùm, inquit, Rudolfus exigeret à Principibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus fidei juramentum, illúdque recuſarent Principes propter Sceptri abſentiam, Rudolfus ſignum Crucis arripiens dixiſſe fertur: *Ecce ſignum, in quo nos & totus mundus eſt redemptus, & hoc ſigno utamur loco Sceptri:* & deoſculatâ Cruce, omnes Principes, tam ſpirituales, quàm ſæculares ipſam Crucem loco Sceptri oſculantes, recipientes Feuda, fidelitatis juramentum præſtiterunt.

Si verò inquirere placet in ipſa virtutum media, quibus ad ſupremum hunc dignitatis Cæſareæ gradum feliciſſimè pertigit; erat Rudolfus à dotibus tantô faſtigiô dignis omni ex parte à natura inſtructus; minùs tamen ſe perfecturum Religioſiſſimè credebat, niſì dotibus naturæ Dei gratiam adderet: quo propitio vivebat certus ſecundiſſimæ fortunæ. Ac propterea ſtatim initio gubernationis ſignum Crucis, quod monimentum eſt redemptionis noſtræ, voluit eſſe pignus ſuæ felicitatis. Magnâ veneratione ferebatur in hoc trophæum Chriſti. Ex peculiari in eum devotione providebat, ut negotia majoris momenti in feriam ſextam hebdomadæ differrentur. Quare ſi pugna ineunda, ſi ſuſcipienda ponderoſior expeditio, ſi aliud reconditioris conſiderationis agendum, continuò deligebatur dies Chriſti Paſſioni dicatus, quem ſibi fauſtum ac felicem, ex præſidio Crucis conſtanter promittebat; etiam favente per ſecundos ſucceſſus experientiâ fortunatè capti auſpicij. Curabat, ut in vexillis, ſignísque militaribus Crucifixi Imago depicta repræſentaretur. Nec externo tantùm apparatu fovebat devotionem, ſed & proſequebatur intimo affectu ac plurimum oratione. Quotidie ſtatas horas impendebat fundendis precibus, per quas actionibus ſuſceptis præſidium, ac propitium de cælo Numen ardenter implorabat. Solebat dicere: conjunctionem cum Deo plurimam commodare operam bonæ gubernationi: nihil priùs Principi ſatagendum, quàm ut ſibi

Crucis amor & in Crucifixum fiducia.

Nirembergius citatus f. 83.

Dei benevolentiam demereatur, hoc pacto omnia in tuto proſperè fore collocanda. Conſtantiſſimus erat in occupando tempore ad orandum præfixo, nullis ab eo negotiorum momentis unquam avocari ſe paſſus. Poſt ſuſceptam coronam ad moderanda regni jura in diverſas Imperij urbes Cæſar proficiſcitur; quâ profectione otium nonnullum Reipublicæ, ſecuritatémque repreſsâ prædonum licentiâ, Germaniæ peperit. Duravit illa rabies prædonum ad annum uſque 1283. ùt ex annalibus Trevirenſibus colligere eſt, quo toto tempore plurimùm Rudolfus ſolicitabatur, ut Germaniam ex integro ſublatis deprædationibus, injurijs, diſcordijs, tyrannidibus, paci ac tranquillitati priſtinæ reſtitueret. At nihil arma in tot flagitia profeciſſent, niſi Prudentiam Gubernationi Rudolfus admoviſſet; niſi conſiliô & induſtriâ, Reginæ virtutum prudentiæ collactaneis, opera Herculeis propè viribus deſperanda ſuſcepiſſet. Octoginta, eâ tempeſtate, caſtra, ſeu facinoroſorum receptacula per Imperium excidit. Captos latronum primipilos, aut clavo affigi, aut capite minui, fecit. Tanta exinde per Germaniam conſecuta itinerantium ſecuritas, ut profecti mercimoniorum causâ affirmarent, tutiora ſibi eſſe, quæ deportabant, in vijs publicis, quàm olim fuerint in domibus atque officinis. Diruit complures arces, à quibus vicinorum infeſtationes, prædæ, inſolentiæ in patentes Provincias redundabant. Hos ſeditioſorum nidos erectis alibi munitionibus in tutelam finium compenſavit. Porrò inter Imperij urbes, quæ magno cum honore Rudolfum ſuſceperunt, déque ejus promotione gaviſæ ſunt, una eſt Colonia Agrippina ſacrarum Reliquiarum dives, occaſione nimirum multorum millium Virginum cum B. Urſula ab Hunnis ibi cæſarum. Item S. Gereonis & ſociorum, ſub Diocletiano & Maximiniano Imperat: inibi etiam interfectorum, ut paſſim per alios Chriſtianorum Provincias inde communicatæ fuerint in uſum ſacrum, puta Conſecrandorum Altarium, venerationem fidelium, aut alium ſimilem. Hæc igitur Urbs, cùm in Rudolfo ſacrarum Reliquiarum ſummam venerationem ineſſe haud ignoraret, ei imprimis notabile Dominicæ Crucis fragmentum & unam ex ſpinis Coronæ Dominicæ obtulit, præterea S. Joannis Baptiſtæ dentem, S. Jacobi Apoſtoli digitum, S. Mauritij Martyris mandibulam; plurimas autem ſanctarum Virginum & Martyrum ex Societate Sanctæ Urſulæ Virginis & Martyris Reliquias, quas uſque ad Fundationem Cœnobij Tullnenſis Sanctimonialium Ordinis ſancti Dominici Rudolfus Cæſar inſtar pretioſiſſimi theſauri

Severitas in prædones.

Idem f. 95.

Rudolph. Colon. Agrippinæ SS. Reliquijs donatur.

Beyerlinck in magno Theatro vitæ humanæ tit. Reliq.

M.S. Canobij Tullnenſis.

thesauri apud se habuit, summáque veneratione est prosecutus. Sed non procul à proprio stipite poma cadunt. Progenitorem bonum, bonæ itidem sequuntur proles. Annales Sueviæ Martini Crusij referunt hoc eodem anno Basileæ adfuisse quatuor Filias Cæsaris, & festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Missam audijsse, oblatis permagnis cereis in presbyterio Fratrum Prædicatorum. Porrò Rudolfum Cæsarem veneratione illâ Sanctorum nemo crediderit ità eum unicè intentum fuisse in promovendo Honore Cælitum, ut negligeret meritis debita gloriæ insignia suis conferre Aulicis, Aulæque ac Imperij subordinatis Præsidibus.

Ejusdem filiarum pietas. Lib. 3. p. 111.

Moguntiæ moratus Cæsar festo S. Martini Episcopi & Confessoris, Jacobum Müllerum Equestri dignitate in præsentia multorum Principum ibidem existentium donavit, honoribusque alijs & Ditionibus auxit. Virum hunc Imperator maximâ Benevolentiâ prosequebatur. Mirantibus universis: memorem se esse dixit beneficij à Jacobo accepti, quòd illius fortitudine atque fide, cùm contra Baronem Regenspergium pugnans, multis vulneribus affectus, à suis plerísque desertus, illius operâ equo impositus, & ex hostium manibus liberatus fuisset. Placuit responsum Cæsaris cunctis, & æstimata est mirum in modum Regia Rudolfi liberalitas, & in meritum gratitudo. Quin imò non gratias duntaxat dispensare in suos amabat æquissimus Princeps, sed, quoad licuit suammet Cæsareæ dignitatis Personam ad tempus transferre, in legationis munere non dubitavit. Sic, ùt Gregorius Pontifex sub id tempus frequentissimum Concilium Lugduni celebrabat, Rudolfus Cæsar Legatum Ottonem Præpositum Ecclesiæ Sancti Guidonis Spirensis Diœcesis, Imperialis Aulæ Cancellarium misit, qui Gregorio nomine suo Obedientiam fidelitatémque spopondit, & Sacramentô juravit; deinde omnia jura, privilegia, immunitates, libertates, bona, possessiones, civitates & provincias Romani Pontificis, & Apostolicæ Sedis ei à prædecessoribus Imperatoribus, præsertim Ottone IV. & Friderico II. datas, concessásque, nec non juramentis & literis publicis confirmatas, nomine ejusdem Rudolfi confirmavit, renovavit, & in omnibus approbavit: promittens de Rudolfo, quòd is ipse etiam coram summo Pontifice, vel ejus Legatis, eadem omnia pronus esset polliceri, præstare, confirmare, innovare, rata habere, contra ea nunquam venire velle, atque tum juramento dicto approbare, tum litteras Aureâ bullâ signatas in eam rem subscribere, quemadmodum

Liberalitas in Militem.

Legat. ad Pontif.

modum reliquiPrædeceſſores Reges,atque Imperatores Electi,Ecclesiæ, atque Pontifici ſeſe obligare conſueverunt.

Acta ſunt hæc omnia Lugduni Anno Domini 1274. die Martis, quæ erat 6. Junij Pontificatûs Gregorij X. Papæ Anno 3. Quibus omnibus in tabulas inſtrumentarias relatis, tandem ad 8. id. Septemb. Gregorius Pontifex in publico conventu, electionem ratam habuit, móxque ad omnes Principes literas in eam ſententiam dedit, ipsíque Rudolfo, ut quàm primùm in conſpectum ſuum veniret, atque omnia à Legato promiſſa ipſe præſtaret, mandavit.

Poſtquam prænominatus Orator Rudolfi Romanorum Regis Lugduno reverſus eſt, mox Rudolfus ad Gregorium Pontificem literas mittit, gratias agens, quòd Cancellarium Ablegatum ſuum benignè audiêrit, promittens ſe ſemper in omnibus Eccleſiæ Romanæ obſequentiſſimum filium futurum. Quarum literarum tenorem ſubnectere hìc placet.

CAPUT VI.

Rudolphi Epiſtola ad Pontificem, Amor in Ordinem S. Auguſtini.

M.S. Codex Epiſtolaris Rudolfi I. Cæſaris.

Epiſt. Rudolfi ad Papam.

Pater Patrum Amantiſſime, à cunctis filijs hominum ſuper omnia, qui ſub noſtræ mortalitatis vivunt habitu Reverende, in Veſtræ aſſurgentes laudis præconium, non quas tenemur, ſed quas poſſumus, actiones referimus uberes gratiarum, pro eo, quòd ſinceræ noſtræ devotionis propoſitum, ſeu promptitudinem per Virum, utique commendabilem (Ottonem *Præpoſitum*) *in Veſtræ Sanctitatis, Fratrúmque Veſtrorum præſentia expoſitam & oblatam audîſtis clementiùs, & propoſitis benigniùs intendîſtis ſolitæ gratiâ Pietatis: propter quod nos inſolidati perſiſtentes propoſiti corde puro, non fictâ conſcientiâ, ad honorem Dei & exaltationem Romanæ Eccleſiæ, ſemper ultronei volumus totis conatibus inveniri, omnes Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas favoris continuatione confovere, in exhibenda juſtitia ipſis fore faciles, & in conſervanda gratia, prout honorem decet Imperij, liberales, ad univerſalem orbis pacem omni niſu orituræ radicem diſcordiæ, medullitus evellere, in cavenda diſſenſionis materia Sedis Apoſtolicæ placitis, & mandatis filialiter obedire.*

Gerentes ferventi ſpiritu in mentis deſiderio, illi Terræ Sanctæ *Veſtræ bonitatis conſiliô nobis ſeu auxilio ſuffragante, quam unigenitus Dei Filius multiplici beneficio omnibus mundi partibus prætulit, ipſámque*

que consecrando aspersione sui sanctissimi Sanguinis rubricavit, tam potenter, quàm patienter, succurrere, quò Dei populus per multa tempora ab hostibus Crucis Christi afflictus pariter, & constrictus, ad Christi gloriam Sepulchrum Domini intrepidè valeat visitare.

Ad quod ardor desiderij in nobis eò vehementiùs accenditur, quò naturalis Genitoris nostri ossa ob Crucifixi gloriam, extra natale solum peregrè inibi quiescentia solicitiùs quotidie in nostris cordibus revolvantur: & quis prohibere poterit filium ex intimis cordibus concupiscere in paterno tumulo exulem pro eo fieri, qui exilio & miseriæ se tradidit, delicijs affluens paradisi?

Inter cætera verò desiderantiùs concupita desiderium est indefessum unâ vobiscum habere colloquium & tractatum: qualiter pax jam diu dispersdita inter Christicolas reformetur super omnibus tractatibus, per vestræ mellifluæ Pietatis dulcedinem cum nostro Cancellario habitis, offerentes animam, corpus, honores, res, & omnia nostra ad vestræ beneplacita Sanctitatis. Et ut verbo consonet operis gratitudo, Beatitudinis Vestræ pedes devotis osculis, cum vobis placuerit, volumus contingere, ac facie ad faciem Personæ Vestræ Sanctissimæ perfrui visione.

Ad hæc super controversia, quæ inter Nos ex parte una & Clarissimum Comitem Sabaudiæ fidelem Vestrum ex altera vertitur, amicabiliter vel justitiâ mediante, sinè strepitu sopienda, taliter ambo convenimus, quòd Nos unum, & ipse Comes alterum, viros idoneos ad Vestram curiam transmittemus, qui nos concordandi ad invicem habebunt plenariam potestatem. Ipsis verò non valentibus in unam concordare sententiam, ambo promittimus bonâ fide, verbo Arbitrij Vestri stare, certam habentes in Domino fiduciam, quòd ex quo post Deum & nullum alium, quàm ad Vos, & sacro-sanctam Romanam Ecclesiam, habere volumus refugium, seu respectum, quòd omnia nostra negotia, tanquam dilectissimi filij, semper habeatis Paternaliter commendata. Et ut prosperorum successuum nostrorum auspicia vos nunc non lateant; Vobis præsentibus notum fiat, quòd Principes, Barones, Civitates, Castra, & alia bona sacri Imperij per Alemanniam Nostræ obediunt unanimiter ditioni. Supplicamus itaque Vestræ Sanctissimæ quatenus N. dictis credentes ministerio vivæ vocis nobis dignemini patefacere Vestræ beneplacita voluntatis. Ità se, totùmque Imperium Deo & Sedi Apostolicæ Cæsareâ reverentiâ devovit.

Hoc etiam annô memorandus venit favor, quô Cæsar in Cœnobium Reitenbachense Ordinis S. Augustini Frisingensis Diœcesis ferebatur, quem sequens diploma his verbis exprimit.

Hundij Metropolis Salisburg. T.III.f.161.

RUdolfus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

Officiato suo de Byren dilecto fideli suo gratiam suam & omne bonum.

Amor in Ordinem S. August.

SUscepti cura Regiminis & solicitudo, quâ salutem, pacem & tranquillitatem generaliter omnium procurare intendimus, mentem nostram pulsat crebriùs & ad ea nos facit intentos specialiùs, quæ commoditatem Ecclesiarum respiciunt, & ad reformationem earundem. Cùm igitur nobis innotuerit, quòd Monasterium de Reitenbach ante aliquot annos rerum floruerit ubertate, nunc autem propter malitiam hominum bona sua ipsi Monasterio diripientium ad extremam pervenerit egestatem. Nos eidem Monasterio benignitate Regiâ cupientes succurrere, & ad bonum statum reducere, ut personæ ibidem Domino famulantes vitæ necessarijs non fraudentur, & à suis ipsius Nostræ Protectionis remedio releventur, ipsius Monasterij personarum, nec non omnium eidem Monasterio attinentium curam gerere cupimus specialem, confidelitati tuæ mandantes firmiter, ac districtè, quatenus dicti Monasterij Præpositi, & Conventûs ejusdem nostræ Majestatis nomine curam habeas diligentem, non permittens bona eorum distrahi, vel eosdem à quoquam indebitè molestari in hac commissione, quæ ex affectu Serenitatis procedit Regiæ, taliter te tenendo, quòd tua fidelitas Nostræ Majestati te faciat gratiorem. Datum Ulmæ 17. *Kal. Maij Regni nostri Annô primô.*

Cœnobij hujus singularem olim curam gessit Fridericus II. Cæsar, ùt patet ex diplomate, quod subjicimus.

In nomine Domini Amen.

FRidericus II. Dei favente clementiâ Hierusalem & Siciliæ Rex, Dux Sueviæ, omnibus in perpetuum per præsens scriptum, notum fieri volumus, tam præsentis quàm futuræ ætatis Christi fidelibus universis, quòd Nos fidem puram, devotionem sinceram, nec non honestam & religiosam conversationem dilecti fidelis nostri Domini Conradi Venerabilis Præpositi de Reichenbach attendentes suorum fratrum ibidem Deo militantium, ipsum quasi Capellanum nostrum, & Ecclesiam suam cum omnibus suis domibus majoribus & minoribus, bonis mobilibus & immobilibus, agris, pascuis, piscaturis, vijs & invijs, silvis, nemoribus & montanis, in nostram specialem recipimus gratiam & defensionem, statuentes, atque authoritate præsentium confirmantes, ut nulla omninò persona cujuscunque sit conditionis, Alta vel humilis, Ecclesiastica, sive sæcularis, memoratum Dominum Præpositum, vel aliquem suorum successorum, in bonis

Eccle-

Ecclesiæ suæ præsumat aliquatenus perturbare, nec eis damnum aliquod irrogare. Quod qui præsumpserit in suæ temeritatis vindictam, indignationem nostram se noverit incursurum. Et quia præfatam Ecclesiam in omni Jure, libertate, atque bonore ejus permanere volumus, sicut tempore Imperatoris Henrici Proavi nostri inclytæ recordationis, & omnium Progenitorum nostrorum dignoscitur permansisse, sub obtentu Gratiæ nostræ firmiter præcipientes: Nè quis Judex vel Persona quælibet in Curia Reitenbach *exerceat aliquod judicium: sed extra Curiam promoveant sua judicia. Ad bæc volumus & statuimus, ut si bomines sæpe fati Monasterij, rixando inter se, sicut sæpiùs solet evenire, læserint qualicunque modo, & si læsura non est letbalis, per Præpositum, vel Prælatum Monasterij prælibati eadem causa solito modo finaliter dijudicetur, ministeriales etiam nostri, & aliæ nostræ personæ bonestæ, ad nostram spectantes dominationem, si quid de suis proprijs possessionibus, seu feudis à nobis babitis, spe certissimæ remunerationis eidem Monasterio contulerint, & tradiderint, prout à Progenitoribus nostris authoritatem liberam babuerint conferendi, sic à nobis plenam potestatem babeant, prædicto Monasterio donandi liberè & absolutè. Nulli ergo omnino bominum liceat banc paginam infringere, aut ei ausu temerario contraire. Quod qui præsumpserit, Indignationem Omnipotentis DEI & B.V. MARIÆ, in cujus bonore Ecclesia sæpiùs memorata à nostris Progenitoribus est fundata, se noverit acriter incursurum. Ad Majoris itaque roboris firmitatem, præsentem schedulam inde conscriptam cum testium subscriptione, sigilli nostri Caractere fecimus insigniri. Testes autem sunt bi: Volkmarus & Marquardus filij ejus de Kemnata, Hermannus de Heigneberch, Svvicberus de Mindelberch, Conradus dictus Spannagl, Conradus de Mazenziebn, Conradus de Schongau, Bartholomæus de Wal, Conradus de Lechsperg, Præpositus Hermannus de Schongau, Heinricus frater suus Advocatus, & alij quàm plures. Datum apud Reitenbach Anno Domini 1263. undecimo Kal. Maij, sexta indictione.*

In Anno citato error admissus est, Fredericus enim Cæsar ante hunc annum, utì suprà retulimus, obijt. Dicendum forsan à successore Friderici, qui illo anno vixit, eadem Privilegia fuisse confirmata, & Wigelium Hundium in sua Metropoli Salisburgensi annos confudisse, aut, si mavis ad excusandum hunc Authorem, hunc errorem Typographo adscribendum.

Hæc privilegia Rudolphus ibidem Ulmæ existens authoritate Cæsarea firmavit.

RUdolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis Sacri Romani Imperij fidelibus in perpetuum Regalis Excellentia tunc ſui nominis Titulos ampliat, & extollit, cùm loca Divino cultui deputata, & perſonas ibidem Domino famulantes in ſuis Juribus confovet, ac ipſorum juſtis ſupplicationibus favorabiliter ſe inclinat. Ex parte ſiquidem Præpoſiti & Conventûs in Reitenbach, Ordinis S. Auguſtini, Friſingenſis Diœceſis Serenitati noſtræ fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſiones, libertates, & privilegium ab inclitæ recordationis Friderico quondam Romanorum Imperatore, ſub tenore & forma infrà poſita ipſis & ſuo Monaſterio indulta, & tradita, innovare ſeu confirmare, ac eos cum ſuis poſſeſſionibus & juribus juxta ejuſdem privilegij tenorem in protectionem noſtram de benignitate Regia recipere dignaremur: Tenor autem privilegij noſtris conſpectibus præſentatus talis eſt: Fridericus ſecundus Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Rex Siciliæ per præſens ſcriptum &c. ut ſuprà. Nos igitur prædictorum Præpoſiti & Conventûs in Reitenbach pijs ſupplicationibus inclinati conceſſiones, gratias, libertates & jura prædicta ipſis, ac ſuo Monaſterio gratiosè, & favorabiliter, & benignè indulta, tradita & conceſſa, de debita, & conſueta Majeſtatis Regiæ benevolentia innovantes & confirmantes, ratione Advocatiæ, Serenitati Regiæ in ipſis & eorum poſſeſſionibus competentis eos, & ipſorum Monaſterium, ac eis omnia attinentia juxta privilegij ſupradicti tenorem in noſtram & ſacri protectionem Imperij recipimus ſpecialem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ innovationis, Confirmationis, & protectionis paginam infringere, vel eidem auſu temerario contraire. Quod qui facere præſumpſerit, graviſſimè noſtræ Majeſtatis offenſam ſe noverit incurriſſe. In cujus rei Teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi, & Majeſtatis noſtræ Sigillo fecimus communiri. Datum Ulmæ, Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, decimo ſeptimo Kal. Maij, Indictione 2da. Regni noſtri anno primo.

CAPUT VII.

Rudolphi cum ſummo Pontifice colloquium, à quo Cruce ſignatur & ad Terram Sanctam aſpirat; ejuſdem in Eccleſiam benevolentia; hæreſim extirpat.

Rudolphi Colloquium cum Pontif.

ANno 1275. Rudolphus Imperator in colloquium cum Gregorio X. Pontifice Lauſanam venit, & quâ benevolentiâ Eccleſiam proſequeretur, Diplomate ſequenti declarat. In

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

EGo Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus vobis Domino meo Sanctiſſimo, & Patri Chariſſimo Gregorio divinâ providentiâ Papæ decimo, veſtríſque ſucceſſoribus, præſentibus ſubſcriptis Prælatis, Principibus & Nobilibus Imperij, ſpondeo, polliceor, & promitto & juro, quòd omnes poſſeſſiones, bonores, & jura Romanæ Eccleſiæ pro poſſe meo bonâ fide protegam, & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas Romana Eccleſia recuperavit, liberas, & quietas ſibi dimittam, & ipſam ad eas retinendas bonâ fide juvabo. Quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperaturum ſecundùm poſſe meum ero ſine fraude defenſor: & quæcunque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicophano uſque ad Ceperanum, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra Comitiſſæ Mathildis, comitatus Brithenovij cum adjacentibus terris expreſſis in multis privilegijs Imperatorum à tempore Ludovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam, & quietè dimittam cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen cùm ad recipiendum coronam Imperij, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica ſede vocatus acceſſero de mandato ſummi Pontificis, accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Vobis etiam Domino meo Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus veſtris omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici Imperatores conſueverunt ſedi Apoſtolicæ exhibere, & ſi propter negotium meum Romanam Eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit in expenſis. Omnia verò prædicta tam juramento, quàm ſcripto firmabo, cùm Imperij fuero coronam adeptus. Præter reverendum autem cœtum dominorum Cardinalium; videlicet venerabiles Patres Petrum Oſtienſem Epiſcopum, Ancherum S. Praxedis C. tit. S. Marci Presbyteros, Othobonum S. Adriani, Jacobum S. Mariæ in Coſmedin, Gotifredum S. Georgij ad velum aureum, & Matthæum S. Mariæ in porticu diaconos Cardinales, qui vobis tunc temporis aſſiſtebant; Prælati, Principes & Nobiles Imperij, coram quibus juravi, hi ſunt. Ademarus Lugdunenſis, Odo Mediolanenſis, Bonifacius Ravennas, Iacobus Ebredunenſis, Odo Biſuntinus Archi-Epiſcopi: Joannes Leodienſis, Stephanus Pariſienſis, Rudolphus Conſtantienſis, Henricus Baſilienſis, Guilielmus Lauſanenſis, Henricus Tridentinus, Amedeus Valentinus, Raymundus Maſſilienſis, Aymo Gebennenſis, Alanus Siſtaricenſis Epiſcopi, Gerardus electus Virdunenſis, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ, Fri-

dericus Dux Lotharingiæ, Conradus Dux de Teche, Fridericus Burgravius de Nurembercb, Albertus, & Burchardus Comites de Oumberch, Emicho & Fridericus comites de Liningen, Eberhardus Comes de Katzenellenbogen, Siguertus Comes de Werde, Tibaldus Comes de Ferreto, Henricus Comes de Vriburch, Ludovicus Comes de Hohemberch, Hermannus de Sulz, Mangoldus Comes de Nellemberch, & Eberhardus Comes de Habisburch. Ut autem hæc omnia vobis memorato Sanctissimo Patri nostro Domino Gregorio, Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, vestrisque successoribus per nos, & nostros successores Romanorum Reges, & Imperatores observentur, firmáque semper & inconvulsa permaneant, præsens scriptum nostro jussimus sigillo communiri: promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia simile aureâ bullâ typario nostræ Majestatis impressâ munitum infra tempus coronationis nostræ vobis, & sedi Apostolicæ sine difficultate qualibet exhibere. Actum in Ecclesia Lausanensi Anno Domini M.CC. LXXV. indictione III. XIII. Kal. Novembris Anno III.

Crucis Symbolum è manibus Pontificis accipit.

Suscepisse in Memorato Lausanensi congressu Rudolfum è Pontificijs manibus Crucis Symbolum referunt Authores, ex quibus Colmariensium Annalium Scriptor: Rex, inquit, accepit Crucem, & Regina, & Comes Phitretensis, & Comitissa, & penè omnes Nobiles, qui ad Curiam Papæ pervenerunt. Adductum verò Gregorij Papæ precibus Rudolfum, tradit Andreas Dandalus his verbis.

Vita B. Philippi Benitij.

Rudolphus Comes Habspurgi Rex Romanorum approbatur à Gregorio Papa, & promisit ire in favorem Terræ sanctæ, ad quam plurimùm anhelabat personaliter proficisci: unde ad ejus petitionem Rudolphus cruce signatus est, & sacræ militiæ Supremus Vexillifer, seu supremus militiæ Dux declaratus. Ad eam expeditionem multùm hortabatur Rudolfum Philippus Benitius, eundémque quòd comitari velit sacramento se obstrinxit. Verùm ex diuturna illa Rectoris (Imperatoris) orbitate creverat adeò effrœnata Nobilium audacia, ut quisque raperet, & quasi prædæ datum esset Imperium, ex illius minis suam conderet potentiam: fuêréque gravissima bella Rudolfo suscipienda, ut jura Imperij recuperaret: unde ob bellorum molem à profectione Hierosolymitana retardatus, in Saracenos arma non convertit. Ut autem Rudolfo Pontifex firmaret Imperium promisit æmulo ejus Alphonso Castellæ Regi, si à prosecutione Juris sui destiterit, decimas Regni Castellæ ad sex annos decretas ipsi attributum iri,

Raynaldus ad A. C. 1273. N. II.

ad

ad Saracenos Hiſpaniæ faciliùs debellandos. Suaſerat etiam antea Rudolfo Gregorius, ut fœdera cum Rege Siciliæ Carolo, aliiſque coiret, ut eorum potentiâ ſui Principatûs auſpicia corroboraret. Qui, cùm eſſet obſecutus Pontifici, & cum Carolo, atque alijs Principibus amicitiam, atque etiam cum Ludovico Duce Bavariæ affinitatem jungere decreviſſet, Gregorius eſt gratulatus tantorum Principum fœderibus firmâſſe ſceptrum, ac vires ſuas auxiſſe ita ſcribens: FavorPontificis in Cæſarem.

„Grata nobis occurrit miſſarum nuper tuarum ſeries li„terarum, quæ te *Regem Pacificum* manifeſtans, voluntatem tuam „ad pactum & concordiam cum varijs Principibus, & ſpeciali„ter cum Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Carolo Siciliæ Rege „Illuſtri, ex eo paratam, & ordine diſpoſitam, prout tibi frequen„ti exhortatione ſuggeſſimus, apertiùs reſeravit, atque quod in„ter eundem Regem, & dilectum filium Nobilem virum L. Du„cem Bavariæ, Comitem Palatinum, ineundæ parentelæ fœdera „regalis ſolicitudinis ſtudio præparata deſcripſit. Hæc quidem „tanto acceptiora ſunt nobis, quanto ea Divinis beneplacitis, & „tuis novimus commodis altiora. Ex his namque Regalis ma„gnificentiæ ſolium ſolidatum augmenta ſuſcipiet, tuæque vir„tus potentiæ evidentiori clarebit effectu, &c. Certiores de his fecit Pontifex Guilielmum Neapolionem, ac Franciſcum Turrianum, qui Mediolanenſem rem moderabantur, monuítque, ut Hiſpanorum impetus conſtanter exciperent, ac propulſarent: data Germanis omnibus imperia, ut in Rudolfi obſequium, quem Romanorum Regem Apoſtolica Sedes agnoſcit, procumberent: brevì ipſorum rebus conſultum iri, atque Hiſpanos alióſque, qui in eorum fines irrupêre, Cenſuris Eccleſiaſticis eſſe irretitos. Idem Pontifex Cæſarem pro ſubſequente anno in Italiâ ad capeſſenda inſignia Imperialia invitat; totúſque in eo eſt, ut Rudolfus comparato exercitu profectionem in Terram Sanctam ſuſcipiat. Addit Chronicon Colmarienſe, juſſiſſe Pontificem, ut Baſileenſis Epiſcopus, cui collectionẽ decimarum ad bellum ſacrum commiſerat in Germania, XII. millia marcarum Cæſari numeraret, poſtquam montes tranſijſſet. Sed præclaris conatibus tam Pontificis, quàm Cæſaris, obſtitit Ottocarus Bohemiæ Rex; qui Rudolpho dignitatem ſuam invidens perpetuò bellum adversùs eum meditabatur. *Raynaldus in Annal. ad A. C. 1275. N. 5.* Cæſar meditatur ire in Terram Sanctam.

Circa hæc tempora exemplo Rudolphi I. Cæſaris complures Imperij proceres nomina Sodalitati Beatæ Matris doloroſæ

Propagatur Ordo Servorum B. M. V. per Germaniam. An Viennæ Conventus fuerit Servorum B. V.

sub Philippo Benitio dabant cultúsque ejusdem per erectionem novorum Conventuum in diversis Germaniæ Superioris locis propagari cœpit, ac tandem per Philippum Maximiliani I. Cæsaris filium in Germaniam inferiorem seu Belgium illatus & propagatus est. Reperitur quòd hujus Sacræ Religionis etiam erectus fuerit in Wier Conventus (fortè Wien legendum est) præsertim cùm constet Rudolphum Gerardo de Rhoo teste, plura fundâsse sacra loca vel locupletâsse vel censibus stabilijsse. Neque dicas: in Authoribus nihil de alia lectione reperiri, sed Wier legendum esse: nihil enim hoc argumento evinces, quòd in libris nulla hujus fiat mentio: nam compertum habeo à Friderico Pulchro munificum hospitale erectum fuisse Viennæ, quantúmvis ab authoribus illud silentio sit præteritum. Vide quæ infra 345. & seq. in rem præsentem afferemus. Necdum equidem Anno 1276. Rudolphus I. Cæsar Austriam possidebat; sed dum Ottogarus Bohemiæ Rex vim adversus Cæsarem pararet, Rudolpho consilia cæleste Numen aspirabat debellandi potentissimum & victoriosissimum Regem. Premere is paulò post armis cœpit fines Austriæ, elatior, quàm ut Rudolphum opibus inferiorem, qualibet ratione cliens agnosceret. Rudolphus itaque pro imperio, quod gerebat, multos etiam alios Principes Imperij contra se assurgere videns Comitia Augustam Vindelicorum indicit, & Philippum Benitium Ordinis Servorum B. M. V. Generalem (B. Alberto Magno Dominicano ad Episcopatum Ratisbonensem Confessario Cæsaris promoto) varijs legationibus ad Imperij Principes pro subsidiario milite colligendo adhibet. Is verò quantâ dexteritate & felicitate Cæsaris, Imperijque negotia tractâsset, patebit infra ubi de Canonizatione procurante eam Augustissimo Leopoldo I. egerimus. Post hæc Rudolphus Cæsar cum Philippo Benitio adversùs hæresim flagellantium egit, voluítque nonnulla puncta jam olim à Friderico II. Cæsare contra hæreses edita non modò rata haberi, sed firmiter & inviolabiliter observari, quod ipsiusmet Cæsaris testatur diploma.

Vide de Flagellantium hæresi l. 3. c. 17.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„UNiversis Christi fidelibus præsentem paginam in-
„ specturis salutem, cum notitia subscriptorum.
„QUoniam pestilentes hæreticæ calliditatis argutias Deo ab-
„ mina-

„ominabiles & hominibus odiosas, quæ suâ contagione comma-
„culant oves gregis Dominici, tanquam amaritudinis felle ba-
„julas detestandas indesinenter prosequimur, & propter hoc ad
„extirpationem earum omnimodam libet extendere, crediti no-
„bis divinitùs gladij potestatem, quædam capitula constitutionum
„per Dominum Fridericum quondam Romanorum Imperato-
„rem Prædecessorem nostrum contra hæreticos editarum, quæ
„integra, non cancellata, non abolita, nec in aliqua sui parte vitiata,
„sigillo suo vidimus consignata, præsentibus duximus annotan-
„da, statuentes ea omnibus, qui Christiana Professione censentur
„fideliter observari. Est autem constitutionum hujusmodi te-
„nor talis: *Incipiunt, &c.* Nos itaque, qui pro tuitione fidei Ca-
„tholicæ principaliter teste Altissimo Regiæ dignitatis honorem
„& onus assumpsimus, præmissa universa & singula in eradicatio-
„nem hujusmodi sectæ nefariæ, & corroborationem fidei Chri-
„stianæ piè, ac providè instituta solemniter approbamus, & ad ob-
„servantias eorundem nos testificatione præsentium obligamus,
„volentes pariter & mandantes hæc eadem ab omnibus, ad quos
„Romanæ ditionis Imperium se extendit, firmiter, & inviolabili-
„ter observari. In quorum testimonium, &c.

CAPUT VIII.

Mors Gregorij X., Rudolphi cura Ecclesiæ, & novo Pontifici facta aggratulatio.

ANni 1276. initiô Gregorius X. Pontifex Terræ Sanctæ recuperationem toto animo cogitans, eóque quam primùm cum Cæsare venire, & ibi mori desiderans; fortunatiorem terram, ùt ex vita magna cum laude acta ominari licet, invisit, æternùm in ea victurus. Siquidem Aretij in Etruria morbo correptus, die X. Januarij in cælum migravit.

Mors Gregorij X. Papæ. *Spondanus in Annal. Eccles. ad An. 1276.*

De morte optimi Pontificis certior factus Rudolfus, tanquàm supremus Ecclesiæ universæ Advocatus sedulò in id unicè incubuit, ut Cardinales talem Pontificem eligerent, qui virtutibus suis, prudentiâ ac doctrinâ Ecclesiam regere salubriter posset. Ad hos sequentem Epistolam datam reperio.

Rudolphi cura Eccl.

„EX horto militantis Ecclesiæ Hortulano præsigni translato ad
„cœlicas mansiones, felicis videlicet Recordationis Domino
Grego-

M.S. Codex Epistolaris Rudolf. I.

„Gregorio summo Pontifice, cujus præsentiâ mundus utique vi„debatur indignus, ad requiem evocato, licèt in excelsis exultet „jam Angelica turba cælorum; licèt illa Beatorum civium agmi„na, pro tam gloriosi Civis accessu placidas Deo concinant can„tiones, plangit tamen in terris fidelium turba terrestrium pro de„cessu. Lugeat itáque Græcia suo conversore propitio desolata, „nam drachma, quæ longo tempore fuerat perdita, suo est nume„ro reinventa, & ovis, quæ diu per desertum indevotionis erra„verat, gregi sociata Dominico, per eundem nunc salutaribus „pascuis satiatur. Educant Latini singultuosa suspiria de profun„dis, quorum mores idem Pater virtutis direxit in semitam & salu„tis. Plangant & ululent super se, insuper omnes tribus terræ de „Patris subtractione fidelis, sed illi potissimè, qui assumpto vivifi„cæ Crucis victorioso signaculo, sub ejusdem Patris securo Duca„tu contra blasphemos nominis Christiani hostes potenter insur„gere gestiebant. Prodeat ergo iste planctus communis in om„nem terram, & in fines orbis hujus dolor lamenti perveniat, „quia tanti Patris occasus multorum deposcit lacrymas, qui non„nullos exemplo beatitudinis affluentiùs irrigabat. Verumtamen „inter omnes alios Reges & Principes omnis terræ, præcipuæ com„passionis affectu oculi nostri præ inopia languerunt, lacrymarum „jam copiâ desiccati, eò quòd idem Pater Sanctissimus thronum „nostrum super Reges & Regna constituens, nos dum viveret, „pijs confovebat amplexibus, & Paterno favore stipabat.

„Porrò cùm ad hujus reparanda dispendia opes & vires hu„manæ deficiant, quæ potiùs dispositionis supernæ provisio, nec „non fati generalis æqualitas consolatur, doloris ejusdem reme„dium, cujus vix unquam de nostro pectore cicatricis occiduæ „signa transibunt, ex animi fortitudine, in hoc propinavimus no„bis ipsis indubitatæ fiduciæ spe conceptâ, quòd qui electo famu„lo suo Moysi non concessit educere populum, alium loco sui me„ritorum non disparem claritate subrogabit, consummaturum „cuncta feliciter per prædictum sanctum Patrem in Zelo Dei sa„lubriter ordinata. Ad hoc igitur, quæsumus, pij Patres universa„lis Ecclesiæ Cardines, & columnæ ferventes, exercete vigilias & „officiosas curas, & operas applicate, ut relegato cujusque conten„tionis obstaculo, ocyùs mundo acephalo Præsul necessarius eri„gatur, ubi divinus instinctus vos incitet, & pondera subeant „æquitatis.

„Cæterùm licèt, ùt legitur, & infallibilibus est notorium ar- gumen-

„gumentis, generatio pereat, generatione altera subsequente, „quia tamen terra stat stabilis in æternum, Ecclesia scilicet Dei „vivi in suis agendis & ordinationibus agendorum, maturâ de„liberatione de eo & is immobilis perseverat, antequàm de mor„te præfati Patris sanctissimi ad nos rumor infestus & nubilus „pervaserat, nos & nostros decenter accinxeramus ad iter, ut „juxta quod vestro mediante consilio fuerit ordinatum, si fata „favissent, suscepissemus de suis manibus sacrosanctis Diadema „Imperij. Sed licèt visum sit aliter in excelsis apud omnium Con„ditorem, qui disponet in Apostolica sede virum secundùm cor „nostrum, ùt credimus, adhuc tamen in ipso procedendi pro„posito parati pariter, & accincti perseverantes immobiles, & de „Matris Ecclesiæ invariabilitate sperantes, ipsum iter duntaxat „suspendimus, & relaxamus in tempus, donec per vos aut fu„turum summum Pontificem, quorum beneplacito semper in „omni promptitudine spiritûs obedire disponimus, nos perfectiùs „informari contigerit, quid nunc ulteriùs devoto Ecclesiæ Filio „sit agendum. Hæc Rudolfus ad Cardinales ex suo singulari Zelo & reverentia in Ecclesiam.

Multùm hæc Rudolfi adhortatio Ecclesiæ profuit: nam decimâ sedis vacationis die electus est in Pontificem Cardinalis Petrus de Tarentasia primus ex Ordine Prædicatorum Pontifex, sub nomine Innocentij V. Is susceptis coronationis insignijs literas de sua Electione ad Rudolfum, aliósque Principes & Prælatos de more scripsit, eósque ad opus *Terræ Sanctæ* hortatus est. Rudolfus verò novo Pontifici dignitatem literis, quarum tenorem damus, gratulatus est.

Eligitur Pontif. sub nomine Innoc. V.

LÆtentur cæli & terra, in voce festivæ jucunditatis exultet; adsunt Catholicæ fidei festa celebria; adsunt Sacrosancta Matri Ecclesiæ nova congaudia post lamenta; nam Dominus, qui à Sponsa sua quandóque serenitatem avertit, ut iterum se convertat ad eum in Claritate lætitiæ potioris, suam ab ipsa misericordiam non abscidit, Ecclesiæ faciem, quam in obitu felicis recordationis Domini Gregorij decimi summi Pontificis, Beatissimi & gratiosissimi Patris nostri, nubilo luctuosi mœroris obduxerat, radio successivæ consolationis illustrans, & ei quam novo semper fœtu multiplicat, novum Patrem suscitans pro defuncto meritorum candore conspicuum, & virtutum præstantiâ luminosum, per ejus jucundiferæ substitutionis effectum, quidquid profluvij lugubris in maxillam illius eruperat, pro repentè sublato speratur indubitanter absterq-

NovoPontifici Rudolf. Cæsar gratulatur.

abstergi. Et licèt pro tanti Patris occasu præ inopia oculi nostri languerunt, lachrymarum jam copiâ desiccati, eò quòd præter alia plurima gloriosa, & prædicabilia, quæ pro bono statu Catholicæ fidei orthodoxæ concepit, & statuit thronum nostrum super Reges & Regna constituens nos, dum viveret, pijs confovebat amplexibus, & paternis favoribus ampliabat; ex eo tamen mœstitiæ nostræ, cujus vix unquam de nostro pectore cicatricis occiduæ signa transibunt, jam propinavimus nobis ipsis remedium, quod qui electo suo famulo Moysi non concessit educere populum, virum secundùm cor nostrum in Apostolica sede disposuit, qui prædecessoris sui sanctissimis inhærendo vestigijs cuncta debeat consummare feliciter, per eundem prædecessorem salubriter ordinata.

Porrò cùm generatio quæque prætereat, generatione altera denuò subsequente, terra tamen stat stabilis in æternum, Ecclesia scilicet Dei vivi in suis agendis & ordinationibus agendorum, maturâ deliberatione decoctis, immobilis, prout operum docuit evidentia, perseverat. Propter quod Beatissime Pater, de cujus creatione Divinitùs ordinata revixit omnino spiritus noster tripudio ineffabili fæcundatus, in sinum gratiæ vestræ colligite, quæsumus, filium singularem Vestris, & Matris Ecclesiæ beneplacitis semper in omni spiritûs promptitudine pariturum, opus Dei benignè perficientes in nobis ex tradita vobis desuper potestate. Verisimiliter quippe non arbitrari non possumus, quòd tam arduæ rei consummatio vestra sit Cælitùs gloriæ reservata, ut in dextera vestra perficiat, cujus gratiosi præsidij à sublimationis nostræ principio se non sensit expertem.

Ecce ergo Venerabilem Fratrem Henricum Basiliensem Episcopum, &c. vobis & Ecclesiæ Romanæ devotum ad beatitudinis Vestræ pedes fiducialiter duximus destinandum supplici devotione petentes, ùt ei, in quem transfudimus intima cordis nostri, auditum præbere benevolum, & in omnibus nostris agendis fidem credulam adhibere dignemini, sicut nobis ex auditione gratuita subsequente.

Hujus Innocentij haud diuturnus Pontificatus fuit: nam 22. Junij, postquam sedisset menses quinque, dies duos, moritur. Cùm autem post ejus obitum sedes vacâsset dies 19. electus est in ejus locum Adrianus V. mortuúsque die 18 Augusti, ubi sedisset 37. tantummodò dies. Eo mortuo vigesimo quinto pòst die, nempe 13. Septembris in ejus locum electus est Joannes XXI. Horum Pontificum brevis admodum vita fecit, quòd Cæsar Italiam, ut Insignibus Imperialibus sibi à Gregorio X. promissis cingeretur, adire non potuerit. Ejus hoc anno ad nostrum propositum gesta sequentia apud Scriptores reperio. Juxta Wegulei Hundij catalogum Episcoporum Pataviensium Metropoli Salis-

Salisburgensi insertorum Petro Episcopo Pataviensi facultatem concedit redigendi villam suam S. Hippolyti, vulgò *Sanct-Pölten* in formam civitatis, eámque mœnibus ac fossis muniendi pro libitu. Ita Lambecius Commentario de Bibliotheca Cæsarea l. 2. c. 8. f. 609. ubi originem quóque Cœnobij Canonicorum Regularium S. Augustini refert. Confirmat etiam Rudolfus telonium in Oberberg à Friderico II. Romanorum Rege concessum. Hoc quoque anno Rudolfus insigni cohorte lectissimorum hominum stipatus, Bopardiam in Treviros processit, atque eodem Trevirensi, Moguntino & Coloniensi Archi-Episcopis, Dominicâ Palmarum accedentibus, & publicas regni causas cognovit, & æqua singulis distribuit. **Amor in Episc. Passaviens.**

Unde non immeritò Siffridus hæc in laudem Rudolfi Annalibus commendanda retulit: *Æquus judex, diviti & pauperi extitit: Ecclesias, hospitalia defendit & protexit, &c.* **Rudolfus Justitiæ cultor.**

CAPUT IX.

Romanus Pontifex Rudolpho Ecclesiam Coloniensem commendat; novo Pontifici Rudolphus gratulatur.

Electus priore anno Syfridus de Westerburg, Præpositus Moguntinensis in Archi-Episcopum Coloniensem, Vir ad utrúmque statum Ecclesiasticum & Politicum aptissimus, divinâ ac humanâ pariter summâ prudentiâ, & cum applausu subditorum omnium regens, bellum à vicinis Principibus experiri cogitur. Ea de re certior factus Joannes XXI. Pontifex commendat Rudolpho Imperatori tam insignem Præsulem, ejusque Ecclesiam hacce Epistolâ:

Ecclesias & Personas Ecclesiasticas, eò tibi fiducialiùs commendamus, quò erga ipsas Zelum te habere novimus promptiorem, & per quem gratum Deo *obsequium præstas, & hominibus te reddis meritò gratiosissimum. Sanè sicut accepimus, nobis* G. Comes Juliacensis non contentus, *quòd jam dudum Ecclesiam Coloniensem gravibus affecit injurijs & pressuris, adhuc Ecclesiam ipsam & Venerabilem fratrem nostrum Coloniensem Episcopum innumeris angustijs, & varijs persecutionibus affligere non veretur. Quia verò confidimus, quòd per tui favoris auxilium eadem Ecclesia, quam paterno zelamur affectu, à suis de-* **Romanus Pontifex Rudolpho Ecclesiam Colonienſ. commendat.** *M. S. Codex Epistolaris Seifridi.*

 beat

beat anguſtijs reſpirare, Celſitudinem tuam affectuosè rogamus, & hortamur attentè, quatenus Archi-Epiſcopum, & Eccleſiam prædictos habens, pro divina & noſtra reverentia propenſiùs commendatos, ipſis in ſuis juribus aſſiſtas, & traditâ tibi Divinitùs poteſtate defendas eoſdem, ità ut propitiationem Divinam exinde uberiùs merearis, & nos devotionem tuam poſſimus meritò commendare.

Anno 1277. Joanne XXI. Papâ vitæ munere functo, Rudolphus Cæſar Joanni Cajetano Domo Urſino, qui Nicolai Tertij appellationem ſortitus, gratulatur de Pontificia ſede, moxque Procuratorem in Romana Curia conſtituit, & ſequentes ei literas ſcribit.

Rudolph. novo Pontifici gratulatur. *Idem M. S. Codex Epiſtolarũ.*

EXaltator humilium Deus vota noſtra ab excelſo proſpiciens deſideratum, imò virum deſideriorum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Sponſum prævidit idoneum, & ſi quid, ſi audemus dicere, in ſuis Anteceſſoribus extitit imperfecti, quaſi per formam completam in Sanctiſſimo nunc Patre noſtro Domino Patre perficere miſericorditer eſt dignatus. Sanè in ipſo noſter requieſcit animus, in ipſo ponimus anchoram ſpei noſtræ, ut ipſe nobiſcum regnum regat, in imperio imperet, ordinet & diſponat, quæ utriuſque hominis ſunt ſalutis. Præterea credimus, imò certum gerimus, quòd apud ipſum noſter debeat eſſe oculus, non dormitans, auris patens, dextra manus facta noſtra dirigens & gubernans, ſicut noſtra directio, & in ſacro Romano Imperio provectio tibi, tuíſque à progenie in progenies ad exaltationem cedere debeat nominis & honoris. Porrò apud ipſum ſanctiſſimum Patrem noſtrum te noſtrum Procuratorem conſtituimus ad conſulendum, & allectivis perſuaſionibus impetrandum omnia Sacro Romano Imperio profutura, ſanctiſſimi votis non contraria, ſed per omnia ſibi conſentanea. Suum námque velle, ſuum nolle, à noſtra non diſcrepabit ullo tempore voluntate. Pro nobis vigila, miniſterium tuum imple, opus fidelis viri perfice, de reliquo à nobis curam Juſtitiæ præſtolare.

Hic Pontifex ob morum honeſtatem Compoſitus dictus eſt, pijſſimúſque ab omnibus habitus. De cujus pietate præterea illud ab omnibus penè auctoribus refertur teſtimonium, quòd, quotieſcunque ſacrum faceret, ubertim lacrymaret. Fretus autem Pijſſimi Cæſaris auctoritate, eximia multa confecit, plura fidenter auſurus, ſi longiùs ſupervixiſſet. Inter alia Regem Neapolitanum munere Senatoris Romani privavit. Petrum Regem Arragonum cùm Siculo & Neapolitano compoſuit. Acuebat cor Pontificis ad audendum favor & amicitia Rudolphi, cujus exiſtimatio, ſicut in Germania obedientiam, ita in Italia reverentiam

evin.

evincebat: donavit, ut mox videbimus, Sedi Apoſtolicæ Rudolphus Ravennam cum Exarchatu, & Bononiam ampliſſimas civitates. Quibus teſſeris amicitiam & liberalitatem in Pontifices comprobantibus, ſimul conteſtabatur pietatem, fidem, ac Religionem in Deum eximiam, concomitatam virtutibus glorioſiſſimo, & Chriſtianiſſimo Principe digniſſimis. Pietas quippe munificentiæ in Eccleſiam mater eſt: quæ à Cæſare ſuperimpenſa fuit tam univerſim, quàm ſingularibus plurimis pijs locis, alibi ditante, alibi dotante.

Nirembergius in Rudolfo Cæſ. Virtus coronata.

CAPUT X.

Rudolphi liberalitas in Epiſcopatum Paſſavienſem, Gratitudo Epiſcopi Paſſavienſis in filios Rudolphi.

Liberalitatem meritáque Habſpurgo-Auſtriaca in Eccleſiam Paſſavienſem ipſe Eccleſiæ Paſſavienſis quondam Pater & Paſtor optimus ſequentibus oſtendit.

Liberalitas Rudolfi in Epiſcopum Paſſav. *Wiguleus Hund. in Metrop. Salisburgenſi. p. 1. f. 389.*

Petrus Dei gratiâ Eccleſiæ Patavienſis Epiſcopus. Omnibus in perpetuum ad memoriam revocantes quantis. & quàm periculoſis laborum anguſtijs Sereniſſimus Dominus noſter Rudolphus, Romanorum Rex ſemper Auguſtus ſe ipſum expoſuit, & totius Reipublicæ vires viriliter excitavit ad hoc, ut nos & alios Eccleſiarum Prælatos, quos vexabat afflictio multiplex, & multorum tyrannides impetebant, de jugo eriperet peſſimæ ſervitutis, & ad culmen reduceret priſtinæ libertatis, dignum & debitum æſtimamus, ut prædictum Dominum, qui benignum ſe nobis exhibuit, in ſe ipſo & ſuis liberis, quantùm ſecundùm Deum & juris permiſſionem poſſumus, honoremus. Sanè cùm poſt redemptionem Illuſtris Principis, Ottocari Bohemorum Regis, & ipſius voluntariam ceſſionem de terris Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Marchiæ fuerit declaratum, quòd feuda, quæ Principes prædictarum terrarum à nobis & Patavienſi Eccleſia poſſidebant, vacârint nobis, & Eccleſiæ Patavienſi ſimpliciter, & præcisè; prædictus Dominus noſter partem prædictorum feudorum, cum prædictis alijs libertatibus, & donationibus, quæ inferiùs exprimentur, de feudis eiſdem deduxit, & in Patavienſem Eccleſiam jure pleno, & collatione perpetuâ tranſtulit, volens & ſtatuens: ut eadem bona feudalia eſſe deſinant, & de cæteris Dominicalibus Patavienſis Eccleſiæ, cum omnibus ſuis utilitatibus, & uſibus, juribus & pertinen-

pertinentijs, sint conjuncta. Nos verò desuper deliberatione præhabitâ cum Capitulo nostro & alijs, quorum requirere in hac parte consilia tenebamur, omnia & singula feuda, quæ nobis, & Pataviensi Ecclesiæ, per mortem Principum prædictarum terrarum in eisdem terris, & aliàs ubicunque vacare cœperint, Illustribus filijs prædicti Domini *nostri, videlicet, Alberto, Hartmanno, & Rudolpho, & eorum hæredibus masculis, jure feudi contulimus, ipsósque ad instar & formam prædictarum terrarum Principum, infeudavimus, de ijsdem duntaxat bonis exceptis, quæ Dominus noster servavit, & contulit, de quibus suprà meminimus, & interiùs certis nominibus exprimemus. Propter hoc autem prædictis filijs Domini nostri hanc liberalitatem facimus, ut & ipsi, & eorum posteri, accepti beneficij memores, nos & Pataviensem Ecclesiam foveant, diligant, quódque gratiam nobis & Ecclesiæ nostræ factam à Patre ipsorum, Domino nostro, superiùs nominatam, quæ inferiùs exprimentur, gratam, & ratam teneant, nec subvertere audeant, sed advertant potiùs, quòd à Deo recipient potiora, si Ecclesiæ se devotos exhibeant, & paratos præbeant in earum Juribus, & honoribus conservandis, illis tamen præcipuè, quarum beneficijs ad obsequia obligantur. Sunt autem hæc nomina bonorum, possessionum, judiciorum, Jurisdictionum, & jurium, quæ dictus Dominus noster tam de feudis prædictis, quàm de alijs bonis in nos & Pataviensem Ecclesiam donatione, largitione, & concessione Regali, jure pleno & perpetuo transtulit, & Dominicalibus Pataviensis Episcopi adunavit: Forum Frebense, cum omnibus suis pertinentijs, agris, pascuis, sylvis, pratis, molendinis, piscationibus, aquis, aquarum decursibus, judicio, videlicet causarum civilium, & criminalium, seu sanguinis, Naulo, vel jure Passagij, Theolonio, quod datur ibidem de omni grano, cum omnibus & singulis redditibus, proventibus, utilitatibus, & judicijs, quibuscunque, quæ ad Principem terræ Austriæ pertinebant ibidem, cum Insula adjacente, quam Illustris Rex Boëmiæ, pro usu & commodo Civium, quondam annexavit dicto foro, quæ omnia pro redditibus annuis octoginta librarum nobis, & Ecclesiæ nostræ assignavit perpetuò possidenda. Item villam Garznikh, cum agris, sylvis, & pascuis, pratis, molendinis, piscationibus, aquis, aquarum decursibus, & omni utilitate, ac jure & judicio Civili, & Criminali, & alijs quibuscunque, quæ ibidem ad terræ Principem pertinebant: quam villam, cum suis pertinentijs supradictis, pro redditibus annuis viginti novem librarum nobis & Ecclesiæ nostræ ibidem Dominus noster assignavit perpetuò possidendam. Item in villa Hollern sex mansos, & dimidium mansum, qui* Lehen *vulgariter nominatur, quatuordecim libras solventes, quos ibidem Dominus noster nunc habuit liberos, & solutos cum omni jure, sicut in superioribus est expressum,*

Gratitudo Episc. Passavienſ. in filios Rudolphi.

preſſum, donavit, & conceſſit nobis & Patavienſi Eccleſiæ ſupradictæ. Item Jus Advocatiæ in bonis ac prædijs Patavienſis Capituli, in villis Piſcholffdorff, & Olern, Neuunſidelij, & alias ad eandem Advocatiam pertinentibus, cum decem modiorum redditibus ibidem dari conſuetis Principi terræ, pro jure, quod Marſchul dicitur, pro triginta quatuor librarum redditibus, minùs ſexaginta denarijs nobis & Eccleſiæ noſtræ contulit perpetuò poſſidendum. Item judicium criminale vel ſanguinis in ſancto Ypolito, in Trayzemur, in Kunigſtetten, & aliàs in bonis & poſſeſſionibus ac hominibus Eccleſiæ noſtræ ſitis in Tulnenſi judicio, quocúnque nomine cenſeantur, non obſtante, quòd idem judicium ad Dominum terræ Auſtriæ pertinebat, dedit, tradidit dictus Dominus noſter nobis, & Eccleſiæ noſtræ perpetuò, cum jure pleno, & mero imperio judicandi: his adjecit ſeptem librarum redditus in Tayrenmaur, & unius libræ in Mautarn, quæ judicio Tulnenſi, nomine Advocatiæ dari hactenus conſueverunt annuatim, ſic ut amodò judices Tulnenſes, vel alij qualeſcúnque, nullum jus, nullúmque judicium, ſeu exactionem, Advocatiæ nomine ibidem ſibi audeant vindicare. Hujus autem judicij Advocatiæ & redditum proventus & fructus dedit, & tradidit nobis & Eccleſiæ noſtræ pro redditibus annuis quadraginta trium librarum, & ſexaginta denariorum Wenn. æſtimatos. Hoc adjecto, quòd memoratus Dominus noſter, ſi voluerit, aſſignabit nobis & Eccleſiæ noſtræ, uſque ad Feſtum Purificationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis proximum, & ab inde & per annum, tot librarum redditus de feudis ad Eccleſiam noſtram pertinentibus terminum conſtitutum, quæcunque nobis & Eccleſiæ noſtræ dictus Dominus noſter aſſignavit pro redditibus quadraginta trium librarum & ſexaginta denariorum ad jam dictum Dominum noſtrum liberè revertentur. Quòd ſi aſſignationem non fecerit infra terminum ſupradictum, ex tunc aſſignatio omnium prædictorum, tam libera, quàm perpetua, ex donatione Regia nobis & Patavienſi Eccleſiæ noſtræ remanebit. Ex nunc autem idem Dominus noſter dedit, & conceſſit nobis, & Eccleſiæ noſtræ Officialibus, quos nos & ſucceſſores noſtri Patavienſes Epiſcopi ad hoc duximus ordinandos, plenam & liberam poteſtatem judicandi de crimine, & judicium ſanguinis exercendi, ac in tribus locis, videlicet in ſancto Ypolito, Mautarn, & Tezenmaur, furcas ſeu patibulum, truncos, & Tormenta alia, quibus reorum crimina puniantur, publicè erigendi, conceſſo ipſis eo jure, quod bannum vulgariter appellatur, feudorum tamen prædictis Domini noſtri manibus remanebit tantùm pro tempore vitæ ſuæ. Quòd ſi filij ſui decederent ſinè hæredibus maſculis, dicta feuda ad nos & noſtram Eccleſiam Patavienſem revertentur. Cæterùm ſi quæ feuda prædictæ Eccleſiæ

noſtræ aliàs, quàm per mortem dictorum Principum, vacare cœperunt, vel incipient in futurum, de illis nos vel ſuceeſſores noſtri in utilitatem & commodum ejuſdem Eccleſiæ noſtræ tenebimur ordinare. Ad quod utiliter exequendum, nos & Eccleſia noſtra præfatum Dominum noſtrum, & liberos ſuos, adjutores habebimus, & utiles promotores. Teſtes præſentis ordinationis ſunt Venerabiles in Chriſto Patres & Domini, Bertholdus Babenberg, Joannes Chunenſis, & Bernhardus Secovien. Eccleſiarum Epiſcopi: Illuſtris Albertus Dux Saxoniæ, Albertus & Hartmannus filij Domini noſtri, Comites de Habſpurg, Fridericus Burggravius de Nierenberg, Eberhardus Comes de Cazenellenbogen, Marchio de Hachberg, Philippus de Bolandia, Ulricus de Tuneres, Magiſter Gottfridus Domini noſtri Romanorum Regis Proto-notarius, Præpoſitus Solien: Otto de Berchdolsdorff Camerarius Auſtriæ, Ulricus de Pillichdorff Dapifer Auſtriæ, &c. Et ut omnia ſupradicta robur obtineant firmitatis, literas præſentes noſtro & venerabilis Capituli noſtri Patavienſis ſigillo juſſimus communiri. Datum apud novam Civitatem 8. Kal. Decemb. Indict. 6. Anno Domini M. CC. LXXVII.

Confirmârunt eadem hæredes & ſucceſſores Rudolphi: Albertus ejuſdem filius, Rudolphus Archi-Dux Auſtriæ, Albertus & Leopoldus fratres Auſtriæ, Styriæ Duces, dicti Rudolphi nepotes; Fridericus III. Imperator cum filio Maximiliano & nepote Carolo V.

CAPUT XI.

Initia belli inter Rudolphum Cæſarem & Ottogarum, & Rudolphi præclarum fiduciæ in Deum exemplum.

Rudolphi militaris virtus.

CUm Rudolfus, teſte Raynaldo, eſſet ad bellicos labores impiger, manu ſtrenuus, & ad reparanda Imperij jura deperdita acerrimus, hoc eodem anno 1277. Auſtriam aliáſque Provincias ab Ottogaro Rege occupatas nomine Imperij reddi poſtulat. Unde bellum atrociſſimum, & facta demum in acie Regis cædes. Juvat hæc paulò altiùs & fuſiùs memorare, ut Lector plenam notitiam rerum inter Cæſarem Regémque geſtarum cognoſcat, priùs tamen noverit Rudolfum contra hoſtes non minùs armis, quàm oratione, veluti alterum Theodoſium contra Eugenium & Arbogaſtum, pugnâſſe. Ediſiſſe prætcrea inſigne ſpeci-

Raynald. in Annal. ad A.C. 1274. N. 61.

ſpecimen fiduciæ in Deum priuſquàm arma ſumeret. Faſſus enim eſt, ſe præter quinque nummos communis monetæ nihil in theſauris habere. Sperare tamen, Deum, qui eum ad Imperij regimen vocâſſet, ſibi contra Imperij hoſtes proviſurum. Eventus veritatem dicti comprobavit: Principes enim & urbes Imperij, Rudolfo uſque ad extremum, ſociatis armis, adhæſerunt, ære etiam ei opitulantes. Sed ad ea quæ promiſimus, accedamus. Supra innuimus ex Ænea Sylvio, Przemyslaum Ottocarum Bohemiæ Regem, Auſtriæ, Carinthiæ, &c. Ducem, Moraviæ Marchionem &c. vocatum ab Electoribus ad capeſſenda Romani Imperij gubernacula, id ſortis ac fortunæ imprudenti conſilio contempſiſſe. Cujus tamen conſilij poſtea illum pœnituit: nam audito, Principes Imperij congregari Francofurti ad Mœnum, eligendi novi Imperatoris causâ, ſplendidam adornavit eò, quâ Elector, legationem, miſſóque Bernardo Epiſcopo Sekovienſi, & Magiſtro Ordinis Teutonici, cum duobus Regni Baronibus, varijs artibus Electorum animos pretio imprimis, deîn prece, ac tandem minis pertentari circa electionem juſſit: haud obſcurè Imperium ambitioſo pariter ac minaci conatu affectans, quod paulò ante ſpontè ſibi delatum per imprudentiam neglexiſſet. Otto quidem Brandenburgicus inclinabat ad ipſius partes, haud dubiè neceſſitudinis gratiâ, tanquàm cognatus. Alij tamen præſertim Eccleſiaſtici deſpectum anteà & contemptum ab Ottogaro Imperium ægerrimè ferentes, ab eo avertebantur prorſus toti, & poſtpoſitâ omni, in ulteriore deliberatione, morâ Cæſarem Rudolphum Comitem Habſpurgi, quòd ſanguinis claritati morum honeſtas accederet, cum ætate matura, in qua & armorum robur, & ingenij vires florerent, elegerunt, fremente licèt ac reluctante Ottogaro: qui omnem penè movebat lapidem, ut electionem hanc redderet irritam. Quod cum efficere non poſſet, fœdere inito cum Henrico Duce Bavariæ, item cum Marchione Badenſi, & Comite Wirtembergenſi Eberhardo, aliiſque authoritatem novi Cæſaris pari contumaciâ detrectantibus, palàm Rudolfo inſultare cœpit. Hinc Ilias malorum: hinc exarsêre graviſſimæ Rudolfum inter & Ottocarum ſimultates. Ille Ottocari faſtum & potentiam conabatur infringere, hic Rudolfi authoritatem conabatur eludere: ita, quos aliquando infra nos habuimus, etiam mutatâ fortunâ elevatos contemnimus. Quare novus Cæſar futuros præſentiens adversùm ſe motus, amicitiâ & affinitatibus Imperium ſibi firmari, atque tantùm præſidij compa-

Speculum honoris Domus Auſtr. ad annum 1275.

Ottocarus vocatur ad Imper.

renuit acceptare illud.

& quod anteà neglexerat, jam, ſed fruſtra ambit.

Rudolfus Comes ab Habſpurg Imperator eligitur ann. 1273. *Cuſpinian. in Rudolfo.*

Przemyſlaus Ottogarus Rex Bohemiæ Rudolfo adverſatur.

Rudolfus Imp. novis affinitatibus Imperium ſibi firmat.

rari decrevit, quantùm ad eludendos hoſtiles conatus ſufficere exiſtimaret. Tres ergò filias ſuas, antequàm Aquiſgrano ab inauguratione ſolemni diſceſſum eſſet, tribus Imperij Septemviris, Moguntino ùt plurimùm adnitente, deſponſavit: Machtildim Ludovico Palatino, Agnetem Alberto Saxoni, & Hedvigem Ottoni Brandenburgico. Quin & alios Principes, utì Henricum Marchionem Miſnenſem, & Fridericum Comitem Zolleranum, ſorore ſuâ progenitum, novis beneficijs ſibi devinxit; dum illum Turingia, hunc verò Burggraviatu Norimbergenſi gaudere juſſit. Quorum conjunctione & auxilijs fretus, &, quòd ſciret ſe legitimè ad Imperium vocatum, læto animo faſces Imperij apprehendit, Comitijs publicis primò Norimbergam, deinde poſt tres menſes, Herbipolim indictis: ubi omnes alij Germaniæ Principes, ad præſtandum novo Imperatori obſequium comparuêre, præter Ottocarum Regem, Bavarum, & paucos quoſdam. Hæc acta Anno 1274. Anno ſequenti Cæſar tertiò conventum Auguſtam Vindelicorum in proximam æſtatem edicit, eóque tam Ottocarum, quàm Henricum, alióſque ſub comminatione *læſæ Majeſtatis ac perduellionis*, per expreſſum mandatum vocat. Nondum tamen comparent illi, ſed legatos mittunt; neque adhuc obſequij causâ, ſed ut proteſtarentur, *Rudolfum vitio creatum Cæſarem, adeóque pro legitimo, qui Comitia generalia imperare, aut de rebus Imperij diſponere poſſit, non agnoſcendum*; quod vel maximè legatus Ottocari, Epiſcopus Sekovienſis obtrudebat, dialecticis quibuſdam rationibus, quarum eo tempore gnarus præ cæteris habebatur, Rudolfi electionem improbans, adeò ut exaſperatis Principum animis parum obfuerit, quin fides publica in eo violaretur, niſi Cæſar interceſſiſſet. Adfuêre ijs in Comitijs, etiam Auſtriæ, Vicinarúmque Provinciarum legati, multa adversùs impotentem Ottocari dominatum queſti, & à jugo ipſius, non ampliùs ferendo, liberari ſummis precibus flagitantes. Adfuit etiam Fridericus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, de recenti ejus injuria prolixè queſtus; quòd immiſſo in ditiones ſuas Milotâ Roſenſi, equitum Præfecto, multa ferro atque igne fædâſſet, tantis illatis damnis, quæ infimo calculo, argenti pondo quadringenta millibus æſtimarentur. His itáque ſecretis & apertis conſiliorum rationibus, diù ac ſeriò penſatis Cæſar tandem, nè jus Majeſtatis ſuæ remiſſiùs tueri videretur, frequentiore Senatu convocato, publico in Concilio, quid faciendum è Republica foret, ſingulatim exquiſivit. Erant inter Principes, prout quiſque affectus

Comitia celebrat Norimbergæ & Herbipoli.

Rege Bohemiæ in jus vocat, qui Legatum mittit.

Auſtriacorum in Regis Bohemiæ regimen querelæ.

Gerardus de Roo Hiſtor. Auſtr. lib. 1.

ctus erat, diversa studia: pars enim amicum potiùs, quàm hostem habere Ottocarum cupiebat, ob idque non irritandum, sed præferocem ejus animum, oblatâ Confirmatione investituræ, quam à Richardo electo Romanorum Imperatore super Ducatum Austriæ, cæterásque Provincias acceperat, leniendum. Contrà alij, id nequaquam ex dignitate Imperij esse censebant, ut Cæsar & Principes, unius Regis placitis sese accommodent, & ab eo debitam obedientiam precariò quasi exigant; armis potiùs contundendos ipsius superbos spiritus, vique recipienda, quæ vi, ac præter fas & æquum possideret. Addebant investituram Richardi, uti illegitimè electi, & nunquam ad gubernacula Imperij admissi, esse nullam. Porrò Cæsar, diu adhuc in incerto habuit, quidnam potissimùm consilij deberet amplecti: ac nè vim priùs, quàm alia moderata ac tuta consilia experiretur, ad Ottocarum Legatos mitti decrevit. Missi Henricus Episcopus Basileensis & Fridericus Burggravius Norimbergensis, qui cùm jussa Cæsaris Regi exposuissent, Austriam & Styriam, cæterásque Provincias, Imperij nomine, ab eo repetentes, útque intra juris sui fines sese continere velit, seriò admonentes; excanduit ille super hæc, nihílque se Rudolfo debere famulo nuper suo (verba sunt Gerardi de Roo) neque digno, cui Reges obsequantur, respondit: Austriam se, & Styriam dotalem, Carinthiam cum cæteris hæreditate acceptam priùs, armis denique & jure belli asserta, ac ingenti sumptu, nec sine discrimine, adversùs Hungarorum & Tartarorum insultus defensa tenere, neque illas cuiquam cessurum; quin si quietè suis uti, fruíque non permittatur, se curaturum, ut cujusque libidini & ambitioni obviam eatur, & Rudolfus ipse in ea mala, quæ alteri inferre cogitat, se præcipitatum experiatur. Quamvìs autem Legati contrà: neque Austriam â fœmina ad alienos transferri, neque cæteras regiones, quæ meræ essent Imperij clientelares, absque Imperij assensu transcribi, minùs ab eo, qui se negaret esse Imperij clientem, usurpari potuisse, asseverarent; nihil tamen præter contumacia verba, & acerba in Rudolfum convicia, â Rege irarum pleno referebant. Post hanc legationem nullo impetrato remissam (neque enim exacerbatæ Regis ferociæ responderi ampliùs quicquam potuit) brevi unanimi omnium consensu, ijsdem in Comitijs Austriæ celebratis, decretum, quo Ottocarus Rex Bohemiæ hostis Imperij denunciabatur, publicatum fuit. Ipse Cæsar cùm Lenitate nihil proficeret, ex dolore justo diúque dissimulato ac presso (quippe elevati non libenter eos premimus, quibus

Diversæ sententiæ Principũ circa Regem Bohemiæ.

Cæsar Austriam, aliásque Provincias ab Ottocaro per Legatos repetit.

Quod Rex Bohemiæ negat.

Gerardus de Roo Historia Austriaca lib. 1. ad ann. 1275. Æneas Sylvius in Hist. Bohem. cap. 27.

Bellum contra Ottogarum decernitur.

bus aliquando inferiores ſtetimus) in indignationem tandem efferv uit, & arma adversùs contumacem arripuit.

Cæſaris in Auſt. cum exercitu profectio, ann. 1276. juxta alios ann. 1277.

Primóque Sueviam & Alſatiam ingreſſus, infeſta, aversáque omnia opinione citiùs oppreſſit, & tum Wirtembergenſem, tum Badenſem alióſque confœderatos, caſtigatos reſipiſcere coëgit: qui relictis ad arbitrium Cæſaris ditionibus cunctis, quas interregni tempore, per fas & nefas occupâſſent, ſupplices petiêre pacem. Inde in Auſtriam bellum contra Ottocarum tranſtulit, & in itinere etiam Henrico Bavaro ad obſequium redacto, interiora Provinciæ rectà petijt, eò fidentiùs, quòd pleríque procerum cupidine mutationis, ac tædio præſentium ducti, fidem opémque ſuam gnaviter impendendam promitterent; cúmque aſſiduis penè nuncijs hortarentur, ut quàm fieri poſſit ocyſſimè, in Provinciam venire maturaret.

Auſtriaci ab Ottocaro deficiunt.

Primò omnium Baro de Sumerzicz â Rege deſciſcens, Anaſoburgum inſignem ad confluentem Anaſi & Danubij urbem, (Laureacum quondam) non expectatâ obſidione, Cæſari tradidit; cujus deditionem reſidua ſuperior Auſtria, & inferioris urbes quoque præcipuæ: ùt Ibiſſa, Mutara, Neoburgum, Tulna aliæque, facili negotio ſequutæ ſunt. Oderant enim ſummoperè Regem Provinciales penè omnes & civitates: tum quia poſterioribus annis, & aſper & immitis evaſerat, tum quia in vindicandis injurijs, ulciſcendáque perfidia, ſupra modum ſeverus & inexorabilis erat: utpote qui timeri maluit, quàm humanitatis, atque Clementiæ nomine laudari. Ingruente autem bello, pecunias adeò inclementer imperârat, ut privatim ac publicè multæ civitates, contracto magno ære alieno, ab immodicis fœneratoribus cœperint ferè abſumi; adeóque pauci erant, qui linguam moderarentur, ut tandem ultimò alienati populi fremitus, etiam ad Regiorum præfectorum aures penetraret. Hoc igitur modo ſuperior Auſtria, & ejus exemplo inferior, quæ dextro Danubij littori adhæret, vix octo dierum ſpatio, defecit ab Ottocaro tota, duri ipſius pertæſa imperij, ſéque fidei ac tutelæ Cæſaris ſubmiſit; exceptâ Viennâ & aliquot caſtellis in arduo ſitis, quæ aliquamdiu perſtitêre in fide Regis, Brunone Ep. Olom. præfecturam urbis obtinente. Nihilominùs, cùm deinde Cæſar caſtris ad urbem propiùs admotis, civibus, niſi deditionem fecerint, agros ſe vaſtaturum, & vineas, unde maximus erat eorum proventus, exciſurum minaretur, populus per ſe mobilis, & rerum novarum cupidus, ad fortunæ Regis ſui commutationem, ſtatim & ipſe ad defectio-

Defectionis ejuſmodi cauſæ, & irritamenta.

Bruno Ep. Olomuc. præeſt Viennæ.

defectionem palàm inclinavit. Quare præcipui de plebe præfectum urbis, & Consulem Rudigerum Baltramenum, qui præ cæteris Ottocaro studuit, adeunt, deditionémque urgent, adjectis etiam minis, nisì finem obsidioni faciant, aliter se suis rebus consulturos. Quo illi repentino civium tumultu perculsi, vario æstu eorum animos fluctuantes & ad defectionem inclinantes sedare, & ad propulsandam præsentem Cæsareorum vim, erigere nitebantur: ubi verò nec verbis, nec promissis, sed neque minis quidpiam proficerent, inito inter se consilio, inducias aliquot dierum paciscuntur, intra quos, nisì auxilia â Rege mitterentur, deditio fieret: ac confestim ad Regem miserunt petentes, ut postpositâ omni morâ, subsidio perditis penè rebus venire maturaret, aut validam pugnatorum manum in auxilium sibi quantocyùs mitteret: multitudinem enim civium ad obsidionem consternatam esse, populaŕque petulantiâ cuncta confundi, jamque etiam edicta Præfecti ac Magistratûs sperni: opus itáque esse majore milite ad sedandos tumultus, firmandúmque nutantis civitatis statum.

Cives Viennenses tumultuantur.

His cognitis Ottocarus, qui è regione Viennæ, in sinistra Danubij ripa cum exercitu consederat, quanquàm non nihil perturbaretur, quòd pontibus solutis flumen trajicere, suísque opem ferre nequiret: animo tamen non deficiebat, sed remissô nunciô, Episcopo & Consuli significari jubet, ut urbem, donec ipse ratibus & navigijs paratis flumen superet, egregiè tueantur atque defendant: & si non aliter Cives in officio continere possint, eos quos ad deditionem inclinatiores advertunt, de medio tollant. Interea tempus elabitur induciarum; cùm verò nondum ulla comparerent auxilia ob navigiorum defectum, & inter cives magìs ac magìs gliscerct tumultus: insuper certa ferebatur fama, Hungaros adventare Cæsari in auxilium; urbs tempestivè saluti ac libertati suæ providens, pactâ jurium suorum conservatione, deditionem fecit. Quo facto, Bruno Episcopus scaphâ transvectus ad castra Regis venit, tum ut rationem traditæ urbis, quam ob insolentiam plebis tueri ampliùs non posset, redderet, tum ut Regem quocunque tandem modo, ad pacis consilia inclinaret; quem tamen Rex eo & sequenti die, nec aspectu suo dignari voluit: donec tandem ex interventu Optimatum, qui Regi â Consilijs erant in prætorium admissus, suáque promere jussus est. Jámque Rex à consueta ferocia nonnihil remittere, & in pacem, si modò Cæsar, æquas conditiones, quæ ex sua, quà Regis digni-

Cives Viennenses frustra renitente Episcopo & Consule, Deditionem Cæs. faciunt.

Rex ad consilia pacis animum inclinat.

dignitate essent, admittere vellet, inclinari cœpit: videbat enim sua per Austriam, cæterásque Provincias ruere in peius cuncta. Quare habito cum suis secretiori Consilio, Brunonem cum amplissimis de pace mandatis ad Cæsarem remittit; cúmque diebus aliquot de conditionibus pacis, dubijs incertísq; animis, disceptatum esset, novissimè in has devenêre leges: Ottocarus Rex Austriâ, Styriâ, Carinthiâ, aliísque locis vicinis privatâ potestate occupatis cedet, cognitionem de illis Cæsari, & Principum senatui permittet: obsides reddet, electionem Rudolfi approbabit, inque ejus verba (quâ Elector) jurabit: Hungaris ablata reddet; capti utrínque suis restituentur: insuper filiam Agnetem Rudolfo filio Cæsaris, & econtrà filiam Cæsaris Gutkam seu Juditham filio suo Wenceslao desponsari permittet. In quas eò pronior descendebat Rex, quòd illâ spe oneraretur, resignationem hanc Provinciarum sibi fraudi non futuram, siquidem filiæ, Regis filio â Cæsare desponsæ, dotales Provinciæ istæ futuræ essent. Ultimò id vel maximè urgebat Rex, quatenùs in præstando juramento, honoris sui haberetur ratio, licerétque id intra tentorium coram paucis exequi. Accipitur conditio, inque insula Danubij, Camberga dicta, instruitur tentorium, & tribunal apparatu magnifico: ubi cùm Rex, Cæsari diademate & Imperialibus insignijs conspicuo, considentibus Electoribus Imperij, ac cæteris Baronibus circumstantibus, genu posito fidem conceptis verbis præstaret, ecce derepentè tentorium, quod ex composito ita erat concinnatum, ut quando opus esset, decideret, Regémque, ùt erat in alto loco ad Imperatoris genua supplex, videndum cunctis præbuit, acclamantibus & applaudentibus Germanis; Bohemis verò torvum frementibus, ac fraudem tacitè & palàm execrantibus. Obriguit super hæc Ottocarus, & quamvìs dolo magìs, quàm casu cecidisse tentorium haud ignoraret, subticendum tamen in præsens censuit, & á Cæsare veniâ obiter acceptâ, plenus irarum in Moraviam abijt: ubi modicùm divertens, & Brunam aliáque ex itinere loca invisens, Pragam tandem venit.

Conditiones pacis,

Ottogarus jurat Cæsari.

Domum inglorius revertitur.

Advenientem peracerbè excepit uxor Kunegundis, Megæra quædam mortalis, & mariti antea naturâ suâ sævientis dira inflammatrix, imperij avida, & supra fæminam ferox; indignum asserens Regno, & tot virorum imperio, qui nullâ regiæ dignitatis, nullâ rerum antè gestarum ratione habitâ, se clienti, & servo quondam suo, subjecerit; tótque provincias pulcherrimas & ditissimas, quibus, vel aliquot prælijs victus cedere non debuisset, nè tenta-

Non multum idcirco gratus suis.

Oratio acris Conjugis Kunegundis.

tentatâ quidem prælij fortunâ, amiserit. His & alijs id genus verbis, mulier superbissima, virum antea jam suopte ingenio ad ulciscendam fraudem intentum ac proclivem, adeò commovit, ut omnia acta pacis rescindere, & Provincias dolo (ùt dicebat) sibi ereptas, armis repetere constituerit. Ergò palam anno 1278. Cæsari amicitiam renuntiat, pacta anno elapso, quæ cum Cæsare pepigerat rescindit, Austriam aliásque Provincias ereptas repetit, nisi reddantur, bellum indicit. Tum mox delectus per Bohemiam & Moraviam instituit, & in Austriæ fines adduxit. Nec defuit rebus suis Cæsar Viennæ tum agens, sed delectu quóque per Austriam, Styriam, Carinthiam, & vicina loca habito filios Albertum & Rudolfum, cognatos, affinésque suos ex Suevia vocavit, qui cum cohortibus haud cunctanter acceleravêre.

invitatur ad ultionem, & arma resumit.

Cæsar, magnus apparatus.

CAPUT XII.

Actualis conflictus copiarum Cæsarearum cum Ottogaro.

Congregato numeroso exercitu Cæsaris castra rerum omnium inopia, sed potissimùm potûs laborare cœperant, cúmque milites colono, qui collegis messoribus siceram hauserat, hydriam abstulissent, & Imperatori tulissent, eâ visâ, Imperator, *Reddite*, inquit, *homini vasculum, ego enim non mihi, sed exercitui sitio.* Ità exercitum suo exemplo ad sitim fortiter tolerandam permovit.

Et memorabile facinus abstinentiæ in potu.

Interim locus prælij in patenti quodam Austriæ campo, Marchfeld dicto, destinatur. Cùm eò Rudolfus advolâsset, stragem futuram horrens nuncios ad Ottogarum misit, qui monerent, ut prælio abstineret, cùm proditoribus undíque septus esset. Ac revera plures in ipsius exercitu erant, ejus criminis rei, quorum odia Boëmus in se concitârat, ut ait Eberardus, cùm in eos nullo dignitatis habito discrimine, vim legum exerceret, ac nè grassarentur in populos, utì consueverant, refrænaret. Ità verò præmonitus à Romanorum Rege præfectos Castrorum, tribunos aliósque proceres in suum tentorium excitos ità compellavit: *egregiæ quidem ac probatæ ipsorum fidei certissimum semper extitisse; at si quis in eum conjurationem inijsset, vel nefaria suscepisset consilia, inermem ipsum jam occideret, id enim longè satiùs futurum, quàm si unà cum eo multa hominum millia funestæ stragi exponerentur*: tum verò omnes uno ore fidissimos illi semper futuros, atque omnia discrimina pe-

Monet Ottogarum circa proditores, quos in exercitu suo habebat.

Longinus Histor. Polon. l. 7. apud Canisium antiq. lect. Tom. 1. p. 314.

Generosissima Regis Ottogari oratio.

netraturos polliciti ſunt. In caſtris Cæſaris bonum victoriæ omen teſſera fuit *Chriſtus*: apud Ottogarum *Praga.*

Committitur prælium & Ottogarus Rex occiditur. *Chronicon Colmar. Par. alt.*

Concurrentibus adverſis exercitibus, Ottogarus, ſuis illum deſerentibus, dum ſtrenuè inter medios hoſtium globos dimicabat, oppreſſus numero captus eſt, moxque exutus armis: cùm miles, cujus fratrem Ottogarus peremerat, furens irruit, atque ad fraternam necem ulciſcendam gladio in fronte cædit, ex quo vulnere infelix Rex toties à Romanis Pontificibus admonitus, ut ab armis deſiſteret, occubuit ac diutiùs illius corpus jacuit inſepultum, quod fidelium conſortio, è quo ejectus fuerat ante mortem, ut ait Siffridus, reſtitutus non fuiſſet: incurrerat enim ob illatum Rudolfo bellum contra imperia Apoſtolica vibratas cenſuras, quibus ſuppoſiti fuerant, qui Romanorum Regem laceſſerent.

Sifridi Epiſt. l. 2.

Eberardus in Annalibus ſuorum temporum.

Nec leve diſcrimen in prælio Rudolfus adijt: tradit enim Eberardus Archi-Diaconus Ratisbonenſis; Boëmiæ Regem ante pugnam ingentia præmia ſtrenuo militi pollicitum, ſi Rudolfum in prælio cæderet, aut equum ſuffoderet, eúmque præmij ſpe accenſum, quæſito in acie Rudolfo inventóque, toto impetu in eum invectum diro ictu ex equo dejeciſſe, túmque haſta equum peremiſſe: mox verò concurrentibus in auxilium Cæſaris Germanis captum; ac Rudolfum, qui ſe clypeo, nè equorum pedibus allideretur, texerat, in alium equum ſublatum perſequendæ victoriæ inſtitiſſe, eáque magnâ Boëmorum ſtrage, adeò, ut Cæſorum numerus ad quatuordecim millia aſcenderet, partâ, egregium clementiæ exemplum explicuiſſe. Militem enim, qui in vitæ diſcrimen ipſum adduxerat, ſibi oblatum, illæſum abire juſſit, dictitans: *non exiguum damnum fore, ſi adeò generoſus, ac fortis miles perimeretur.* Hæc omnia ex Scriptoribus citatis refert Odoricus Raynaldus ad A. C. 1278. num. 42. & 43.

Colmar. Chronicon. citatum Rudolphi clementia. *Eberardus citatus.*

Breviùs bellum Rudolfi Cæſaris & Regis Ottocari deſcripſit Siffridus Miſnenſis in Epitome lib. 2. Rex Romanorum, inquit, Rudolfus, & Odoacrus Rex Bohemiæ, multis millibus pugnatorum, in campo Auſtriæ Marchfeld/ hoſtiliter ſunt congreſſi; ubi Rex Bohemiæ à ſuis traditus, & ad mortem vulneratus occubuit. De ejus morte Rex Romanorum ſupra modum turbatus eſt, quia commiſerat ſuis, ut ipſum incolumem ſervarent.

Erat Ottogarus bellicoſiſſimus, & fortiſſimus Regum ſuâ ætate viventium; in victorijs educatus, qui decies & ſexies, collatis ſignis, hoſtes campo depulerat, nemóque Regum noſtrorum juſtiùs gloriari poterat (ùt obſervat in Chronico ſuo Franciſcus Pragen-

Pragensis) quàm Ottogarus: *quòd dominaretur à mari usque ad mare, à mari* scilicet Adriatico, usque ad mare, quod *Prussiam* alluit. Extremo tamen prœlio à Rudolfo Cæsare superatus.

Epitomes rerum Bohemiæ l. 3. cap. 15.

Sepultus primùm fuit Ottogarus Znoymæ in Cœnobio ad Beatam Virginem, deinde Annô 1296. clàm exhumatus à filio, Pragam ad Regum & Ducum cæterorum sepulchra devectus. Anniversarium Przemyslai Ottogari sacrificio, & officio funebri ad 26. Augusti solenniter recolebat Pragensis Ecclesia, Coronâ etiam, Sceptro, & Pomo aureo, in Capella Saxonica ad lævam, collocatis. Laudationem tanti Regis maximâ in Francisci Canonici Pragensis Chronico legimus. Hæc de Rege Przemislao Ottogaro dixisse sufficiat. Ad Rudolfum Cæsarem redeamus: cujus acies initio præmemorati prælij nutare visa est: Bohemi námq;, qui dextrum cornu tenebant, cum ipso Rege adeò acri impetu irruerunt in Styros & Carinthios, quòd in medio eorum Cæsarem adesse ex Aquila Imperiali advertissent, ut cæsis antesignanorum promptissimis, & strato Phannenbergio, reliquam aciem penè totam in fugam converterint. Sed Rudolphus dudum nôrat Pietatem esse ad omnia utilem, dum videret militem suum in discrimen adductum, mox in acie genibus innixus divini Numinis opem inclamat, & votum, quod ante prælium voverat, ædificaturum se honori sanctæ Crucis cum templo Cœnobium, si victor evaserit, renovat. Optimi successûs spem dabat tessera militibus, uti paulò antè diximus: *Christus*, & depicta in plerísque vexillis ejusdem effigies, certum victoriæ secuturæ omen. Geminata pietas in hoc prælio enituit, virtúsque unita fortiùs ad victoriam egit. Nam Albertus filius unâ manu gladium, alterâ Crucem præferens, imploratâ priùs Deiparæ ope (præcinente altissima voce Rudolpho Rhimio Basileensi Equite vulgatam cantilenam, *Ave maris stella*, aut, ùt alij volunt antiphonam, *Salve Regina*) animosè in hostem irruit, & cum victorioso parente de hostibus triumphavit. Cecinit hanc victoriam idem, qui Pietatem Rudolphi erga SS. Evcharistiam suprà allatam versu descripsit.

Nirembergius in virtute Coronata de Rudolpho I. Cæsare.

Alberto, certi dat signa triumphi,
(Nempe Rudolphus pater ad initium prælij)
Crux erat affixi præsignis imagine Christi,
Exantlatorum monumentum illustre dolorum,
Curvato tibi sæpè genu, Rudolphe, pijsque
Sæpè tibi lachrymis, votísque ardentibus ultrò
Excepta, afflictis spes sincerissima rebus,

Phrasis hæc Poëtica sonat vernantis ætatis hominem, solito generosiorem.

Primaque vestra, Domus, cui est innixa COLUMNA.
I, PUER, hæc nostro præferto pignora Marti.
Obvia Cæsaribus sese VICTORIA Nate
Annuit hoc SIGNO. Primum hoc mea dextera *Sceptrum*,
Quo Romæ data jura, tulit. Capit ocyùs ille
Atque novo accensus generosior exilit æstu
Dextra nitet ferro, sacro sed pondere læva.
Tum pugnæ designat iter, Martémque coërcet
Limite, & objectos, jactâ CRUCE, dividit hostes.
Interea ardentes in mutua prælia turmas
Accendunt clangore tubæ, fremitúsque virorum
Fulmineas miscent iras, rapidóque furore
Vulnerant, mortésque ferunt: tremit icta tumulti
Austria, & attonitus refugâ Ister perditur undâ,
Et trepidum tegit amne caput. Manifestus utrâque
Albertus pugnare manu: præcidere ferro
Præcipites Bellonæ animas, CRUCE frangere vires
Fœderis ultorem testatus voce Tonantem.
Hinc hosti geminare metus, hinc reddere mentem
Si deerat socijs, Magníque in jussa parentis
Ire celer. Si quod pulchræ Mars improbus iræ
Dat spatium, votis donat probioribus Heros,
Præsentémque precatur opem: CRUX dirigat arma
Corpus in adversum, vires, animámque ministret
Cæsareis Aquilis. Solus Te vindice, dixit,
An Constantinus fœdifraga perculit arma?
Est tuus (agnoscis durâ trabe pendule Christe)
Est quoque Rudolphus, vitam pro laude pacisci
Intrepidus vestra. Tum pugnam, votaque dexter
Dividit, & jacto nunc sternit corpora ferro,
Nunc ferrum juvat ore precans Habspurgica Proles.
Cæduntur passim totis jam Czechia campis
Agmina, & attonitas non uno vulnere mortes
Expirant afflicta solo. Vis utraque pellit:
Cæsareæque manus, manibúsque potentior urget
CRUX Domini, geminátque metus. Jamq; imbre Virorum.
Obruitur victore minor, arescere turmas
Jam lasso videt ense suas, nudataque circùm
Terga minas, circùm ora minas stare Hercinius Rex,
Corporibúsque vias in montes crescere stratis,

Crucis prægestationi votæ eidem à Rudolpho Ecclesiæ causa victoriæ assignatur.

Alberti in hoc prælio memorabilis Pietas multùm juvat causam Austriacam.

Atque

Atque cruento undare mari. Non ſegniùs inſtant
Magnanimus cum Prole Pater, durúmque moveri
Victa coëgerunt tum primùm vertere terga
Ottogarum, & læſo juſtas dare fœdere pœnas.
Protinus armatas Albertus in æthera palmas,
Extendens, hæc vicit, ait. Monumenta faventis
Ætheris in noſtro ſpectabilis orbe, Nepotes,
Promiſſam dabit iſta fidem fidiſſima dextra,
Templa tuis ſtabunt, Victor Naſareië, ſignis
Threycijs æquata, tholis, longævaque retro
Poſteritas inſcripta Cruci, lectura Trophæa eſt.
Quaque Helenæ docuit Magnus nos vincere Natus,
Hac quoque Rudolpho, noſtra, Albertóque Magiſtris
Diſcite poſteritas Cruce vincere. Longa ſequentum
Stirps Habſpurgiadum, & cœlo dilecta propago
Hoc ROBUR de fonte petant . . .

Adhortatio ad Rudolfinam poſteritatem, ut fidat potiſſimum in Cruce.

Notæ in Caput XII.

Videtur multis & ſuperiore, & ætate noſtrâ Ottogarus non tam pietatis, quàm belli inſignibus illuſtris extitiſſe. Patebit autem ex his, quæ annectimus Ottogarum non tantùm Martis ſigna, ſed & Pietatis exercitia in uſu habuiſſe. Unde Rudolpho meritò acceſſiſſe plurimùm gloriæ dicendum eſt, quòd bellicoſus cum bellicoſo, Pius cum Pio manus conſeruerit. Rex Ottogarus, ait magnæ Hiſtoriæ conditor, incerti tamen nominis, Canonicus Pragenſis, teſte Balbino in Epitome rerum Bohemicarum ad Annum 1278. erat Princeps ſpectabilis, Dux in caſtris acceptabilis, in ſui Principatûs regimine zelo pietatis ſuccenſus nimio, culpas ſuas recognoſcentibus pius indultor, viduarum non ſurdus auditor, orphanorum non tardus adjutor, tempore quadrageſimali nocturno, ſolo ſervo contentus, latenter Eccleſiam ingreſſus, & ſuper pavimentum humi proſtratus tamdiu perſeverabat in precibus, quoadusque largo imbre lacrymarum madida fuerit, cui incubuit, humus. Idem: ſurgens Pietas ad Agapen (id eſt Charitatem) faciendam, ante ortum Solis vocabat Officialem, cui commiſerat curam pauperum, & requirebat: an parata haberet omnia pro pauperibus enutriendis. Erat ei mos omni quadrageſimali tempore quingentos pauperes paſcere, & in Paraſceve eoſdem veſtire, lavabat etiam pedes pauperum in Cœna Domini

Ottogari virtutes miſericordia.

Pietas.

juxta numerum XII. Apostolorum, dividens cuilibet solidum denariorum, veniens etiam ad Ecclesiam Pragensem tempore quadragesimali personaliter aggrediebatur sacerdotes, rogans eos, ut Missas cantent pro salute vivorum, alias pro animabus fidelium defunctorum, nec non & Missas votivas de SS. Trinitate, de S. Spiritu, de Domina, de Patronis, de S. Nicolao, & alias plures, si modò tot possent inveniri Sacerdotes; ad manum autem cujuslibet Sacerdotis Missam dicentis offerebat duos aureos. Hæc vidimus & testimonium perhibemus. Pergit idem: iste Princeps quantùm fuerit largus, mens humana apprehendere, nec enarrare potest. Quàm innumera dona dederit extraneis Ducibus, Principibus, in auro, argento, equis, annulis, vestibus, exprimere non valeo. Qualis comitatus sequebatur eum quotidie Militum, Principum, ballistariorum, dinumerari non poterat. Nobiles terræ in amaritudine cordis flete Regem vestrum, qui vestiebat vos coccino in delicijs &c. radiatis ostro fimbrijs radiantia fila pendebant &c. Ornatus Capellæ Regiæ non nisi de pretiosissimis belkinis, purpurâ, & bysso contextus erat in casulis, dalmaticis, cappis, & alijs ornatibus. Calices & alia vasa ad officium divinum destinata, usque ad pelves omnia ex auro confecta sunt. Scutellæ & mensæ ejus ex auro puro, & argento, subtili opere fabricatæ, ad omnia fercula, licèt infinita, Mensæ ejus inferebantur. Quid plura? à solis ortu usque ad occasum in Europa eo tempore vix inveniebatur, qui tantâ largitate & potestate, atque morum fulgeret honestate &c. Eadem habet de Ottogaro, Franciscus Canonicus Pragensis Scriptor Authoritatis magnæ, dum addit: omnes Principes & Prælatos suos incipiendo ab Archi-Episcopo Salisburgensi (erat tum Archi-Episcopus Wladislaus ex sorore Patris Ottogari genitus) bis in anno solenniter vestiebat, alijs eleemosynas largissimas tribuendo. De Telonio quod habebat in Danubio allati sunt multi panni nobiles & diversi, quos ille ad proprios usus nolens convertere, ijs totum Clerum in Regno decentissimè vestivit. Milites verò & scutiferos suos bis in anno exquisitissimè vestiebat, &c. Hæc Franciscus.

Liberalitas & Magnificentia.

Epitomes rerum Bohemi. l. 3. cap. 15. f. 290.

Constantinus Magnus Labarum exercitûs sui signum primarium, in formam Crucis redegit, ad similitudinem Crucis sibi in aëre ostensæ. Nimirum hastili oblongo & transversali cornu Crux superimponebatur, quæ velamine prætioso illi transversali ligno appenso exornabatur. Elegit autem Constantinus 50. juvenes, animi virtute & corporis robore præstantes, qui Laba-

Eusebius l. 3. histor. c. 9. & l. 1. de vita Constant.

rum circumvallarent, & in illud intenderent, ùt tradit Eusebius lib. 2. de vita Constantini cap. 8. Rudolphus pugnaturus contra hostes in prælio non alijs; sed filio proprio signum commisit præferendum, ratus animosiores milites suos fore, si ad belli aleam tentandam filius præiret.

Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, titulo Crux.

Theodosius Imperator signa cum Eugenio tyranno collaturus, cùm ordinum ductores prælium differendum suaderent, quòd hostiles copiæ longè viderentur superiores, *non id agamus*, inclamat: *Exercitui meo Crux præit*, (nempe in signo vel labaro militari) *illius copias Hercules ducit*; Refert ex Nicephoro lib. 12. cap. 39. Beyerlinck in Apopht. Christi. Quod & Rudolphus cum Ottogaro pugnaturus dixisse videtur, dum suis copijs Crucem præferri voluit, *Praga*, ceu Hercule Ottogaro Atlanti relicto: Sed Hercules Atlantem Ottogarum collabascentem in prælio non fulcivit; Rudolpho pro Hercule succollante Crux fuit, ac victoriæ signum, poterátque uti eo Heraclij symbolo:

Symbolum Cæsaris.

A DEO Victoria.

Vel cum Carolo Magno dicere:

Caroli Magni.

Christus regnat, Christus vincit, Christus triumphat.

Rudolphus sæpiùs fretus præclarâ in bellando Tigurinorum operâ, priusquàm prælium committeretur cum Ottocaro, ut suos in pugnam animaret, quàm plurimos militari dignitate insignivit, inter quos centum Tigurini fuêre, quos omnes strenuè pugnantes adversis vulneribus occubuisse proditum est, eorúmque insignia gentilitia Tiguri in Minorum templo ad rei memoriam depicta visuntur. Unde etiam Tigurinorum Urbem multis privilegijs ornavit: atque honoris causâ illud etiam concessit, ut diademate Imperiali ipsorum insignia ornarentur.

virtus bellica Tigurinorum. *Gerardus de Roo Histor. Austriacæ l. 1. Petrus Bertius Comment. rer. Germaniæ l. 3. f. 104.*

Ex hoc prælio Rudolphi *Cæsaris* adversùs *Ottogarum* Regem est gloriosa memoria Familiæ Trautmansdorffianæ, in quo pro Rudolpho I. pugnantes quatuordecim Trautmansdorffij cecidérunt, & sequentibus deinde annis ex hac gente descendentes pulcherrima militiæ facinora ediderunt, ob quæ illustria fortitudinis & fidelitatis merita â Domo Austriaca multis honorum titulis ornata hæc Domus fuit, ac etiamnum ornatur.

In eodem prælio fideli operâ usus est Rudolphus Cæsar Ottonis Lichtensteinij, quem ob rem præclarè gestam postea Præfectum Styriæ præfecit. Albertus autem Halsius ob egregiè nava-

tam eo bello operam, auctus eſt à Rudolpho Comitis dignitate. Ita Joannes Adlzreitter, Boicæ gentis Annal. parte 1. ad ann. 1278.

Dicere ſolitus eſt Titus Veſpaſianus: *non oportet quemquam à conſpectu Principis triſtem diſcedere.* Id ſibi Rudolphus Cæſar imitandum ſumpſit volens, nè ab ejus conſpectu, ullus fidelis, maximè miles nobilis, decederet triſtis, ſed honoribus, titulis, & quæ Nobilitatem præſertim ad heroica acta provocant, præmiaretur. Nulla enim fideliora obſequia reputari poſſunt, quàm ea, quæ per militiam comprobantur. Ibi de vita periclitamur, quam tamen Imperatori, uſque ad ultimam ſanguinis guttam conſecramus, optimèq; dixit alicubi vetus Scriptor, *quid ſit circa cor, clariſſimè prælium oſtendit*; nam etſi naturali quodam genio in hoſtes generoſi milites ferantur; tamen mori velle pro Principe ſumma amoris probatio eſt, nequè ſcio, an maior eſſe poſſit. Ex quo Capite S. Syneſius conficit: in Principe ſummum militum amorem & æſtimationem eſſe oportere, illorum curam gerere, commoda procurare, ſtipendia juſtè perſolvere, bene meritos præmijs afficere, & ſi fieri poſſet, omnes nôſſe, qui toties pro Principe mori voluerunt.

Militia eſt fidelitatis ſumma probatio. *Balbinus de Ducibus & Regibus Bohemiæ c.22. f. 81.*

Nec omittendum cenſeo, quod ante prælium de infenſo ſibi Ottogaro Rudolphus ſenſit. Oderat Ottogarus Rudolphum propter adeptam dignitatem Cæſaream (quam tamen ipſe priùs ſibi oblatam ſpreverat) odiô vatinianô. Rem, ùt putabat, Cæſari gratam facturus non nemo obtulit, ſe necem Ottogari procuraturum. Repoſuit Imperator: *non diffiteor inimicus mihi Ottogarus eſt; nec tamen exinde me decet facere, quod dignoſcitur alienum ab æquitate, ratione, & humanitate; ſinite illum vivere, ſuo tempori ſervetur.* Digna Cæſare vox, quâ vetera Regum ac Cæſarum in hoſtes amoris exempla renovavit.

CAPUT XIII.

Acta Rudolphi post victoriam obtentam, de qua certiorem reddit Romanorum Pontificem; gratulatio ad hanc consecuta, & Rudolphi in devicti Regis filium Clementia.

Victoriam Rudolphi non terrestrem, sed omninò cælestem censet Balbinus in Epitome rerum Bohemiæ: quis, inquit, in historijs tam peregrinus est, qui nesciat omnes Rudolphi I. victorias, triumphos & ipsam Imperatoriam dignitatem, sibi, ac suæ Augustissimæ Domui partam, ex cultu, & adoratione SS. Evcharistiæ ortum habuisse? SS. Evcharistiæ cultus Rudolpho & posteris attulit Imperium. lib.3.c.15.

Cælestem hanc victoriam Rudolphus Nicolao Pontifici significat, de qua sequentes leguntur literæ.

Intimandum fore credimus Apostolicæ sanctitati, quis eventus finiverit litem illam, quâ quondam Illustris Rex Bohemiæ infatigabilis Reipublicæ fatigator, nostræque salutis & vitæ notorius persecutor, se adversùm nos & Romanum Imperium improvidè elevavit, post præstita nobis, & ab ipso malè contempta fidelitatis & homagij sacramenta, dictus siquidem Rex in festo Pentecostes proximè præterito, contra terras Imperij castra movens, ipsâsque rapinarum & incendiorum vastitati subjiciens, Castra quædam & Oppida hostiliter expugnavit. Tot & tantis damnosis injurijs, & probrosis contumelijs, & contemptibus nos impellens, quòd ad statum Reipublicæ defendendum, cujus idem Rex penè suffoderat fundamenta, oportuerit saltem serò gladij usus Nobis à Deo commissi educere potestatem. Sic itaque in crastino Beati Bartholomæi festo, nos & filius noster Ludovicus Rex Hungariæ eo loco locavimus castra nostra, ubi ab exercitu, Regis Bohemiæ vix ad milliare Teutonicum distabamus. Manè verò sextæ feriæ subsequentis Æterni DEI auxiliô invocatô processimus, signísque belligeris elevatis eò pervenimus, ubi Rex Bohemiæ dispositis aciebus finem prælij expectabat. Illic milites utriúsque, dum signa hinc indè prospiciunt, fero impetu glomerantur in unum, illic de virium paritate, inter nos strictis ensibus disputatur. Tantus quoque inerat parti utrilibet triumphandi affectus, ut morte victoriam comparare, & vincere moriendo rem dignam & debitam quilibet æstimaret. Illic milites strenui equorum ungu-

ungulis substernuntur illic tantò sanguine humano terra perfunditur, ut nedum pugnantibus; sed & pugnæ duritiam intuentibus, vitæ tædium esse posset. Tandem verò militia nostra, non suâ, sed Omnipotentis Dei virtute prævalens, milites Regis Bohemiæ in vicinum amnem impulit, ubi ferè omnes, aut gladio interempti, aut flumine suffocati, aut capti ab hostibus defecerunt: sicque fugæ præsidium paucis profuit, nam ferè omnes apud nos aut capti, aut mortui remanserunt. Licèt autem Rex prædictus militum suorum agmina dissipata videret, seque ferè ab omnibus derelictum; adhuc tamen victricibus signis nostris cedere noluit, sed more & animo Giganteo, virtute mirabili se defendit, donec quidam ex nostris militibus ipsum mortaliter vulneratum, unà cum dextrario dejecerunt. Tunc demum ille Rex Magnificus cum victorià vitam perdidit, quem non nostræ potentiæ fortitudo sed Dei Excelsi dextera, causam nostram misericorditer judicans, interemit. Nos igitur hæc & alia beneficia ab eo, qui eadem nobis contulit, humiliter cognoscentes, & ad laudem & gloriam sui SS. Nominis referentes, ad omne illud, quod gratum Altissimo Regi Dei filio Jesu Christo, esse sciverimus, devotiori promptitudine nostram sollicitudinem convertemus.

Occiso Rege Ottogaro, omnia ejus Regna, cum Amplissimis Provincijs, unà & filius Wenceslaus pusio nondum octavum excedens annum, in Rudolphi I. Imperatoris victoris potestatem venêre. Quæ cùm Imperator jure belli sibi usurpare ac Wenceslaum pupillum omnibus exuere potuisset: nihilominus ex innata, & Augustissimæ Domui Austriacæ propria & avita Clementia, ei non modò Regna paterna, & Provincias restituit, verùm etiam eundem, datâ illi in conjugem filiâ Judithâ pientissimâ Heroinâ sanguine sibi devinxit, & Generum fecit.

Extat etiam Rudolphi Victoris Epistola, quâ indulget Ottogari Regis liberis, ex qua summa Clementia Rudolphi elucet.

Rudolphus Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

OMnibus in perpetuum, &c.

DIvi Principes, qui divino nutu terrenum Imperium, tam armis, quàm legibus direxerunt, illam sibi virtutem quasi propriè propriam attraxerunt, ut non minùs victis parcere, & prostratis piè compati, quàm rebelles vincere, & superbos reprimere cogitarent. Sicque Reipublicæ victricem potentiam misericordiâ temperabant, sicque terribiles hostibus & devo-

devotis amabiles se fecerunt. Horum Principum & Majorum nostrorum vestigijs inhærere volentes, ad pupillos quondam Ottogari Illustris Regis Bohemiæ oculos nostræ mansuetudinis clementi intuitu convertentes, ipsis pueris gratiæ nostræ gremium, plenúmque favoris securum refugium aperimus, &c.

Acceptis à Rudolpho Pontifex lectísque literis de victoriâ adversùs Regem Bohemiæ, dum inclinante hoc anno respondet, & de victoria obtenta gratulatur, rogat, ut vetera ab Imperatoribus concessa Romanæ Ecclesiæ privilegia, à Principibus, Electoribus confirmanda curaret; ut, inquit, affectus tuæ devotionis, quem sic gratanter inhærere sensibus nostris inspicimus, in effectum perfectæ soliditatis appareat, & residere in omni puritate probetur. Et ut prosperitas tuorum successuum, videlicet de hostium tuorum depressione victoria, quos diebus istis in manibus tuis divini judicij virga conclusit, in mansuetudinis gratia, quæ post triumphum regales actus adornat, te nobis gratum, & alijs repræsentet acceptum, ac de regia gratitudine post felicitatem majorem nobis, & Ecclesiæ mansueta præsagia repromittat, & successivè nos reddat de tua sinceritate majori perfectione securos, &c. Addit preces, ut quæ constabiliendis Romanæ Ecclesiæ juribus deerant, compleat. Datum Romæ 15. Kal. Decembris Anno 1278.

M.S. Codex Epistolaris sæpiùs Cit.

CAPUT XIV.

Rudolphus ad postulata Pontificis annuit, & concessa immunitati Ecclesiasticæ coram Electoribus confirmat; Ottonis Brandeburgici mala consilia contra Regnum Bohemiæ refrænat; favor in hæredem Ottogari, & in Monasterium Cremifanense Ordinis S. Benedicti munificentia.

Rudolfus I. etiam in Conventu Electorum Vien. omnia privilegia Sedi Apostolicæ data, aureà bullà confirmat.

ANno 1279. ad 15. Cal. Martias indict. 8. Rudolphus Rex Romanorum Viennæ Austriæ Principum Germaniæ conventum celebrat. Et horum omnium publico consensu omnia privilegia Rom. Ecclesiæ atque summo ejus Antistiti Nicolao III. quemadmodum, & olim per internuncios & præsens Gregorio

& reliquis Pontificibus succedentibus fuerat pollicitus, datis in eam literis aureâ bullâ signatis confirmavit, satìs supérque disertis verbis confitebatur, quia ad magnificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quæ Imperatores Romanorum & prædecessores sui Reges Romanorum de Romanæ Matris Ecclesiæ uberibus susceperunt spectare videbatur, ut & ipsi velut devoti filij faciem gratitudinis erga Matrem Ecclesiam converterint: maximè quòd eadem Ecclesia ipsos in dulcedine benedictionis prævenerit, Imperiúmque de Græcis in Germanos transferens, ejsdem quod illi fuerant, dederit: ut isti quoque non nulla eidem Ecclesiæ grati animi causâ concesserint, donaverint, confirmaverint: scilicèt totam terram, quæ est à Radicofano usque ad Caperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, terram Comitissæ Mathildis, Comitatum Bretenorij, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim & Massam Trebariam cum adjacentibus terris, possessionibus, ac locis descriptis in privilegijs Imperatorum à temporibus Ludovici usque ad præsens. Quamobrem & ad se quoque pertinere testabatur, eadem omnia sedi Apostolicæ non tantùm confirmare, verùm quantùm opus fuisset de novo concedere, & ejus regales actus in omni claritate procederent, & omnis obscuritas, quam frequenter generalitas consuevit inducere, Imperiali expressione tolleretur, & jura sedi Apostolicæ per Imperatoriam declarationem, quam perpetuam fore decernebat Rudolphus, solidarentur, recognoscebat, fatebatur, & oraculo præsentis edicti ad æternam memoriam declarabat, præter omnia suprà enumerata Civitatem Ravennatensem Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum populi, Forum Livium, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comactum, Adriam, Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemfreti, & territorium Balnense, Provincias, Civitates, & loca cum omnibus finibus territorijs, atque insulis in terra maríque ad prædictas Civitates, territoria, & loca supradicta quoquomodo pertinentibus, ad B. Petrum Principem Apostolorum, & ad eundem Nicolaum III. Pontificem Maximum, successoréSque ipsius, atque ad ipsam Romanam Ecclesiam, pleno jure ac integrè non solùm in spiritualibus; verùm etiam in temporalibus spectare, ac ipsorum pleni juris, ditionis ac Principatús existere. Insuper ad omnem dubitationis scrupulum imposterum abolendum, ut & ipsius Imperialis devotio erga Matrem Ecclesiam Rom. innotesceret, prædicta omnia & singula, tam proprijs seu specialibus Provinciarum, terrarum, Civitatum

Bzovij Annales ad ann. 1279. N. I.

&

& locorum expreſſa vocabulis, quàm etiam non expreſſa, prout meliùs valere & efficaciùs intelligi potuiſſet, B. Petro & ipſi ſummo Pontifici Nicolao III. ac ſucceſſoribus illius nec non Rom. Eccleſiæ liberè & plenariè quantùm opus erat, de novo conceſſit, contulit, & donavit: ut ſublatâ omni diſſenſionis & contentionis materiâ, firma pax & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium jugiter perſeveraret. Actum & datum Viennæ 17. Kal. Mart. Anno 1279. Indict. VII. Regni VI.

Relictis Provincijs Paternis Wenceslao filio Ottogari Regis, tutelam & Regni Bohemiæ adminiſtrationem Ottoni Brandeburgico affini occiſi Regis, quoad filius Rex adoleſceret Cæſar commiſerat; ſed dominatio ejus hominis avariſſimi, cum inſigni tyrannide conjungebatur: nam aſſiduis penè exactionibus Regnum gravabat, & lacerum jam antea magìs adhuc lacerabat, expilabat, diripiebat, tyranno quàm tutori, aut gubernatori ſimilior. Nec bonis Eccleſiaſticis, Deóque dicatis pepercit: Pragenſem Eccleſiam omni theſauro ſpoliavit, & quæ inibi proceres, & alij ſecuritatis causâ depoſuerant (facile ad ducenta aureorum millia) per ſatellites rapuit, ipſum Regem parvulum, velut captum in arce Bezdezy cum Matre clauſit, poſtea planè in Marchiam abduxit: nec priùs reſtituere voluit, velut ſi hoſtis, non amicus foret, niſi poſtquàm proceres ei ſexagies mille aureorum numeraſſent. Explicari certè non poteſt ſatìs fœda hominis avaritia, quâ ille Bohemiam afflixit, & tantùm non perdidit. Et vide adhuc magìs malignitatem hominis, odiúmque ipſius in Gentem Bohemorum capitale prorsùs & immane. Habebat ille in animo abolere & extirpare nationem Bohemorum univerſam, ſumpto tanti auſûs, tantíque facinoris principio à Nobilitate, quàm primò omnium deſtruere voluiſſet. Id verò conſilium ità ordinabat, ut totâ Nobilitate Bohemiâ ad comitia evocatâ, de Rudolfi Cæſaris injurijs primùm quereretur, tum Bohemos in Rudolfum concitaret, tandem ad arma vocaret, quaſi ipſe etiam Otto, Ottocarum avunculum ſuum (nam ex Ottocari ſorore Beatrice natus erat) ulturus. Id cùm effeciſſet, promittebat Rudolfo, ſe illi totum Bohemorum exercitum, commodo tempore, (quod facilè eſt Duci & proditori) adducturum advictimam, & per proditionem daturum in manus, ut ſe quantùm vellet, Bohemorum cæde ſatiaret. O ſceleratam mentem! At Rudolfus Cæſar juſtiſſimus, idémque moderatiſſimus tam impium & nefarium conſilium damnavit, averſatúſque eſt, ac potiùs ad Wenceslaum Otto-

Ottonis Brandeburg. Bohemiam gubernantis tyrannis.

Et capitale in gentem Bohemorum odium.

Balbinus in Epitome rerum Bohemiæ in Notis ad l. 3. c. 15.

Rudolfus Cæſar juſtitiæ cultor inſignis.

gari filium adjuvandum & ornandum cogitationem animúmque convertit. Tot ſanè honores, tot jura, tot Provincias in Wenceſlaum Regem (diverſis tamen temporibus, ùt ex ſequentibus patebit) congeſſit, & ſtudiosè accumulavit Rudolfus I. Imperator Auſtriacus, ut in hoc beneficentiæ in Reges noſtros genere, omnes ante ſe Cæſares ſuperârit. Etenim Electoris dignitatem, Vicariatum Imperij in Miſnia, ipsámque Miſnam urbem, Egram; in Bavaria ditiones non paucas; Archipincernæ in Imperio munus; Wratislaviæ Principatum; Luſatiam quoque aut confirmavit, aut contulit. Hoc eodem anno unde octogeſimo nobiliſſima Moſpurgicorum Comitum familia cum Conrado ejus gentis ultimo extincta eſt. Moſpurgicum Comitatum, quâ parte beneficium erat Romani Imperij Rudolphus Cæſar Ludovico Bojo genero donavit anno ſequenti. Ità habent Cæſareæ tabulæ 10. Kal. Sept. datæ Norimbergæ.

Favet Duci Bavariæ Ludovico. *Joan. Adlzreitter Boicæ gentis Annal. p. 1. l. 25. n. 6.*

Claudo annum præſentem affectu & beneficentiâ Cæſaris Rudolphi in Cœnobium Cremifanenſe Ordinis S. Benedicti in ſuperiore Auſtria, cui vectigalium immunitatem conceſſit.

Rudolphus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Annal. Cremifanenſis l. 3. f. 208.

UNiverſis Officiatis, Judicibus & Mutarijs per Auſtriam & Styriam & Anaſum conſtitutis gratiam ſuam & omne bonum. Quia dilecti devoti noſtri - - - - Abbas & fratres de Chremſmünſter *hac apud Prædeceſſores noſtros libertatis gratia uſque ad hæc tempora ſunt gaviſi, quòd tam per terras quàm per aquas ubique ab omni exactione, telonio, ſive muta quoad victualia deducenda liberi eſſe debeant & immunes, univerſis vobis & ſingulis diſtrictè præcipimus, & mandamus quatenus juxta conſuetudinem dictis Abbati & fratribus hactenus obſervatam, nullas ab ipſis mutas ſive telonia requiratis. Quin potius ipſos aut eorum familiam cum victualibus ſuis ab exactione, gravamine & impeditione qualibet tranſire liberè permittatis. Datum apud Linzam Non. Novemb. indictione VIII. anno Domini M. CC. LXXIX. Regni verò noſtri Anno VII.*

Eandem immunitatem ratam quoque eſſe juſſit Otto Sereniſſimus Dux Auſtriæ anno 1327. Diploma ſic ſonat.

Otto Dei gratiâ Dux Auſtriæ & Styriæ Univerſis Judicibus, Mutarijs & Officialibus per Auſtriam, Styriam & Anaſum conſtitutis gratiam ſuam & omne bonum. Honorabilium & Religioſorum virorum Abba-

tis

tis & Conventûs Monasterij in Chremsmünster, *devotorum nostrorum Libertates & Privilegia ipsis à Prædecessoribus nostris data, & concessa, per hos etiam confirmata vidimus: & eisdem perlectis diligenter invenimus, quòd idem Abbas & conventus prædicti Monasterij omnia sua vina, annonam, & alia victualia quocúnque nomine censeantur, sive ex possessionibus, vel per emptionem ea consecuti fuerint, usque ad suum Monasterium per vias & per aquas, absque omni muta seu teloneo, & exactione qualicúnque traducere valeant, impedimento quolibet non obstante. Quapropter vobis præcipimus & mandamus, quatenùs eosdem Religiosos uti suis libertatibus permittatis, ipsis in eisdem nullam molestiam inferentes, si maximam indignationem volueritis evitare. Datæ in Linza feriâ 6. post festum Beati Petri Apostoli Anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo septimo.*

CAPUT XV.

Rudolphi Cæsaris cura Religionis in Hungaria conservandæ; Tullnensis Cœnobij initium & Fundatio.

ANno 1280. In Hungaria Christiana Religio, quæ anno superiori, in magnum discrimen adducta fuerat, pulso magnâ ignominiâ Legato Apostolico Philippo à Budensibus, Ladislai imperio, hoc anno refloruit: Rex enim à Rudolpho Cæsare & Carolo Siculo perstrictus commissum scelus agnovit: ad quod abolendum Legato centum marcas annuas, quas egentium Ungarorum nomine reciperet, ut Xenodochium excitaret, assignavit.

Rudolphi cura Religionis.

Odoricus Raynaldus ad A. C. 1280. n. 8.

Ad eundem annum pertinet initium fundationis Cœnobij Tullnensis in inferiore Austria. Rudolphus enim Cæsar ratus promissiones maximè Deo factas celeriter adimplendas esse, locum pro extruendo Cœnobio & templo, quod honori sanctæ Crucis ante prælium cum Ottogaro ædificaturū se voverat, per aulæ suæ præfectum Conradum in Civitate Tullnensi designat, & Sanctimonialibus Ordinis S. Dominici offert. Accersitæ sunt juxta M. S. Cœnobij Norimbergâ Virgines, quarum numerum per susceptum habitum & emissa religionis vota auxit Rudolphi I. Cæsaris primogenita, nomine Ephemia. Attulit porrò pretiosissima quæque cimelia ac ornamenta sexui suo & dignitati congrua, quæ omnia templo Cœnobij futuri, ad promovendum Dei cultum cesserunt. Rudolphus verò præter necessaria, quæ cultum Dei

Tullnensis Cœnobij initium & Fundatio.

Vide ann. 1274.

augent & ad Pietatem provocant, sacras Reliquias, de quibus jam diximus, addidit. Ad contestandum verò majorem affectum erga sacras virgines, factô ad id eleganti ex marmore Mausolæô filios suos Hermannum & Fridericum ibidem tumulari voluit. Quibus tractu temporis plures ex posteris Rudolphi, præsertim de progenie Alberti I. Cæsaris, appositi sunt. Priusquam literas fundationis Cœnobij hujus recitem, operæ pretium me facturum arbitror hìc referre veterùm Comitum Habspurgicorum, eorùmque, à quibus ipsi descenderunt Pietatem, & Deo sacrorum locorum erectionem munificam, ut palàm constet, quales præcursores Rudolphus in pietate & Zelo Religionis Orthodoxæ propagandæ habuerit.

Exemplis ostenditur Fidei Zelus Habspurgicorum Comitum, ante Rudolphum Imperatorem.

Eytzinger. in Geneal. Author vitæ S. Trudperti c. 1. apud Henschen. Tom. 3. Aprilis f. 433.

Ab Ottoberto Vindonissæ & Altenburgi Comite, ex quo Comites Habspurgici descendunt, de quo certa extant documenta ordiamur, hic ab Eytzingero nuncupatur: *Princeps admodùm devotus*, Catholicus, *pius, & pauperum fautor eximius.* Author vitæ S. Trudperti Martyris, cui Ottobertus in Brisgovia vallem integram construendo Oratorio donaverat, laboris adjutores adjunxerat, & facultatibus juverat, sic habet: *Ottpertus sanguine nobilis, virtute non degener, animo sagax, & vir illustris, Dei gratiæ non ingratus, de omni corde laudans Dominum, &c.* Et agens de morte S. Trudperti ait: *cùm Illustris Ottpertus morte sancti compertâ pio permotus affectu ardenter anhelans ad illius anxiè properaret exequias, &c. confirmatur Ottperti credentis Fides, præsentis etiam attestatione miraculi.* Denique factâ mentione etiam obitùs Ottperti subdit: *Ab illo, ut veraciter creditur, collectus in cœlis, quem in terris ipse* (Ottpertus) *in dilecto sibi Trutperto collegerat.* Nempe jam tunc prælusit posterorum Fidei Zelo, & pietati Ottobertus, qui tot erant generaturi sacrorum locorum Fundatores, quot Principes. Decuit esse sancta tam sanctæ Domûs initia.

Author vitæ c. 3. n. 29.

II. Rampertus pronepos, vel abnepos Ottoberti, proavi sui Zelum æmulatus, apud memoratum Authorem Vitæ S. Trudperti hoc elogium meruit, & simul vaticinium: *Domino nolente, quòd spirituale semen, & sancta successio Martyris sui deficeret, cui jam ante juraverat veritatem, non frustraturus eum omninò, semen inquiens ejus, in æternum manebit.* Post aliquanti temporis intercursum egrediebatur virga de radice Ottoperti, & flos de radice ejus ascendit insignis, nepos scilicet tàm facultatum, quàm devotionis ipsius possessor, & hæres, appellatione Rampertus, qui pietatis

avitæ

avitæ ſucceſſor, B. Trudperti memoriam accuratiùs inſtaurare contendens, diruta reparare, convulſa reducere, ac erigere jam dilapſa, omni attentione ſatagebat. Baſilicam inſuper cum copioſis Auri ſculpturarúmque paratibus in BB. Petri ac Pauli memoriam, quibus locum ſanctus Martyr ipſe dicaverat, ſumptuoſo conſtruxit impendio. Addit in eandem rem Guillimannus: ductâ à fundamentis ut inſtituerat Baſilicâ, Sidonium Conſtantienſem Epiſcopum Rampertus accerſivit, qui dedicaret, & in eam D. Trudperti corpus ex Sacello DD. Petri & Pauli, in quo hactenus jacuerat, transferret, &c. Factus eò totâ Briſiacâ ingens concurſus, ſed ubi Trudperti monumentum aperuêre; integrum, & incorruptum, & veluti ſopori indulgentem, multo oris ſplendore, & odorem ſuaviſſimum exſpirantem offenderunt. Igitur tanto miraculo læti juxtà, & attoniti, beatum Martyrem maxima cum pompa, & veneratione monumento æde novâ præparato intulerunt, compoſuerúntque Anno D. CC.LIV. Continuóque Legatos Comes ad Stephanum III. Pontificem, qui in Galliam eo tempore venerat, deſtinavit, &c. Ut ſcilicet Sanctorum Albo inſcriberetur Trudpertus, quod & factum. Pergit Guillimannus: Sed ut quoque ſplendori ejus (Monaſterij) & dignitati reditus, & ſumptus ſuppeditarent, multas alias poſſeſſiones Rampertus tradidit, censúſque magna ex parte adauxit. Poſtremò ità varijs ſe, & novis ergà Monaſterium impenſis, & beneficijs probavit, ut Conditor ſecundus à poſteris vocari, & honorari meruerit. Sanè id apertè ſatìs teſtantur verſus præfixi vitæ ſancti Trudperti.

Guillim. Habſp. l. 3. c. 3.

Ottpertus, Rampertque, Comes Luitfridus ab Habſpurg
Trudperti Sacram fundarunt Martyris ædem.

Hentſchen. annot. ad vita c. 3.

III. Etho prædicti Ramperti frater, licèt eum nonnulli ad Atticonis proſapiam referant, veroſimiliùs tamen hujus fuit familiæ, aſſerente Bruſchio: *Etho Chronographis Argentinenſibus omnibus conſentientibus Habſpurgicus.* Inſignem ſcholam in Monaſterio Divitis Augiæ inſtituit, cujus erat ſecundus Abbas, deinde à Pipino Rege ad Argentinæ Epiſcopatum evectus. De eo Guillimannus: *Quantum in augendis, & cohoneſtandis viris, locíſque Religioſis Rampertus ſtudij, & ſumptûs faciebat, tantum corrigendis, emaculandíſque, quæ ſacrum ordinem invaſerant, turbabántque vitijs, Hetto laborabat, maximè verò Simoniacam hæreſim, quæ rebus Eccleſiæ ſemper infeſta, tum præcipuè invaluerat, ea ut nè ampliùs in Argentinenſi Epiſcopatu locum habeat, Pipini Regis authoritate, ſancivit magis Hetto, quam poſteri conſervârunt.* Idem Hetto inſtauravit, & quaſi de novo condidit

Ubi ſuprà.

Bruſchius de Monaſter. Germ.

Cœnobia Fabarianum in Rhetia, Altahense in Bavaria, Murbacense in Alsatia.

Laz. Comment. Gen. l. 1. c. 7. f. 127. IV. Luithardus Guntrami I. Filius Ramperti nepos, sacrorum locorum liberalissimus munerator, de quo Lazius: *Multa donaria Gengenbacensi Cœnobio, quod petentibus ex Argentorato Hercyniam Sylvam occurrit, contulit, ut alter illius ceu conditor existimetur.* Pro hoc Luithardo Luitfridum I. substituit Guillimannus. Fuit certè Habspurgicus, & hoc nomine dignus, nec à majoribus degener.

Guil. cit. c. 7. V. Luitfridus porrò sive Luithardi, sive Luitfridi filius, meritò dictus *Laudatissimus*, quem titulum meruit egregiâ in D. Trudperti fundationem munificentiâ. *Nam majorum vestigia secutus S. Trudperti Monasterium ab Ramperto avo, multis partibus auctum, & illustratum, ad culmen perducere constituit. Itaque consensu filiorum non* *Lazius migrat. l. 8.* *modò à majoribus factas donationes confirmavit, sed novis ipse reditibus, & possessionibus Monasterium locupletavit. Primus Abbatiam fundavit, advocationem, & defensionem Monasterij filijs, & posteris retinuit*, con- *Guill. citat. f. 98.* dito instrumento, quod integrum recitant Lazius, Guillimannus, & Bucelinus. Libet paucula verba adferre: *Unde divino amore compunctus pro remedio animæ, & progenitorum atque successorum meorum, quidquid per chartam traditionis donatum fuit ab antecessoribus meis, Ottberto videlicet, qui inductor fuit pretiosissimi Martyris, & Ramberto, cæterísque fidelibus, &c. in integrum atque per totum consentientibus filijs meis Hundfrido, Luitfrido, & Hugone trado, & transfundo, &c. Insuper cum consilio filiorum meorum, atque rogatu, ut propensiùs, & devotiùs memoria mei, meorúmque filiorum augeatur in præfato Monasterio, exceptis his, quæ prænominavimus, ex alia mea hæreditate donavi ad ipsum locum, hoc est in Mortonauva in Bichinchaim, & in Wittrillinbach, & in Gamiansburst, in Alsatia, & in Bergheim, & in Limenhusen, quidquid habere in his locis visus sum. Ad altare verò, ubi desidero meum esse sepulchrum, dedi specialiter in Columbra unam huebam, & eam habeat custos ipsius altaris, & procurator, ad memoriam mei libentiùs peragendam, &c.* O piam pro anima solicitudinem, ùt non degenerantem à majoribus, ità in totam posteritatem transfusam! Quod *Author vitæ S. Trutperti c. 3. l. 1.* Author vitæ S. Trudperti in memoriam revocans scribebat: *Suscitavit Deus Ottperto pijssimo germen justum, ut quòd ille devotus inceperat, Rampertus extenderet, foveretque devotiùs, ac Luitfridus devotissimè consummaret: ut & radicis succus in surculo, & utriúsque sapor in fructu perpenderetur.*

Guill. citat. VI. Hugo Comes Habspurgicus, secundùm aliquos Ramprechti

prechti filius, secundùm alios Luitfridi I. fundavit Cœnobium in Willerthal à suo nomine dictum Hugeshoven.

VII. Guntramus II. Comes Habspurgicus, destructum S. Trudberti Cœnobium, & per Ungarorum excursiones vastatum, reparavit, & de novo construxit circà annum 938. ut est apud Guillimannum. Ejus filius Gebitzo Basileensis Episcopus auctor, & Fundator fuit Cœnobij Weissenau propè Ravenspurgum, circà annum 948. Bruschius verò ponit anno 1145. sed Chronologiæ repugnat. Frater Gebitzonis dictus Birch Tilo fundavit Cœnobium Waldtkirchen in nigra sylva, sub titulo D. Margaretæ pro sanctimonialibus. *Gebvilher. Bruschius de Mona-* *Roo. Gebvil. Guillim.*

VIII. Betzo, quem Landolum alij scribunt, divitis Patris Guntrami II. dives filius, Luitfridi præmemorati pronepos, opes hæreditate, & industriâ comparatas non meliùs impendi posse credidit, quàm more majorum. Illi Deo, & Divis templa, ac Cœnobia condiderunt: etiam Betzo, attractis in æmulationem fratribus, qui conjunctis opibus Sanctimonialium Cœnobium in Sultzberg Brisiacæ condiderunt, in quo etiam post obitum ossa voluerunt componi. Betzo insuper in sepulchrali lapide suum in Dei parentem affectum testatus est, cùm inscribi jussit. *Guillim. cit. f. 124.*

Graff Betzo von Habspurg
Sancta Maria Bitt Gott für mich. *Bruschius. Guillim. Lazius.*

IX. S. Gebhardus Comes Habspurgicus, secundùm aliquos Betzonis filius, secundùm alios Bertholdi I. Zaringo-Habspurgici, certè his cognatus ex Comitibus Brigantinis, de quo in Austria sancta die 27. Aug., fundavit Cœnobium Ord. D. Benedicti Petershusium è regione Constantiæ anno 980.

X. Rathbotus seu Radepoto Landoli filius, quâ stirpe satus esset ostendit, cùm ad Murensis Cœnobij, à fratre suo Wernero conditi unà cum uxore sua Itha Lotharingica liberaliter concurrit, utì acta Murensia apud Guillimannum copiosiùs docent: *Venit Comes Redeboto, & accersivit de cella S. Meginradi Abbatem Venerabilem nomine Embricium, & eum rogavit, ut pro Dei amore ipse faceret hic Monasterium construi, & cætera, quæ fuissent necessaria habitacula Monachis, & suos fratres ad hoc implendum destinaret. Cui cùm ipse Abbas vix assensum præberet, multis Comitis, & Uxoris ejus precibus motus, locum commendatum in suum Magisterium suscipiens, mox huc destinavit Reginboldum Monachum, &c.* Zelus hic propagandi honoris divini accendit pariter fratrem alterum Radebotonis Rudolphum, *Lazius in Commen. Geneal. Henninges. Tiespordius. Guillim. f. 147. Tiespord.*

qui duxerat Adalberonis Comitis Froburgensis ad Jurassi dextrum latus filiam Adelheidem, *ejúsque precibus, & solicitatu condidit Sanctimonialium Monasterium in honorem, tutelámque Deiparæ Matris Othmarsheimi, vico Alsatiæ superioris.* Nec subsistit in Fratrum ternario pietas: quartus supererat Landolus, qui Zaringensi familiæ initium dedit: hic ne quid concederet fratribus in divinæ gloriæ propagatione *assumpto in Societatem Cadeloco juniore Aragoviæ Comite, Rhinfelda oppido haud procul, in valle reducta, Feráque fluvio irrigua condidit nobilium fœminarum Monasterium, quod montem Christi nuncupavit, vulgo Oelsperg nominant. Illud Landolus pater prælio Hungarico haud procul inde pugnato voverat, spoliáque, & manubias ejus gentis, & victoriæ eo destinârat.* Ut Guillimannus testatur: At Piespordius pro Oelsperg vertit Hortum Olivarum, non rectè.

Guillim. l. 5. c. 1. f. 151.

XI. Bertholdus II. Habspurgicus Landoli modò memorati nepos primus Dux Zaringiæ obijt Anno IV. *sepultus ad S. Petrum Harcyniæ ante altare S. Crucis, quod Monasterium ipse ædificare cœpit.* Ut ait Piespordius. Idem fundavit Cœnobium Marchtallense ad fontes Danubij.

Guillim l. 6. f. 244.

XII. Bertholdus III. Habspurgo-Zaringicus cœptum à Patre S. Petri Cœnobium absolvit, & dedicari fecit anno 1113. Fundavit etiam Villingæ Cœnobium O. SS. Weiheimium dictum.

Guill. in Habsp. Lazius in Geneal.

XIII. Wernerus I. Rathboti filius, quæ pro augendo cultu divino egerit, quomodo Murense Cœnobium à Patre, & patruo Wernero conditum auxerit, libertate donaverit, fusè recenset Guillimannus. Ab eo etiam conditum Wetingense Cœnobium tradunt Gebvilherus, Lazius, alij. Sed longè post à Rapperswilæ Comite Henrico conditum vult Guillimannus. Potuit sanè primus conditor esse Wernerus, & lapsu temporis desolatum instaurare Henricus. Nec ex vano putem sua hausisse Gebvilherum.

Guill. l. 5. c. 1. f. 181. Gebvilh. in Epit. Lazius.

XIV. Albertus I. cognomento Dives cum Bertholdo V. Zaringico Duce Habspurgi Comite cognato, bello sacro Cruce assumptâ in Palestinam profectus studium dilatandæ Religionis Christianæ egregijs facinoribus testatus est, quæ alij prosequuntur: idque iteratâ vice, & demum redux obijt anno 1100.

Piespordius.

XV. Rudolphus I. Comes Habspurgi Rudolphi Imperatoris avus, Alberti I. Filius, plurimis donis prosecutus est Canoniam Beronensem. Diploma verbatim profert Guillimannus: unum sub dato 1210. alterum 1227. tertium 1228. quartum anno 1231. uno ante mortem anno. Notat verò ad hæc Guillimannus:

Guill. l. 6. f. 244.

f. 258.

nus: *Insitâ Religione animi Habspurgenses, res divino cultui mancipatas non modo semper permagni fecisse, sed easdem plerúmque locupletâsse, fovisse, virorum Religiosorum pietatem, & preces maximè coluisse, & præcipuo in honore, & pretio habuisse.*

XVI. Albertus Sapiens Rudolphi memorati filius illicò ab obitu patris eidem Beronensi Ecclesiæ munificum se exhibuit, edito diplomate unà cum fratre Rudolpho Taciturno, cujus hoc est fragmentum: *Adelbertus, & Rudolphus Comites de Habspurg universis præsentem paginam inspecturis rei gestæ notitiam. Notum sit omnibus tàm præsentibus, quàm futuris, quòd nos duas Schopozas in Reschenvville emptas, &c. pro remedio animæ Patris nostri Rudolphi Comitis de Habspurg cum omni jure contulimus Ecclesiæ Beronensi. Advocatiam earundem Præposituræ ejusdem Ecclesiæ conferentes.* Illud maximoperè illi & toti posteritati gloriosum fuit, quòd in Palestinam susceptâ expeditione, contrà paganos arma sumpserit, ibique post multos exantlatos labores piè decesserit. Plura de his videre licet apud citatum Guillimann, quæ nos lubentes prætermittimus, & ad Fundationis Tullnensis Diploma properamus.

Rudolphus Dei Gratiâ Rex Romanorum semper Augustus.

OMnibus fidelibus Romani Regni nostri.

ÆTernam laudem de obtenta victoria, quam habuimus superato nuper Otthogaro Bohemiæ Rege, & publico Regni nostri hoste, soli Omnipotenti Deo adscribimus tanquam Datori & Victori, nihil potentiæ, armis & viribus nostris adnumerantes, sed soli misericordiæ illius, & Providentiæ, quæ nobis semper & Regno nostro misericorditer adstitit; nec non sanctissimæ Cruci, sub cujus labaro dubium prælium feliciter conclusum est. In cujus rei testimonium, non habita ratione famæ nostræ undequaque dispergendæ, sed spectato solo cultu divino & misericordiâ ejus, atque in exaltationem & venerationem sanctissimæ Crucis Christi ob vitæ conservationem, & memoriam victoriæ obtentæ, fundavimus & ereximus claustrum Monialium sub Regula S. Augustini & instituto sororum Ordinis Prædicatorum in civitate nostra Thullnensi, ut inibi Deo optimo maximo debitum cultum exhibeant. Proinde volumus omnibus fidelibus Regni innotescere, quod præfato Cænobio dederimus in fundationem sequentia bona & reditus: inprimis villam M. Conradi cum capella S. Crucis villæ conjuncta, quæ immunis est à jurisdictione Abbatis & Conventûs Schottensis Viennnæ. Item ditionem Cronavia dictam, civitati

Fundatio Cœnobij Tullnensis

I. Claustro.

 vitati

vitati Thullnenſi conterminum, cum omnibus privilegijs & juribus omnibus eodem ſpectantibus, excepto jure ſanguinis & paſcuis: quæ cives Thullnenſes in præfata ditione, ex indulto Principum antiquitùs obtinuerunt. Item donamus eidem Cœnobio duo prædia in ſuburbio Urbis jam dictæ locata, ædificata, quæ legitimè coëmimus à fideli nobis Friderico de Legenbach. Præterea ſpopondimus in fundationis incrementum Conventui dare viginti modios tritici, totidem ſiliginis & avenæ; viginti vecturas vini, & centum libras pecuniæ Monetæ Viennenſis, quæ omnia in alijs antehac à nobis datis litteris continentur. Probibemus etiam ſub interminatione Regiæ poteſtatis noſtræ, & adjuramus fideles Regni noſtri, nè nominato conventui in bonis & reditibus à nobis datis, quidquam moleſtiæ creent, alióqui disgratiam Regiam apud nos graviter incurſuri. Teſtes hujus fundationis noſtræ ſunt Reverendiſſimi Fratres, Paulus Tripolienſis Epiſcopus, Ordinis Minorum, Nuntius Apoſtolicus; Vincartius Epiſcopus Paſſavienſis; Henricus Epiſcopus Ratisbonenſis; Conradus Epiſcopus Curienſis; Henricus Epiſcopus Baſileenſis; Celſiſſimi Duces Bavariæ, Palatinus ad Rhenum; Albertus Dux Saxoniæ; Otto Dux Bavariæ, Rudolphus Aulæ noſtræ Cancellarius; Illuſtriſſimi: Fridericus Burgravius Norinbergenſis, Albertus & Hartmannus Habſpurgenſes, Filij noſtri, Eberardus de Kazenellenbogen; Albertus & Burgardus Fratres de Hohenberg, Godefridus de Schein, Joannes de Wertenberg; Albertus de Hardegg, Fridericus de Fürſtenberg, Comites. Nobiles: Otto de Haslau, Otto de Perichtolſtorff, Udalricus & Conradus de Pibichdorff, Leopoldus & Henricus Fratres de Thunring; Fridericus de Langenbach; Stephanus de Meiſſà Mareſchallus Auſtriæ & complures alij in teſtimonium omnium, quæ à nobis Deo ſacratis Virginibus ſunt donata. In horum fidem damus præſens Inſtrumentum ſigillo noſtro munitum. Datum Viennæ per Godefridum Aulæ noſtræ Protonotarium & Præpoſitum Paſſavienſem, pridiè Calendas Septembris in octava Indictione, poſt Nativitatem Chriſti 1280. *Regni noſtri ſeptimo.*

Notæ & Additamenta.

Spitihneus II. cognomento Juſtus, Bohemiæ Princeps XXIII. cùm aliquo tempore belluam quamcúnque (Leonem, aut Urſum, &c.) expreſſiſſet, deſubitò laudatiſſimus Princeps unâ nocte evaſit, meruitque, ut inter *pios & juſtos Principes* numeretur. Sanctus enim Vitus Martyr cælo delapſus, correxit Principem, & execrabile Imperium crudelitatis oſtendit, docuítque homines humanè regi oportere. Illud, mutatâ iſtâ, ſingulare Spitihneus habuit: quòd quotidie, manè & veſperi conclave ingreſſus Cruci-

Balbinus de Ducibus & Regibus Bohemia.

Crucifixi simulacrum uno minimùm quadrante horæ intueretur cum lacrymis, & divinis affectibus, qui nascebantur ex tempore, salutaret.

Præter magnificum illud templum, quod S. Helena construxit, in loco ubi S. Crucem invenerat, Constantinus Magnus Imperator Romæ etiam valde splendidum extrui curavit, in quadam parte atrij sessoriani, templô Veneris ac Cupidinis, quod ibi vicinum erat, eversô.

Crux Christi honorata per templorum erectionem.

Splendidum insuper templum in honorem S. Crucis extruxit idem Constantinus Hierosolymis in media urbe, quod ut tradit Eusebius Cæsariensis, sumptuosis insignibus exornavit. Pijssimi Imperatoris pium institutum certatim invitati maximi Principes, Ecclesias & Oratoria in honorem S. Crucis erexêre. Quorum exemplum Rudolphus æmulatus victoriarum suarum monumentum reliquit in æde sacra, quam honori sanctæ Crucis Tulnæ extruxerat, ominoso haud dubiè eventu, ut Domui Austriacæ ob cultum Crucis ipsum Regnum Hungariæ dupliciCruce illustre jungeretur; quod per matrimonium etiam ad Domum Austriacam tandem accessit, & nunc divis faventibus expulsô Christianitatis hoste in Bulgariam usque & ultra, ChristianoMarte feliciter agente sese dilatavit.

Syllabus personarum è Domo Austriaca sexûs fæminei, quæ statum Religiosum assumpserunt, vel eundem vitâ expresserunt.

Juvat etiam hìc referre descendentes ex Rudolpho I. Cæsare, quæ pietatem etiam assumpto Religioso habitu, vel Religiosum statum vitâ ipsâ expressere. Primum sibi vendicet locum nominata suprà Euphemia, quæ in Monasterio à Parente magnificè extructo & dotato, uti piè vixit, ità piè obijt.

Hanc æmulatæ sunt, inprimis Anna filia Friderici Pulchri, quæ mortuô postremô maritô cum XXVI. virginibus Cœnobium S. Claræ Viennæ ingreditur. Diu ibidem austeram vitam egit, & cum magna integritatis fama ex vivis decessit. Catharina, filia Alberti II. Ducis Austriæ, cognomine Sapientis, in eodem Cœnobio virginitatem & Religionem professa, loci ejus Antistita extitit. Huic citatus Lequile, itidem Catharinam Leopoldi, cognomine Probi, filiam adjungit.

Didacus de Lequile de connubijs Principum Austriæ.

Margarita filia Maximiliani II. Cæsaris, Madriti Clarissarum institutum amplexa est. Catharina, filia Ferdinandi Archi-Ducis, Annæ Imperatricis soror in Ordine servarum Beatæ Mariæ Virginis Oeniponti ætate nostra vixit. Cunegundis, Friderici V. filia, uxor Alberti Ducis Bavariæ, ac Sapientis cognomine, justis funeribus marito persolutis, rectâ ad Cœnobium Monialium S.

Francisci Monachij, nè quidem reversa ad aulam, sese contulit, & ibi in opinione sanctitatis obijt. Isabella, alijs Elisabetha, filia Philippi I. Hispaniarum Regis, Caroli V. & Ferdinandi I. Cæsarum soror, Uxor Christierni II. Regis Daniæ, post maritum regnô pulsum, pijssimè in Belgio vixit. Dicitur hanc Reginam (Manlio teste) rebus in adversis tantâ animi patientiâ enituisse, ut cum ipso B. Job certare potuisse crederetur.

Clara, Isabella, Eugenia, Philippi II. Hispaniarum ac Indiarum Regis filia, Belgarum Princeps, à morte mariti sui Alberti cognomine Pij, positâ comâ, velum & tunicam cineream ac religiosum assecларum S. Claræ Virginum habitum assumpsit.

Margarita, Helena, Magdalena, filiæ Ferdinandi I. Cæsaris in Parthenone Hallensi Religiosissimè vitam ducebant. De Fundatrice hujus Parthenonis ejúsque præclarissimis virtutibus fusiùs locô suô agemus.

Eljsabetha Maximiliani II. Cæsaris filia mortuo Carolo IX. Galliarum Rege, Viennæ templum cum Cœnobio Virginibus ex instituto D. Claræ viventium fundavit, cui suum habuit palatium adjunctum, ubi piam & innocuam transegit vitam. De ea plura ad annum 1592. dicemus.

Mater hujus Maria, postquam ex Bohemia à morte Mariti Madritum in Hispaniam se recepisset, muro uno solùm à Sanctimonialibus S. Claræ divisa, ut pia quæpiam ex tertio Ordine Vidua Deo famulabatur.

Maria Christierna, filia Caroli Ducis Styriæ, uxor Sigismundi Principis Transylvaniæ (sed diremptum est matrimonium) vixit pijssimè in Parthenone Hallensi. Obijt anno 1621.

Eleonora filia ejusdem Caroli Ducis Styriæ, Ferdinandi II. soror, Vestalis Hallis Obijt anno 1620.

Margarita filia Maximiliani I. Cæsaris, nuptias Wladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis respuit, vivendóque laudatissimæ viduæ exemplar in se expressit.

Eleonora Caroli V. Cæsaris soror primùm Lusitaniæ Regi Virgo, deinde vidua facta Francisco I. Gallorum Regi, postquam à Carolo V. captus in Hispaniam adductus fuisset, libertati jam restituto, nupta fuit. Verùm eo mortuo rebus mundanis valedicens fratrem Carolum V. à Belgis ad Hispanos navigantem comitata, vitæ sanctitati se totam dedicavit, atque in Hispania mortua est.

Maria, Eleonoræ soror, Ludovici Regis Hungariæ, & Bohe-

miæ

miæ olim conjux, cùm Carolus V. Cæſar rerum humanarum faſtigio plenus fratri Ferdinando Imperium Romanum, Filio Philippo Hiſpanias, & cætera Regna per manus tradidiſſet, & in Hiſpaniam navigaturus totum ſe divinis contemplationibus tradere ſtatuiſſet, ipſa quoque cum Eleonora ſorore fratrem eſt comitata. In Hiſpania igitur reliquam ſuam vitam piè veluti monaſticam tranſigens, tandem honeſtiſſimam obijt mortem.

Agnes filia Alberti I. Cæſaris mortuo Andreâ Rege Hungariæ maritô ſuô, in Cœnobio Königsfeldenſi cum Clariſſis ſolitariam ac ſanctam vitam 48. annis duxit.

Catharina filia Ferdinandi I. Cæſaris, conjux Sigiſmundi II. Auguſti Poloniæ Regis, poſt ſeparationem thori Lincij laudatiſſimam ad extremum vitam duxit. Ibidem mortua Anno 1572. ſed Pragæ in Metropolitana ſepulta. De pleriſque ſervato in contextu operis annorum ordine plura, præſertim in obitu, referemus.

CAPUT XVI.

Novæ literæ fundationis ejuſdem Cœnobij; Privilegium Monaſterij Zwetallenſis de ſale. Item Monaſterij Roſenſis confirmatio Fundationis. Mors Annæ Imperatricis & celebrata funeralia. Mors Alberti Magni Ordinis S. Dominici, Rudolphi Imperatoris Confeſſarij.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

UNiverſis ad perpetuam rei memoriam.

SUblimitas Regalis throni in quo Dominus Dominantium & Rex Regum Nos indignos & humiles exaltavit & præpoſuit in honore, exigit, cujuſque ſtatûs majoribus invigilare commodis, atque omni in pejus viciſſitudini obviare: eáque de cauſa Princeps, dignitatis ſuæ reſidet ſoliô, ut incrementa ſuorum proſpiciat ſubditorum, nec non magnitudinem Majeſtatis, erga humiles & demiſſos inclinet; præcipuè vultum ſuum tamen convertere habet erga eos, quos veſtimentis Religionum decoravit profeſſio,

& qui humilitate, laudabili, ad imitandum humilem Christum sese devoverunt.

Hinc est, quòd cùm Cœnobium sacrarum virginum ad S. Crucem Tullnæ, & Personæ illic Deo servientes sint nostra nova plantatio, & commune domicilium; dignitati & prudentiæ congruit, ut de favore Gratiæ Nostræ, super cætera sublimetur: & Nos qui ejusdem fundator sumus, per singulares Immunitates & munificentias, clemens dotator audiamus.

Quapropter notum sit præsenti, & futuris temporibus venturæ generationi, quòd prædictum Cœnobium sub titulo & honore sanctæ & gloriosæ Crucis fundaverimus, & Priorissam loci, atque Conventum ipsum, cum famulis, servis, adscriptitijs, bonis & possessionibus, quas nunc habent vel futuris temporibus, adjuvante Deo habituræ sunt, recipimus in nostram atque Imperij singularem protectionem. Et in virtute Regalis mandati statuimus, ne illæ quemquam Præsidem agnoscere habeant, nisi Dominum & Principem Austriæ: Qui loco & vice Priorissæ & Conventûs, Oeconomum & Curatorem rerum & bonorum eorundem deliget, ac rursùm deponet, si ineptus à Priorissa & Conventu judicatus fuerit.

Proinde nullus Judex aut Capitaneus Tullnensis, nec alius quisquam ausit in Conventûs bonis, prædijs, & possessionibus, quas habet aut habiturus est, Judiciariam aliquam Potestatem exercere: sed omnis Juridictio, Inspectori & Oeconomo reservata est: Exceptis delictis sanguinis, mortis pœnam irrogantibus: quo in casu Oeconomus reum, securâ custodiâ comitatum & cinctum, Judici extradat, oportet.

Porrò concedimus & tribuimus, antedictis Priorissæ & Conventui, ut omnia sibi necessaria transvehere possint ac valeant, sine ullius telonci aut exactionis onere.

Atque ut gratias gratijs accumulemus, concedimus eis liberè, ut sibi valeant comparare feuda antiqua hujus Principatûs usque ad summam 100. librarum auri, sive per testamenta, sive alio justo acquirendi modo ea nanciscantur, licitè ac liberè, ineant & possideant. Insuper de abundantia Clementiæ singularis, indulgemus ijs, ut quotannis decem plaustra vini liberè Passavium per Danubium transvehere possint, & duo vasa salis, mensuræ magnæ veteris, revehere.

Postremò, de telonio Nostro in Civitatibus aut locis nostris Austriæ, proveniente Nobis, assignamus annuas 60. Marcas argenti, eidem Priorissæ & Conventui, Monetæ Viennensis, quarum dimidium ad diem S. Jacobi, dimidium ad diem S. Ægidij, citra omnem interpellationem Judicum, eis obveniet.

Prohibemus quoque vi præsentium, omnibus Principibus Vicarijs Officiatis & Prætoribus Austriæ, nè ullam daciam de ulla re ad Conventum

tum pertinente, vel ejusdem bonis, prædijs, possessionibus, aut Cœnobij Colonis, & hominibus appertinentibus exigere aut recipere valeant.

Et quamvis sæpè memoratum Cœnobium curæ & ordinationi Fratrum Prædicatorum Viennensium subjecimus: Hoc tamen non obstante statuimus, quòd ij fratres solam salutem animæ Priorissæ & Conventûs quærere habeant, & temporalibus bonis ejusdem nullatenùs sese immittere aut miscere: quin eorum dispositio penes dictam Priorissam & Conventum, atque ejusdem Oeconomum plenò Jure permaneat, oportet.

Fratrum Ordinis hujus sex Sacerdotes, Priorissa dicta apud suum Cœnobium habeat, alat pro facultate Cœnobij, Inspectionem super eos retineat: & quidquid ipsa Judicaverit eis tribuendum pro modulo redditaum suorum, huic teneantur Fratres acquiescere.

Quælibet sanctimonialis, postquàm obedientiam vovit, in hoc statu ad quem vocata est, permaneat: neque citra legitimam causam, in Canonibus specialiter expressam, à Monasterio absolvatur, vel in aliud transmigret.

Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ dotationis aut concessionis infringere, aut ei ausu temerariò contraire. Quod, si quis attentare præsumpserit, indignationem nostram Regiam, & 20. pondo auri, cujus dimidium Cameræ nostræ, & dimidium parti læsæ obveniet, se noverit incursurum.

Præsentium sub sigillo Majestatis Nostræ & testimonio Venerabilium, Archi-Episcopi Salisburgensis, Vicardi Episcopi Passaviensis, Bernardi Episcopi Settaviensis & Conradi Episcopi Khinsensis .Serenissimorum Alberti Ducis Saxoniæ, Alberti & Hartmanni de Habelspurg *&* Khinburg *Nostrorum filiorum: tum Comitis Hesso de Baaden Marchionis: ac Nobilium, Joannis de Hannovia, Erhardi de* Katzenellenbogen/ *Guntheri de* Schwartzburg/ *Alberti de* Hardeck/ *& Mangoldi de* Nellenburg *Comitum: Bernardi de* Sonnenberg/ *Kintoldi & Henrici fratrum de* Khuenring: *Ottonis de* Haselaw/ *Stephani de* Meissa *Mareschalli Austriæ, Ottonis de* Lichtenstein / *Ottonis de* Berchdoldstorff/ *Hermanni de* Wolfflehenstorff / *Conradi de* Billichsdorff/ *Remprechti de* Ebersdorff/ *Friderici Truchseesij de* Legenbach/ *Udalrici de Capella, Conradi de Sommerovia, Ulrici de* Viechhoffen / *Magistri Conradi Cancellarij Austriæ, & aliorum multorum Nostrorum inservientium. Datum per manus Magistri Godefridi Præpositi Ecclesiæ Passaviensis, Aulæ Nostræ Protonotarij 12. Kal. Junij, indictione 9. Anno Christi 1281. Regni nostri annô 8.*

Hoc eodem anno lego Diploma Rudolphi super liberas deductiones salium Salisburgensium Monasterio Zwethalensi concessorum.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

UNiversis Romani Imperij fidelibus præsentes litteras inspecturis, gratiam suam & omne bonum.

Privilegium Monasterij Zwethallensis de Sale. M.S. Codex Epistolaris Rudolphi Cæsaris.

REgalis serenitas libenter intendit commoditatibus subditorum, ut cæteri ex ea suscipiant purioris devotionis & fidei incentivum. Noverint igitur universi, tam posteri, quàm præsentes, quòd nos honorabilibus & Religiosis viris Abbati & Conventui de Zuvethal, Cisterciensis Ordinis hanc gratiam de benignitate Regia duximus faciendam, quòd ijdem duo talenta salis, majoris ligaminis, prout ipsis Illustris quondam Fridericus Dux Austriæ per suum privilegium dignoscitur indulsisse, singulis annis in Danubio liberè possint traducere sine muta, concedentes ipsis has nostras literas in testimonium super eo. Hujus rei testes sunt, Illustris Albertus Dux Saxoniæ Princeps noster charissimus. Nobiles viri Fridericus Burgravius de Nürenberg, Comes de Hardek. Lettoldus & Henricus de Künnring, Fratres. Henricus, Conradus, & Syboto Fratres, de Pottendorff, & alij quàm plures. Datum Viennæ quinto Kal. Maij Anno Domini Millesimo Ducentesimo Octuagesimo primo. Regni verò nostri Anno octavo.

Lego præterea confirmationem fundationis Cœnobij Rorensis, cujus tenor sequens.

Rudolphus Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„OMnibus in perpetuum, &c.

Monasterij Rorensis confirmatio fundationis. *Wiguleus Hundius in sua Metropoli Salisburgensi.*

„REgi Regum, de cujus clementia Regimen moderamur Im-
„perij, & diversorum feliciter obtinemus sceptra Regnorum,
„debita gratitudine complacemus, si locis divino cultui deputatis
„nostri munimen culminis & munificentiæ nostræ beneficium li-
„beraliter elargimur. Nec indignè titulos laudis acquirimus, si
„nostrorum aliquis Principum ad id interventu favorabili nos in-
„ducit. Noverint igitur tam præsentis ætatis homines, quàm futu-
„ræ, quòd nos Venerabilis Heinrici Ratisbonensis Episcopi Princi-
„pis nostri dilecti devotis supplicationibus inclinati, ad imitatio-
„nem illustrium quondam Friderici secundi Romanorum Impe-
„ratoris, & Friderici Avi sui prædecessorum nostrorum Rorense
„Cœnobium cum omnibus fratribus in eo degentibus, bonis, pos-
„sessionibus, ac personis ad ipsum spectantibus sub nostra & Impe-

rij

„rij protectione, salvo ejusdem Ratisbonensis Episcopi & succes-
„sorum suorum jure, recipimus speciali. Confirmantes eidem
„Monasterio de Munificentia nostra ea, quæ à prædictis Imperato-
„ribus pro bono statu & libertate ipsius Monasterij conservandis
„obtenta fuerunt, sicut in eorum privilegijs pleniùs continentur.
„Statuimus præterea, & præsenti privilegij Auctoritate sanxi-
„mus, ut qua Monasterium ipsum non hæreditarium, sed ele-
„ctum gratuitò habuit Advocatum, primitiva libertate Ratisbo-
„nensium Episcoporum privilegijs roborata lætetur, & nulli liceat
„sub prætextu seu titulo beneficiariæ gressionis fratribus ejusdem
„Cœnobij hominibus, aut Colonis eorum contra eandem liberta-
„tē, exactiones illicitas aut gravamina indebita imponere, vel bo-
„na justo titulo sibi collata, vel quæ in antea rationabiliter confe-
„rentur contra justitiā invadere, & præter juris ordinē destituere,
„vel auferre. Præsentis insuper privilegij authoritate mandamus,
„quatenus nemo quietem prædicti Monasterij perturbare, aut in-
„tra claustrum & ambitum ejusdem Cœnobij quælibet judiciaria
„sæcularisve potestas præsumat causas agere, aut judicia sæcularia
„exercere, per quæ fratres ibidem sub regula beati Augustini Do-
„mino famulantes non possent quietè ac liberè Divinum Offi-
„cium celebrare, sicut præmissa eidem Cœnobio in privilegijs
„prædictorum Imperatorum prædecessorum nostrorum conces-
„sa planè vidimus contineri. Si quæ verò persona sublimis, vel hu-
„milis, Ecclesiastica, vel mundana contra præsentis protectionis
„ac confirmationis nostræ paginam venire tentaverit, pœnam
„20. librarum auri se composituram agnoscat, medietatem cu-
„riæ nostræ, ac reliquam parti injuriam patienti. Hujus rei testes
„sunt, Venerabiles fratres Frisingen. W. Patt: & H. Ratisbon.
„Episcopi. Illustres L. & H. fratres Comites Palat. Rheni Duces
„Bavariæ Principes nostri. Nobiles viri Fre. Burgravius de Nü-
„renberg. Joann. de Hannovia. E. de Katzenelenbogen. G. de
„Schwartzburg & de Hardegge Comites. Marchio de Hochberg,
„Ul. de Tunus. S. de Missove Marscalcus Austriæ. Fre. Dapifer de
„Legenbach. Ul. de Capella. C. de Pillichdorff, alijque quàm
„plures.



„Signum Domini Rudolphi Romanorum Regis invictissi-„mi. Datum Ratisbonæ XV. Kal. Julij indictione nona. Anno „Domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo primo, Regni „verò nostri Anno VIII.

Mors Annæ Imperatricis.

Eodem annô Anna Rudolphi primi Austriaci prima conjux, atque Cæsarum Austriacorum Augusta proto-parens, die 24. Februarij Viennæ Austriæ vitam claudit.

Chronicon Colmariensi. p. 2. Raynaldus ad A. C. 1281. n. 29.

Quàm pijssimè animam efflâsse, tradunt Annales Colmarienses: Accersivit, ajunt, Consiliarium, Confessorémque sibi, inquiens: Mortis periculum sentio mihi breviter imminere. Rogo igitur vos, quomodo corpus, & animam ad cælum & ad paradisum Domini dirigatis. Qui dixit: omnes amicos vestros, omnes divitias hujus sæculi, omnémque gloriam mundi corde vestro, quantum potestis, à vestra memoria repellatis, ac Deo & hominibus satis facere promittatis. Quæ dixit: libentissimè faciam. Subdunt, Basileensem Ecclesiam bonis illam auxisse, ut damna, quæ miles Rudolphi antea intulerat, resarciret.

Eadem Imperatrix Cœnobium Albæ Augiæ Præmonstratensium cum marito Cæsare locupletavit. Verùm Rudolphus à morte conjugis tantùm addidit, ut teste Bruschio de Cœnobijs Germaniæ, jure secundus Fundator dicendus sit. Corpus demortuæ comitari jussit Rudolphus maritus à quadringentis equitibus, qui illud lugubri vestitu decorè ornati Basileam cum multis nobilibus viris detulêre. Ejus Basilicis prorsus exequijs Basileæ celebratis adfuerunt Sacerdotes 300. Abbates 61. ac tres Episcopi: universim 364. quot è sententia S. Irenæi membra corporis humani esse asserit S. Epiphanius, quotque dies dempto uno annum conficiunt, diminuto scilicet numero propter funebrem mortis vitam abrumpentis cæremoniam.

Solennes exequiæ.

Annus Franciscorum Francisci Stiller S. I.

MorsHartmanni filij Rudolphi Cæsaris. *Hieron. Gebviler. de Origine Domûs Austriacæ in Rudolpho I. Cæsare.*

Matrem fine ejusdem anni secutus filius Hartmannus, anno ætatis suæ decimo octavo, in Divi Thomæ Apostoli profesto in Rheno flumine cum alijs 13. nobilioribus personis submersus. Sepultus est in Cathedralis Basileensis templi Choro; cujus funereæ pompæ quatuor Episcopi, præter innumeram Cleri, equestris, senatorij, atque plebeij ordinis turbam, interfuêre.

Mors Alberti Magni.

Hic idem annus postremus fuit Alberto Dominicano, qui meritô suô *Magni* nomen abinsigni sapientia retulit, haud aliter, quàm à factis militaribus & victorijs Alexander, Carolus, Otto, Henricus! Obijt autem Coloniæ Agrippinæ ætatis suæ annô octogesimo

octogesimô primô, ibidem in fratrum suorum Conventûs choro tumulatus. Eum ob vitæ sanctimoniam Rudolphus Cæsar, utpote Confessarium suum, dum adhuc Comes Habspurgicus esset, summo honore semper prosecutus est. Nec desunt; teste Besoldo, qui scribant Alberti Magni auspicio ac consilio Rudolphum, cujus industriam pietatémque nôverat, & apud Moguntinum, Trevirensémque summa opinione sanctitatis fuerat, ad dignitatem Cæsaream venisse. Alberto Authore ac hortatore factum, quòd Rudolphus Confessarium suum semper Comitem sui itineris habere voluerit, ut ei peccata sua confiteretur, & ejus in rebus dubijs consilium exquireret.

Besoldus in Synopsi Historiæ universalis.

Bzovij Annales ad ann. 1291.

Corollarij loco hìc occasione mortis Alberti Magni Ordinis Prædicatorum, subjungo sanctum Dominicum è nobilissima Gusmannorum in Hispania stirpe genitum, unde & hodiernorum Austriacorum Principum rami prodièrunt, utì Laurentius Beyerlinck in magno vitæ humanæ theatro affirmat. Habet sanè, unde sibi gratuletur sacerrimus Ordo Prædicatorum, quòd Rudolphi matrem, Cunegundem sororem, tum Ephemiam filiam, quæ prima Augusti generis gloriam cælesti hymenæo consecravit, membra suæ regulæ habuerit.

Beyerlinck in magno theatro vitæ humanæ titulo: Religio.

Notæ & Additamenta.

OCcasione sepulturæ Imperatricis Annæ & filij nomine Hartmanni, quem Cæsar Alsatiæ Landgraviatu donaverat, paucula in gratiam curiosi & eruditi lectoris de Sedibus Episcopalibus, quæ ad Rhenum sitæ sunt, referemus: de quibus vulgare illud & usitatum, vulgò dicterium de platea (ùt vocant) extat. Neque id extra institutum nostrum futurum arbitror, siquidem mentio harum sedium frequens occurret, & non exigua beneficentia, pietásque in illis locis Rudolphi I. Cæsaris, ejusque posterorum legetur.

Curia, dicitur, *Summa*, quia ad caput & fontes Rheni sita. Est Episcopatus Curiensis, vel Churensis unus ex vetustissimis Germaniæ Episcopatibus, pro quo Conradus Baro à Bello-monte Anno 1275. privilegia à Rudolpho Habspurgico impetravit. Ita Laurentius Beyerlinck in serie Episcoporum Curiensium. Eorum privilegiorum confirmationem Sifridus Baro de Flumine ab Alberto I. Imperatore, filio Rudolphi obtinuit. Anno 1306. At anno 1543. 27. Februarij Norimbergæ Lucius ter Nobilis Rhetus, de quo illud vetus Poëtæ fertur:

Sedes Episcopales ad Rhenum sitæ.

Curia, dicta, Summa.

Maximus ingenio, corpore parvus erat.

A Ferdinando I. Romanorum Rege, aut nova efflagitavit, aut vetera & ab anteceſſoribus ſuis jam antea collata ſtabiliri expetijt.

Ad hanc Epiſcopalem ſedem commendatione Leopoldi Auſtriæ Ducis promotus eſt Anno 1369. Fridericus à Nevezingen, ejuſdem Leopoldi Cancellarius: ibi cùm præfuiſſet octo penè annis, ad Brixienſis Epiſcopatûs gubernationem vocatur Anno 1376. In ejus locum eligitur Anno 1377. Joannes Alberti pariter Auſtriæ Ducis Cancellarius, de quo mihi infrà adhuc dicendum erit.

Hi verò ambo Cancellarij Auſtriacorum Principum, cùm laudabiliſſimè Eccleſiæ Curienſi præfuiſſent, cuidam Leonardo ſub annum 1454. itidem Auſtriæ Ducum Cancellario, aditum ad eandem Epiſcopalem dignitatem fecerunt.

Altera Sedes Epiſeopalis ad Rhenum ſita, eſt *Conſtantia*, quæ *Ampliſſima* nominatur ob multitudinem Parochiarum & Cœnobiorum. Fertur enim teſte Beyerlinck in ſerie Epiſcoporum Conſtantienſium, habere ſub Diœceſi ſupra mille & octingentos Parochias, & 400. Monaſteria. Huic Ampliſſimæ Sedi præfuit ex Auſtriacis Andreas Epiſcopus etiam Brixienſis & Cardinalis, filius Ferdinandi II. Archiducis & Comitis Tyrolis.

Conſtantia ampliſſima.

Baſilea amœniſſima.

Baſilea, *Amœniſſima*, propter ſitum nuncupatur. Ex Auguſtæ Rauracorum ruderibus crevit, initio parva, ſed poſt everſam Auguſtam major, celebriórque. Anno 1273. certatum eſt ſumma contentione animorum adversùs Baſileenſem Epiſcopum Henricum à Rudolpho Habſpurgenſi, ob Briſacum & Neopurgum: quæ Epiſcopus ſua, ſua eſſe dicebat Rudolphus. Ipſa quoque civitas Baſileenſis in partes tracta factionibus ardebat, inditis nominibus Stelli-ferorum & Pſitacigerorum, quorum illi Rudolpho, hi Epiſcopo favebant. Sed cum illos iſti expuliſſent urbe, acceſſit ad veterem nova hæc belli, atque obſidij cauſa. Finem belli impoſuit Electio Rudolphi in Regem Romanorum, ùt Capite IV. narravimus. Ejus rei fidem facit ſtatua lapidea, quæ adhuc Baſileæ extat propè interiorem portam B. Joannis in Burſa, referens imaginem Rudolphi chlamydati, ſedentis, ac ſiniſtrâ ſceptrum, dexterâ literas tenentis. Ita Stumpfius in Hiſtoria Helvetiæ, & Petrus Bertius Commentario rerum Germaniæ Lib. III. Statuæ addita fertur ſequens inſcriptio:

Rudolphus Comes ab Habſpurg
Rex Romanorum.

Sed

Sed ob clementiam potiùs hujuſmodi, poterat addi Epigraphe:

D. Rudolpho Rom. Cæſ.
S. Aug.
S. P. Q. Baſil. pp. DD.
Qui ubi ſe Regem renuntiatum
Ex his literis intellexit,
Urbis hujus
Sibi cognominis (a)
Muros, Cives
Regiè, clementer ſervavit.

(a) Eſt alluſio ad ly Auguſta ad Auguſtum.

Argentina, Nobiliſſima, de qua Beyerlinck in ſerie Epiſcop. Argentinenſium hiſce meminit. Hoc, inquit, certum eſt, nullum nunquam alium aſſumptum eſſe in Canonicorum Argentinenſium Collegium, quàm vel ex principibus, vel Comitibus, vel Baronibus natum, quique ſedecim proavis, ac atavis allegatis, honeſtum & legitimum, vel Principem vel Comitem, vel Baronem ſe natum conteſtari poſſet. Unde Argentina omnium Germaniæ Epiſcopatum dicitur nobiliſſima. Ita ille. Hanc nobiliſſimam ſedem nobilitârunt duo ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca Epiſcopi, utérque nomine Leopoldus. Argentina nobiliſſima.

Spira, Religioſiſſima. Hanc urbem dici *religioſiſſimam* reor à ſingulari cultu & cantu *Salve Regina* Beatæ Mariæ Virginis, qui ibi tempore pomeridiano cantari conſuevit. Spira religioſiſſima

Wormatia, Pauperrima. Hæc olim ſedes Archi-Epiſcopalis, ea dignitate à Gregorio III. Papa exuta, Moguntinæ hunc titulum dedit, eíque ſubjecit, quæ XVI. priùs Epiſcopatuum ampliſſima domina ac gubernatrix erat. Cauſam hujus translationis inveniet curioſus Lector in Theatro vitæ humanæ Beyerlinck. Wormatia pauperrima.

Moguntia, Venerabiliſſima, hoc eſt dignitate, & authoritate cæteras maximè antecellens: ſola enim illa poſt ſedem Romanam, *Sancta Cathedra Moguntina*, dici ſolet, ex dono Pontificis Gregorij tertij. Moguntia venerabiliſſima.

Treviris, Vetuſtiſſima. Metropolim ejus multi Vetuſtiorem Româ exiſtimant juxta verſum notiſſimum: Treviris vetuſtiſſima.

Ante Romam Treviris ſtetit annis mille trecentis.

Illum tamen Chriſtophorus Broverus Annalium Trevirenſium celeberrimus Scriptor ridet, affirmans, trivialis usûs eum eſſe ver-

ſiculum; quem tamen nè diſſimulâſſe coarguatur (agens de antiquitate urbis) etiam in laudem vertit, inquiens: Treviros ante exaudita in Gallijs Romanorum arma longè omnium apud Rheni limitem conſtitiſſe olim, fuiſséque celeberrimos. Ita ille in Proparaſceve Annalium Capite ſexto. Et libro I. Annalium numero II. in margine ante Chriſtum annis ducentis excitatam urbem credit.

Colonia opulentiſſima.

Colonia Opulentiſſima. De ea urbe multi multa: Scaliger paucis dixit omnia.

Maxima cognati Regina Colonia Rheni,
 Hoc te etiam titulo Muſa ſuperba canit.
Romani ſtatuunt: habitat Germania; terra eſt
 Belgica; ter felix: nîl tibi diva deeſt.

Nos opulentiſſimam Coloniam appellabimus ex Sacrarum Reliquiarum ſacræ opulentiæ theſauro, quem poſſidet, occaſionem imprimis XI. millium Virginũ cum B. Urſula ab Hunnis ibi cæſarum: item S. Gereonis & ſociorum CCC. XVIII. militum, ſub Diocletiano & Maximiano Imperat. anno CC. XCVII. die X. Octobris etiam ibidem interfectorum; tum occaſione immenſo numero aliarum ſacrarum Reliquiarum, quæ ex diverſiſſimis locis allatæ ſunt. Diſtributæ tamen opulentè in uſum ſacrum. Cujus rei exemplum Capite IV. attulimus, ſcribendo Rudolphi I. Cæſaris, eam in urbem poſt Coronationem ſuam ingreſſum.

CAPUT XVII.

Rudolphi Cæſaris fides in promiſſis. Nuptiæ Alberti filij. Rudolphus in Conventu Herbipolenſi partes Pontificis tuetur. Jurium Eccleſiaſticorum confirmatio & favor in Ordinem Ciſtercienſium, & benevolentia in ſuum quendam Aulicum.

Fides Rudolphi in promiſſis.

ANnus 1282. nobilitatur inſigni facinore Rudolphi Cæſaris in ſervanda fide, quam anno 1268. dederat Meinardo Goriciæ & Tyrolis Comiti de ducenda filia ab Alberto filio. Adhuc privatis in rebus magna familiaritas, & conjunctio cum Meinardo erat Rudolpho, eam, quô conſtantior eſſet liberorum connubio, utérque Comes firmavêre. Promiſit Tyrolenſis Eliſabetham Filiam, ubi

ubi ætatem nacta esset, Alberto quintô antequam ad Imperium perveniret, annô. Multi invicem fideijussores nominati, quos antiquo Schedio exscriptos nominatim quoque memoriæ gratiâ subijcit Guillimannus. Ex parte Rudolphi reperiuntur duo Episcopi, nempe Curiensis, & Constantiensis, unus S. Galli Abbas electus, quinque Comites, & quatuor Barones: ex parte verò Meinardi totidem ferè, duobus tantùm exceptis, & inter eos Episcopus Goricensis, deindè affines ejus ambo Bavariæ Duces, & duo uxoris Fratres. Sed ubi Rudolphus Imperij culmen obtinuit, magnáque in gloria res ejus fuêre, dubius Meinardus, an cum fortuna animum mutasset, ubi, prima oportunitas tulit, ex Cæsare rogavit prius pacta num etiam rata haberet? Cæsar Comitem amplexus, non modo mansura quæ inter eos convenerunt, respondit, sed ostensurum brevi quanto ipsum honore & amore haberet: facturum enim ut omnes intelligant, majorem dignitatem dudum promeritum, & à nemine, quàm à se rectiùs sperari, aut accipi. Et ipsum quidem, ùt tradunt historiæ, Ducem Carinthiæ creavit. Hinc ubi Cæsar Procerum Imperij conventum Augustam Vindelicorum indixit, anno eodem, ut illius tam Perillustris Senatûs lætitia satis supèrque augeretur per eosdem dies 4. Kal. Februarij Indict. XI. A. D. 1282. constituit Nuptiarum celebrationem Alberti Ducis sui cum Elisabetha, filia Meinardi prædicti Tyrolis.

Didacus Lequile de matrimonio Alberti Ducis Austriæ p. 3. f. 83.

Magna ingensque fortuna Rudolphi Cæsaris oculos non im pinguavit.

In sequenti anno qui fuit 1283. frequens habitus Conventus Principum Herbipoli. Affuit istic Episcopus Tusculanus, Martini Pontificis Legatus; ipse Rex Germaniæ cum honorifico atque illustri Procerum omnis ordinis, atque primariæ nobilitatis cætu. Inter alia, quæ Reipublicæ Christianæ causa ibi consilia agitata, Legatus Pontificis mandata exposuit, quæ ad Regni Italiæ multiplici bellorum sumptu exhausti res erigendas, & Ecclesiæ totius conservationem pertinebant. Nec dissimilia ipsius item Rudolphi fuêre postulata. Pontifex ex bonis quæ sustentando cultui divino, & sacris aliàs usibus destinata, petebat, ut decimus quisque nummus in Ecclesiæ, sacrive belli sumptum cederet; Rex autem, ut tantundem nobilitas, & cætera multitudo tributi nomine ærario inferret. Plerísque omnibus in Regis atque Pontificis potestate fore se ostendentibus Henricus Trevirorum, & Sigefridus Coloniensis Archi Episcopi, magnitudine tributi atque immoderatâ exactione offensi, adversus utriùsque postulata, ceu parùm æqua pugnarunt; acríque disceptandi studio rem eò perduxerunt; ut

Herbipol. convent. *Annales Trevirens. ad anno 1283.*

Petita Pontificis & Imperat. in eo conventu.

universum de vectigali, sacràque pecunia conficiendá propositum, omnino caderet irritum.

Majus Rudolphi studium hoc ipso anno patuit erga Clerum Germaniæ, quàm Cleri in Rudolphum in eadem Germania existentis. Cùm enim permulti Ecclesiasticos conarentur juribus suis spoliare, Rudolphus in hunc modum pro immunitate eorum rescripsit.

Rudolph. Ecclesiastica jura severo Decreto tuetur.

Annales Bzovij An. 1283. n. 13.

Rudolphus Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

UNniversis Imperij Romani fidelibus præsentes Literas inspecturis, gratiam suam & omne bonum.

QUia Regalem decet Clementiam, libertates impendere, & bene meritis liberalitatis, & munificentiæ suæ gratiam impartiri, quòd ex eo imperio, ac Ecclesijs, & Ecclesiarum Prælatis nullum prorsus in suis juribus præjudicium irrogetur: ad universorum tam præsentium quàm futurorum notitiam volumus pervenire: quòd per libertates illas, quibus à creationis nostræ tempore civitates, & loca quæcúnque dotavimus, nullum volumus Imperio, & Ecclesijs, ab Ecclesiarum Prælatis in suis juribus, & hominibus præjudicium generari; sed volumus: quòd Imperium, & Prælati Ecclesiastici omnibus illis juribus gaudeant, quibus ante libertatem hujusmodi civitati, & locis, à nobis indultam, usi fuerunt: & quæ in eis ante tempora libertatis ejusdem habuisse noscuntur. In cujus rei testimonium præsens scriptum Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum in Hagen. 4. Nonas Decembris. Indict: 11. Anno M. CC. LXXXIII. Regni verò nostri an. X.

Eodem anno Rudolphus Cæsar Cœnobium dictum *Bona Cella*, Germanicè Gutezell/ sive ut ex vetustis quibusdam Diplomatibus collegit Bruschius Libro de origene Monasteriorum in Germania, *Dei Cella*, Germanicè Gottes = Zell/ monialium olim ducentarum Ordinis Cisterciensis, specialibus prosecutus est privilegijs, in quorum uno dato Ulmæ his usus est verbis: *Ob sacræ Religionis reverentiam, quam tenemur speciali gratiâ prævenire &c.*

Ordini Cisterc: favet *Bruschius de Cœnobijs Germaniæ.*

Ejusdem Rudolphi reperio apud Seiffridum Abbatem in manu Scripto Codice Epistolari duplicem Epistolam ad Philippum Regem Francorum, cui Monasterium *Aureæ Vallis* Ordinis Cisterciensis commendavit.

In

In Regum thronis sublimibus, & quibuslibet aliarum tribunalibus potestatum, quæ catholicæ fidei fulgor illuminat, ubi præsertim locorum habilitate contigua vicinantur ea præcipuè debet votorum vigere conformitas, ea convalescere debet indissociabilitas animorum: ut alterutrius imminente dispendio effectivo compassionis alternæ solatio recreentur. Quos utique, quia vestræ Serenitati libenter offerimus, vobis, & vestris in opportunitatibus profuturum, id ipsum à vobis sub firmæ spei fiducia non immeritò vice reciproca præstolamur. Sanè porrecta nobis Religiosorum Virorum N: N: & N: Abbatis, & Conventûs Aureæ Vallis Cisterciensis Ordinis petitio, continebat ut cum ipsis à Romani Imperij Corde longè sepositis, & in extremis finibus ejusdem Imperij constitutis sub Imperialis protectionis umbraculo respirare non liceat, malignorum in eos protervia sæviente, apud vos eisdem dignaremur assistere, quod eorum paci, & quieti velletis intendere cum affectu. Quia igitur de regali vestra benignitate confidimus, quòd in indito cælitùs vestris præcordijs, à clarorum vestrorum progenitorum propagatione sinceræ devotionis ardore super hoc pio negotio curas vestras, & operas nostris desiderijs applicetis: Celsitudinem vestram attentè duximus exorandam quatenùs divinæ pietatis intuitu, ordinisque reverentia, & pro vestra salute prædictis Abbati, & Conventui juxta continentiam privilegij quod ipsis concessisse dignoscimur, & omnibus possessionibus, hominibus, & personis, juribus atque rebus, quibus licet universis quocúnque nomine censeantur, & ubicúnque locorum in Imperio consistant, nec non super omnibus libertatibus, sibi per quoscúnque conditionis existant, qui adversùs eosdem violenter, & injuriose proterviat, vestræ gratiosæ defensionis, & opportunæ protectionis auxilium, patrocinium, & levamen ex Regia benignitate dignemini tam libenter, quàm liberaliter perpetuò impertiri. Hoc enim procul dubio vobis cedet ad meriti cumulum apud Deum, & apud homines ad magnifici nominis incrementum, si dictum Monasterium, & personas in jure suo manutenueritis, eorundem ad juratores, malè fautores, violentos prædones, & oppressores ubique locorum in Imperio tanquam vestros subditos pœnâ plectentes condignâ.

Rudolphi Epistola ad Regem Franciæ Philippum.

Altera Epistola Rudolphi de eodem argumento.

LIcèt Religiosi viri Abbas, & Conventus Monasterij Aureæ Vallis sub Imperatoriæ potestatis umbraculo debeant respirare, quia tamen plerúmque nobis in remoto agentibus perversorum infestâ tyranni dequatiuntur, quorum calumniosos insultus poterimus facilè refrænare; Serenitatem vestram attentius duximus deprecandam, quatenùs juxta nostrarum patentium continentiam literarum, quas Regiæ Celsitudini aliàs

 super

ſuper eorum tuitione direximus, eis libenter, & benignè dignemini veſtræ protectionis veſtrísque præſidij beneficium, & ſolatium impertiri ut gratiam apud Deum, & homines vobis exinde comparetis uberius, & nos in veſtris agendis ſi ſe locus ingeſſerit, experiamini merito promptiores.

Gratitudo in Aulicum Secretari.

Hoc quoque anno Rudolphus Cæſar Godefridum Secretarium ſuum, Virum doctrinâ, & prudentiâ clarum, ut fidei ſuæ ac laborum pro Imperio, & Cæſare toleratorum haberet juſtam remunerationem, ſenatui Batavienſium Canonicorum commendare ſtatuit, eſtque unanimi conſenſu ad Epiſcopatûs gubernationem electus. Gratulari ſibi ſedes meritò de tanto viro, & à tali Monarcha commendato poterat. Præfuit enim, ut Epiſcopum decebat, piè, & fideliter per biennij ſpatium.

Hundij Metropolis Salisburgenſis in ſerie Epiſcoporum Patavienſi.

CAPUT XVIII.

Beneficia collata Regi Bohemiæ Wenceslao. Rudolphi ſecundæ nuptiæ. In S. Bernardi familiam liberalitas. Reliquiæ prædonum ex Imperio eijciuntur. Studium pacis in Rudolpho Cæſare. Ejuſdem eximia civilitas.

Beneficia à Cæſare collata Regi Bohemiæ Wenceslao.

CUm Wenceslaus Ottogari filius Rex Bohemiæ VI. Anno ætatis ſuæ duodecimo, ab Ottone Brandeburgico (de cujus avaritia, & tyrannide Anno 1279. egimus) Bohemis ſuis 24. May reſtitutus eſſet, & regnare cœpiſſet, Rudolfum Cæſarem benigniſſimum patrem eſt expertus. Pactionem quandam Otto Brandeburgicus cum Rege parvo injerat (qualem videlicet ij, qui omnia ad pecuniam referunt, ſolent) ſe dignam : ut ſi dimitti Rex vellet (præter eam pecuniam quam ab Ordinibus Bohemiæ, Regem ſuum ementibus, acceperat) quinque marcarum millia repræſentaturum ſe promitteret, atque interim Caſtra quædam, & Civitates in Bohemia traderet, eorúmque Caſtrorum ditiones utendas, fructùsque eorum omnes capiendos concederet ; ea fuêre Zitavia, Caſtra : Ronov, Scharffenſtein, Bezdiezij, Dieczin, Auſta Civitas, & Caſtrum, Pons Civitas, & Caſtrum, unà cum ſingulorum ditionibus, aliáque minora. Ergo ſui Juris factus, ſuæque libertati redditus Wenceslaus, remtotam ad ſocerum ſuum Rudolfum Cæſarem detulit ; hic univerſis Ordinibus Imperij ſententiam ferentibus, & ſubſcribentibus,

bus, eas omnes obligationes, & pactiones, tanquam vi extortas damnavit, rescidit, atque irritas esse, neque ijs Wenceslaum Regem amplius teneri, legitimo judicio declaravit: exstant in hanc rem literæ Rudolfi in Archivo Regio, datæ Anno 1283. X. Kalend. Septembris Friburgi in Orlandia.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„UNiversis Sacri Romani Imperij fidelibus præsentes Literas
„ inspecturis Gratiam suam, & omne bonum.

„AD Universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quòd „nobis judicio præsidentibus in vigilia Bartholomæi Apo-„stoli apud Friburgam in Orlandia nuncij Illustris Regis Wences-„lai Bohemiæ, Nostram Celsitudinem accesserunt cum instantia „postulantes, ut per sententiam vellemus inquirere, utrùm „Princeps aliquis, vel alius cujuscúnque conditionis vi, vel metu „inductus, expers propriæ libertatis, fidejussionibus, stipulationi-„bus, vel quibuscúnque alijs obligationibus se posset constrin-„gere vel arctare, ita quòd imposterum super hujusmodi obli-„gationibus extortis posset impeti, vel aliquatenus conveniri, „tanquam efficaciter obligatus, quod ad instantiam dictorum „nunciorum per sententiam postulavimus definiri, & sententia-„tum extitit à Principibus, Comitibus, Nobilibus, & alijs Imperij „Fidelibus, qui ipsi judicio præsentes aderant, quòd Princeps, „ vel quilibet alius ad ea, quæ vi metuve coactus promitteret, „vel quibuscúnque factis obligatorijs se adstingeret, factus sui „compos nullatenus teneretur, & tales pactiones obligatoriæ „qualescúnque censendæ forent irritæ penitùs, & inanes. Quâ „verò sententiâ nostrâ approbatione sequente prolatâ, prædicti „nuncij ad speciem descendentes Nostro culmini supplicârunt, „si inclytus Wenceslaus Hæres Regni Bohemiæ prænotatus, „quem Illustris Otto Marchio de Brandeburg aliquo tempore „contra propriam detinuit voluntatem, deinde fretus propriâ li-„bertate ad completionem illorum pactorum taliter extorto-„rum, atque consummationem obligationum quarumcúnque, „sub quibus eidem Marchioni pro viginti millibus marcarum „obligavit Civitatem Sitaviæ, & Castrum Tronovv, cum eorum „pertinentijs, Castrum Scharffenstein, & Civitatem cum om-„nibus alijs attinentijs; Castrum Bezdcky cum suis pertinen-

Status Quæstionis.

„tijs, Caſtrum Deczein cum ſuis pertinentijs, Civitatem Uſt, & „Caſtrum cum eorum attinentijs, Civitatem Brüx, & Caſtrum „cum eorum attinentijs, nec non Caſtrum Snaderæ cum ſuis per-„tinentijs univerſis, ſub quibus etiam promiſſionibus taliter extor-„tis, niſi Marchioni pro duobus millibus Marcarum fidejuſſores „per modum extorſiones coactus poſuit, & pro quinque millibus „Marcarum, quas ſe daturum promiſit, aliqualiter teneatur. Ma-„ximè cùm inter nos, & dictum Marchionem, cùm ejus curæ ante „hæredem Bohemiæ, cum ſuo Regno uſquè ad certum tempus „committeremus; interceſſit certa conventio digna in ſuo robore „obſervari, videlicet quòd expirante certo tempore, quod con-„ventioni adjectum fuerat, prænominatum Hæredem Regni Bo-„hemiæ unâ cum ſuo Regno ſinè quolibet damno, vel diſpendio, „vel quantalibet injuria, ſinè petitione quarumlibet expenſarum „juxta legem conventionis reſtitueret pleno Jure; cujus tamen „conventionis legibus dictus Marchio obvians minùs juſtè pa-„ctiones, obligationes, fidejuſſiones extorquens, indebitè, quæ „promiſſit, penitûs violavit; atque ſingula ſuperiùs expreſſa „Principes, Comites, & Nobiles, qui eodem aderant judicio per „nos requiſiti ſententiando protulerunt, quòd ſæpe dictus Hæres „Regni Bohemiæ ad completionem dictorum pactorum, pro-„miſſionem, fidejuſſionum, nec non quarumcúnque obligatio-„num ab eo taliter extortarum per dictum Marchionem nullate-„nus ſit aſtrictus, ſed à prædictis omnino per ſententententiam de-„beat liberari, & utìque penitùs abſolvi, obligationes, & dicto-„rum bonorum promiſſiones, fidejuſſiones, ipſo Jure nullæ, de-„bent pro caſſis, & irritis æſtimari. Unde nos videntes, & provi-„dâ meditatione penſantes ipſam ſententiam de bono, & æquo „Jure ſubnixam eam, Authoritate Regiâ approbantes obligationes „dictorum bonorum, ſeu pignorum fidejuſſiones, promiſſiones, „prout ſuperiùs expenſum exiſtit, cùm contra Jus, & æquum ſint „extortæ â dicto Marchione in dicti hæredis præjudicium aggra-„vamen, per ſententiam prout coram nobis extitit ſententiatum „irritantes fidejuſſores à ſuis promiſſionibus abſolventes. Cives „Brüxenſes, & alios quoscúnque homines dictorum Caſtrorum, „Oppidorum, ſeu Civitatum à Sacramentis ſeu promiſſionibus di-„cto Marchioni ad mandatum dicti Hæredis, vel alio quocúnque „modo præſtitis etiam abſolvendo, mandamus vobis univerſis, & „ſingulis, quatenus ipſum Hæredem Regni Bohemiæ, quem me-„diante dictâ ſententiâ ab obligationibus dictorum bonorum, & alijs

Sententia Imperiali.

„alijs pactis, fidejussionibus cum fidejussoribus datis, absolvimus, „& denunciamus absolutum à prædictis omnibus, & singulis dicto „modo præstitis, habeatis penitus absolutum, scientes eum ad per-„fectionem seu consummationem dictarum obligationum ali-„qualiter non teneri. Testes, qui præmissæ Sententiæ inter-„fuerunt, sunt : Wenc: Argent: H. Basiliens. Episcopi Ro-„manæ nostræ Aulæ Cancellarius. Nobiles Viri. H. Mar-„chio Hahperck Burgavius de Nüremberg. Al de Hohenberch. „Eg. Fürstemberch. Comites de Nifen. B. de Geroldsecke, No-„biles, & alij quàm plures. Datum, & Actum Friburg in Orlan-„dia, decimo Kalend. Septemb. Indictione undecimâ Anno Do-„mini. 1283. Regni verò nostri Anno decimo.

Bertholdus autem Abbas Gengelbachensis consequitur privilegia à Rudolpho, in quibus scribitur : ab Abbate Gengelbachensi, & ejusdem sententijs, non debere provocari à quocunque subditorum aut Vasallorum.

Anno 1284. Ipsâ Dominica septuagesimâ Rudolphus Cæsar Agnetem (quidam Isabellam, alij Elisabetham nominant) Ottonis Burgundiæ Dynastæ filiam præcellenti formâ virginem connubio sibi junxit, & Junio mense regifico apparatu Basileæ cum ea nuptias celebrat. Ex ea Rudolphus nullam prolem suscepit, sed constanter egregiè utrimque fide conjugali servatâ, speciali amore usque ad obitum suum prosequebatur. Agnes porrò Rudolpho mortuo annum ætatis agens solùm vigesimum primum in Burgundiam redijt, ubi cœlibem agens vitam, ut majoris dilectionis indicia erga defunctum maritum patefaceret, in viduitatis statu laudabiliter decessit. Hoc tandem Anno Cæsar reliquias prædonum in Imperio sustulit. Latitabant adhuc in non nullis Imperij arcibus à se denuò restauratis prædones, & itinera multa infesta tenebant, atque etiam oppida, & civitates incautas obruebant, rebusque omnibus expoliabant : hos Cæsar aggressus, partim capite mulctavit, partim patibulis affixit, partim in exemplum rotis confregit. Ita quies Imperio tandem reddita, & nidi latronum dejecti. Gloriabatur olim Augustus Cæsar se Romam lateritiam accepisse, marmoream autem relinquere. Rudolphus sanè de Imperio Germaniæ dicere poterat, se illud accepisse in Electione sua turbulentum, relinquere autem pacatum. Punitis, & ejectis prædonibus jam Treviris, quàm Confluentiæ res turbatæ erant. Quæ res novas curas Rudolpho Cæsari, nec mi-

Nuptiæ Rudolphi cum Agnete Burgundica.

Laus Agnetis.

Rudolpus Cæsar denuò prædones punit.

Treviri discordiæ.

nus bellum Seiffridi Colonienſis Archi-Epiſcopi, injecit. Is etenim mox à principio ſui regiminis, ùt ſupra innuimus, vicinorum Principum hoſtilitates expertus eſt, & demum etiam per Adolphum Comitem Montenſem captus, perque ſeptennium in cuſtodia detentus. Verùm dimiſſus Archi-Epiſcopus, ab eodem poſtea Comes Adolphus incautus interceptus eſt, miſerriméque tractatus, in carcere interijt. Æſtate ſolitus eſt ipſum nudum caveæ ferreæ includere, melle illitæ, & hoc facto muſcarum morſibus, & aculeis objicere, quoad vixit. Et quamvìs Comes omnia illa, quæ illi extorſerat, ſe redditurum polliceretur, & multa plura additurum, ut libertatem conſequeretur, nihil tamen impetrat, præterquam inſolens reſponſum. Habere S. Petrum, quo ſuos enutrire queat, nec quicquam rerum ipſius indigere, velle ipſum docere, quid ſit Archi-Epiſcopum tenere captivum. Utrobique Rudolphus Cæſar diſſidentes componere plurimùm ſatagebat.

Motus bellici in Archi-Epiſcopa- Colonien.

Fictus Imperator punitus.

Proruperat eodem tempore è tenebris non nemo, qui ſe Imperatorem Fridericum II. ſuperſtitem nominabat. Concordabat oris aliqua ſimilitudo; dabat indicia non nulla rerum ab eo Cæſare geſtarum cum conplicibus non paucis etiamnum viventibus. Profundebat uberem in obvios pecuniam, incertum quâ arte comparatam. Nec deerant, ùt fieri amat, rei novæ ſectatores, quin certatim ad impoſtorem confluebant. Placuit initio Imperatori fabula, quam ſcitè admodum homo agebat: At ubi cœpit incautiùs regionem involare, deditione urbes capere, edicto Rudolfum ad reſtituendum diadema compellare, adfuit illicò Cæſar armatus, & impoſtori præproperè: neque enim differebat momento, quæ neceſſitas ſuadebat, captam Friderici umbram quæſtioni ſubjecit, convictumque impoſturæ mandavit ignibus abſumi: pœnâ, quam promeretur adulterator monetæ, ob confictam Principis imaginem, omnino condignâ homini, qui ipſum quoque Principem confinxerat.

Nirenbergius in virtute coronata. fol. 100.

Notæ, & Additamenta.

Reges Spectabiles eſſe oportet.

DIſcedunt in diverſa Politici: Spectabilesne eſſe Reges oportet: aliqui Regem quodammodo inviſibilem eſſe volunt, juxta illud Taciti: *major ex remoto, reverentia*; at meliores Politici docent ad conciliandum amorem ſubjecti ſibi populi, ad firmitatem, & ſecuritatem Imperij multùm intereſſe, ſæpe in anno Principem à ſuis videri: totus in hoc argumento S. Syneſij ad Arcadium Imperatorem Liber divinus conſumitur. Præcipuè verò ſpecta-

Balbinus de Regibus Bohemiæ in Joanne Rege f. 149.

ſpectabiles ſe facere Reges oportet, cùm aliquod beneficentiæ aut juſtitiæ adminiſtrandæ, & juris dicundi ſpecimen præbent. Multis exemplis probari poteſt, Reges optimos pro portis Urbium, Curiarum, Templorum, & Operum Publicorum, in vijs, & compitis jus dixiſſe, ſuadétque Juſtus Lipſius (quantus Vir) ut hæc exempla vel hodie revocentur in uſum. Confirmârit hoc exemplis Rudolphus Habſpurgicus, & Auſtriacus *æquus judex diviti, & pauperi,* (quo elogio eum exornat Siffridus in Annalibus) hocque dicere voluiſſe viſus eſt magnus antiquitatis ſcrutator, & bonæ Politicæ Magiſter Lipſius, quem audire lubet. Quis, inquit, Auſtriacæ ſtirpis primam quaſi radicem Rudolphum ſinè injuria ſileat? Cùm enim frequentior ad eum foret populi concurſus, & ſatellitum quosdam tenuioris fortunæ ad ſe affectantes ſubmoveri adverteret, non ſinè ſtomacho edixit: *Per Deum* (ipſa ejus verba ſunt) *ſinite homines ad me venire. Non enim ideò ad Imperium creatus ſum, ut in arcula includar.* Meminerat pius Imperator, Regem Regum, dum inter homines degeret, diſcipulos increpaſſe, quòd parvulos, id eſt humiles, & abjectos, à ſe removerent. Serijs exemplum jucundum, facetumque dictum (nam Cuſpiniano teſte, Rudolphus Cæſar tam facetus erat, ut rarò aliquid absque lepore proferret) annectamus, quod tamen ad affabilitatem, ac Clementiam Cæſaris referri poſſe cenſemus. Erat Rudolpho naſus aquilinus juſtô non nihil major, facies interim Regia, corpusque procerum. Cùm autem quodam die obvium declivi ſemita dicaculum quendam hominem haberet, jubetur is à ſatellitibus, de via decedere, & Imperatori cedere. Cùm diceret: ſe id facere non poſſe, rogatur cauſam: & ipſe, qui Rudolphi facetias, Clementiam, affabilitatemque probè noverat, præterire, inquit, non poſſum, nam Cæſaris naſus viam implens me impedit. Audijt Rudolphus, & ſubridens, *vade*, inquit, *amice, & hâc tranſi, ego naſum meum, nè te impediat, in alteram viæ partem intorquebo.*

Lipſius in Monit. Polit. L. 2. cap. 2. & 9.

Lib. Monit. Polit. c. 7.

Latrones porrò, & prædatores perſequendi, & ejusmodi maleficos puniendi mandatum reliquit Rudolphus Cæſar Principibus Imperij, quos inter extitit Jacobus Marchio Badenſis, quem mirè exinde deprædicat Æneas Sylvius in Parallelis, qui ubi latrocinium in ſua ditione commiſſum audiebat, ſtatim vocatis ijs, qui damnô affecti erant, tantùm eos ex fiſco ſuo accipere juſſit, quanti ea eſſe, quæ amiſerant, jurejurando affirmâſſent. Exinde latrones inſecutus apprehenſos in rotam, & furcam agebat. Patris veſti-

In vita Alphonſi Mag. l. 4. n. 7.

gia, addit Sylvius, Carolus Nobilissimus adolescens sequitur, cui nupta est Catharina soror Friderici Cæsaris. Hæc ille.

CAPUT XIX.

Philippi Benitij pius obitus Rudolphi Cæsaris Confessarij, & Ecclesiastis. Canonizatio ejusdem à LEOPOLDO I. Cæsare etiamnum victoriosè regnante procurata. Rudolphi Cæsaris in S. Dominici familiam liberalitas. Favor in Ordinem Teutonicum, & Fratres Hospitalis S. Joannis in Hierusalem.

Mors Philippi Benitij Confessarij Rudolphi Cæsaris.

ANno 1285. Moritur Philippus Benitius Ordinis Servorum Beatæ MARIÆ VIRGINIS Generalis quintus, annos duos supra quinquaginta natus. Beati titulo decoratus est Philippus à Leone X. Papa Anno 1516. in Sanctorum verò numerum agente olim Ferdinando III. Cæsare, & Maria Imperatrice ejusdem pientissima conjuge, ac demum Augustissiimo LEOPOLDO I. Imperatore à Clemente X. summo Pontifice Anno 1671. adscriptus. Dabimus de hac actione binam Epistolam, quibus Canonizatio à Sanctissimo Papa petita ac impetrata est.

Canonizatio.

Epistola Augustissimi Cæsaris LEOPOLDI I. ad Sanctissimum Clementem IX. data.

BEatissime Pater.

ÆQvum est, ut quos jam DEUS in Cœlesti gloria Sanctorum choro dignos fecisse, pluribus ac manifestis indicijs, & miraculis ostendit, ij in terris debito Sanctorum honore non defraudentur. Inter quos haud postremo loco numerandum censemus B. *Philippum Benitium, Ordinis Servorum B. M. V. quintum Generalem, ac magnum ejusdem Ordinis Propagatorem; noverit enim Sanctitas Vestra, & id acta luculentiùs attestabuntur, quàm miranda in humanis constitutus singularis ille Dei Servus, præstiterit servitia in spiritualibus, ac præsertim conscientiæ rebus: cum quanta animarum salute pium Scapularis usum in honorem septem dolorum Sanctissimæ Virginis MARIÆ introduxerit: Eodemque gloriosum Prædecessorem nostrum Cæsarem Rudolphum primum induerit; dein, quàm ardua magnorum Regnorum, ac Provinciarum nego-*

negotia, ejusdem, & Subditorum bono, feliciter expediverit: quanta denique pietate ac Sanctimonia præluxerit hominibus: & quàm magnis ac penè innumerabilibus miraculis in vita, & post mortem claruerit. Quæ ejus virtutum excellentia colendissimum Genitorem Nostrum, quondam Imperatorem Ferdinandum Tertium, nec non honoratissimam Matrem Nostram Imperatricem Mariam felicis recordationis, adeo movit, ut Beatificatione, quâ Vir ille à Sancta Sede Apostolica ob eximia sua merita honoratus fuerat, non contenti, etiam ejus Canonizationem ab Eadem studiosissimè efflagitârint. Verùm cùm Canonizationem hanc, quædam tunc obstacula præpedivisse: illa autem nunc è medio sublata esse, intelligamus. Hinc Nos Augustorum Parentum Nostrorum insistentes vestigijs, ac cultum ac venerationem dicti Beati, quantum ex parte nostra fieri potest, promovere cupientes, Sanctitatem Vestram eâ, quâ solemus, filiali observantiâ, & vel maximè impenso studio requirimus, dignetur eundem B. Philippum, absolutis, prout fieri solent, cæremonijs, numero ac cœtui Sanctorum proximè adscribendum curare ac demandare, Nos enim peculiariter Sancto huic Ordini obligatos profitemur, cùm in infantia nostra virtutem dicti Scapularis miraculosè, & luculenter experti simus. Quod sicut enixissimè rogamus; ita & confidentissimè à Sanctitate vestra speramus, cæterum eandem à Divino Numine pro Ecclesiæ suæ beneficio in plurimos annos servari cupimus incolumem. Viennæ 24. Decembris 1668.

LEOPOLDUS.

Ad Clementem X. de eodem argumento.

Beatissime Pater.

Quemadmodum de Paterno Sanctitatis Vestræ in nos affectu, singulabúsque pijs desiderijs nostris gratificandi studio, prorsus nihil dubitavimus: ita idipsum magna cum satisfactione ac consolatione, vel in hoc abundè comprobatum reperimus, dum Sanctitas Vestra Canonizationem Beati Philippi Benitij (cujus nuncium peculiari sanè gaudio accepimus) ad ardentissima vota nostra, & vel maximè ob insignia ejusdem Sancti merita, proximè solenniter celebrandam statuit; pro qua beneficentia haud vulgari, meritò debitas Sanctitati Vestræ reddimus gratias; & cùm jam aliud non superfit, quàm ut hic Beatus honore illo, quo in cœlis fruitur, in terris quoque conspicuus reddatur, adeoque ejus Canonizatio proximè in effectum redigatur. Hinc Paternitatem Vestram pro filiali observantia Nostra reverenter rogatam cupimus, ut instantias, quas eidem nepos suus Reverendissimus Cardinalis Altierius nostro nomine hac in re porriget benevolè admittere, indeque ad Actum Canonizationis dicti Beati devenire digne-

 tur.

tur. Quô uti rem nobis apprimè gratam exhibitura eſt, ita eam viciſſim filialis obſervantiæ ac promptitudinis noſtræ officijs reponere ſtudebimus. De reliquo Sanctitatem Veſtram pro Univerſalis Eccleſiæ ac Domûs noſtræ bono diu ſoſpitem ſervari cupimus, & optamus. Viennæ 10. *Januarij*. 1671.

LEOPOLDUS.

Ingens profectò gloria Auguſtiſſimæ Domui Habſpurgo-Auſtriacæ eſt, habuiſſe Rudolphum Cæſarem Confeſſarios binos Albertum Magnum Dominicanum, Philippum Benitium, hunc titulo Sancti, illum titulo Beati ornatum. Porrò Rudolphus Imperator Ordinis ſervorum Beatæ Mariæ Virginis membrum, Fraterque compellari indicibili avebat comitate. Cujus poſteri in Bohemia extinctam penè memoriam Servitarum favore, ac liberalitate ſua reſuſcitârunt, & in Hungariam, Auſtriam, Tyrolim induxerunt, utque extra terras hæreditarias introduceretur, multis egerunt, de quibus uberior ſcribendi occaſio dabitur poſtquam ad tempora Ferdinandi II. & III. tum Auguſtiſſimi LEOPOLDI Cæſarum pervenerimus.

Amor Auſtriacor: Principum in Ordinem ſervorum B.M.V.

Ad præſentem, de quo agimus, annum pertinet Rudolphi Cæſaris liberalitas in S. Dominici Familiam. Eſſelingenſe enim Cœnobium ampliat, quà id ſpectat ad Nicrum, & Parochialem Eccleſiam, attribuendo fluvium (Fluß-Thurn) cum horto.

Nova liberalitas Rudolphi in Familiam S. Dominici

Ad eundem annum pertinere videtur Cæſareus favor Rudolphi, quô ſuæ protectioni Ordinem Teutonicum adjunxit. Dabimus ea de re Epiſtolam ex M. S. Codice Epiſtolari ſæpiùs jam citato.

Favor in Ordinem Teutonicorum.

MUltifariàm, inquit, varijsque modis Chriſtianus populus diverſarum virtutum jubare radians, & præclaros, ſacrum ac felix Romanum Imperium cuncti mundi præferri principatibus, & quibuslibet barbaricis præpollere nationibus fecit in præterito, & diſponente omnium Domino efficiet in futuro; nempe publicæ rei tuitio de ſtirpe gemina pullulans, vimque ſuam ex inde muniens, cælibi videlicet militia, & terreſtri regnum Juda Leviticæ tribui confœderat, & utrôque gladio ſe juvante, Sacerdotium, Imperium, & viciſſim Regalis auctoritas dignitatem Sacerdotij ſolidat, & confirmat: ſicque alterutrum utriúſque eminentia extollitur, & perverſorum malitia extra mundi terminos profligatur. Eapropter non tantùm in noſtris armis, & armatis militibus, ſeu bellorum Ducibus, quàm in Religioſorum aſſiduè Deo milantium devotis interceſſionibus, ac alijs pijs operibus noſtra ſpei anchora figitur, & coruſcantis noſtræ

nostræ gloriæ solium sublimius, & solidius inspeculam elevatur. Religiosam itaque vitam ducentibus Serenitatem Nostram convenit prospicere ipsorum commodis, & incommoda instantia propellere, futura pericula præcavere. Inter cæteros autem illi præcipuè nostri gratiam beneficij, & benevolentiam promerentur, quibus hospitalitatis pijssimæ, & defensionis Reipublicæ, nec non alia pietatis opera suffragantur, qui abjectis rebus suis, proprijs voluntatibus abdicatis, spretòque suorum corporum cruciatu ascendentes ex adverso pro Romano Imperio, & pro domo Israël se murum non formidant exponere, & in proprio sanguine pro fide Catholica, & paternis legibus, animarum suarum pallia rubricare. Veluti Venerabiles ac in Christo Charissimi Magister, & Fratres Hospitales sanctæ Mariæ domûs Teutoniæ in Hierusalem, quarum sancta Religio ab Imperialibus beneficijs circa promerendam specialem gratiam, & impetratam multarum libertatum ac privilegiorum indulgentiam Apostolicæ sedis in spiritualibus sumpsit initium, ac Imperialis aulæ hortus floridus, Imperatorum plantula, & structura à nullo Principum tantùm, quantùm ab Imperatoribus habuit incrementum, quippe qui præter Romanum Regem nullum alium habent advocatum seu defensorem: Divinæ itàque recordationis N. Imperatoris, aliorúmque prædecessorum ejusdem vestigijs inhærentes, dictam domum tàm in capite quàm in membris, Fratres, & Confratres ipsius domûs, nec non subditos eorum negotia gerentes, cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, quæ peruniversum Romanum Imperium rationabiliter possident inpræsenti, & justo titulo imposterum poterunt adipisci, sive sint civitates &c: sub nostra speciali protectione suscipimus, & omnia privilegia, libertates, & immunitates, & scripta quælibet, quæ à dictis Imperatoribus, & Regibus justè, & rationabiliter sunt concessa, & indulta approbantes, & confirmantes præsentibus innovamus, pendenti sigillo nostræ Majestatis typario præsentem paginam roborantes.

Coronet hunc, de quo egimus, annum favor etiam Cæsareus in Fratres Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quos in tutelam recipit, eorúmque Privilegia confirmat.

„ETsi, inquit, de Regalis procedat benevolentiæ largitate, uni„versas Regularis observantiæ professiones, solicitæ prote„ctionis, & gratiæ patrocinio communire, honorabiles tamen „fratres sacri ordinis Hospitalis Sancti Joannis in Hierusalem, „qui spreta sua producentes intrepidè vexilla victoriæ Christianæ „suàque signa militiæ rubricantes in sanguine gloriosi martyrij „strenuè dimicando cum barbaris nationibus pretio suæ morti

„ſe tradere non formidant. A Regiæ Celſitudinis brachio, tanto „debent attentiùs confoveri in omnibus, tantóque ſublimiùs ho-„norari, quantò ferventiùs pro defenſione Catholicæ fidei „dignoſcuntur, in caſtris dominicis militare. Noverit &c: „Quia igitur prælibatum Ordinem Fratrum Hoſpitalis Sancti „Joannis Hieroſolomytani, cujus utique ſanctitatis odor, ùt odor „agri pleni, cui Dominus benedixit, ſuavitatis oblectamento præ-„cordialiter nos refecit, prærogativâ favoris amplectimur ſingu-„laris, & quia Ordo dignoſcitur titulis ab antiquo flore conſpi-„cuis, ac honorum, & libertatum eximijs dotibus inſigniri, nos „intimo deſiderio cupientes, quòd ſui famoſi nominis nequeat „obnubilari ſerenitas, nec ſtatûs ſui proſperitas laceretur in aliquo, „vel diſpendiosè tangatur, devotis N. Supplicationibus inclina-„ti, prædicti Ordinis Fratres, & omnes poſſeſſiones eorum, & „bona, quæ in præſenti nunc rationabiliter poſſident, aut impo-„ſterum juſtitiâ mediante poterunt adipiſci, ſub noſtra ſpeciali „protectione, ad imitationem Divorum Imperatorum, prædeceſ-„ſorum noſtrorum, & Regum Romanorum prædicta privilegia, „prout ſuperiùs ſunt notata, & univerſos, & ſingulos ſuos arti-„culos, omnes inſuper donationes, indulgentias, gratias, liberta-„tes, & jura præfati Ordinis Fratribus, â præclaræ memoriæ Fri-„derico ultimo Romanorum Imperatore, prædeceſſore noſtro „ante latam in eum depoſitionis ſententiam, & â ſuis anteceſ-„ſoribus Imperatoribus, & Regibus Romanorum, ritè ac providè „tradita, & conceſſa, acſi prædicta omnia de verbo ad verbum „præſentibus ingeri contigiſſet, expreſsè de benignitate Regia libe-„raliter innovantes, & auctoritate Regalis culminis, & præſentis „ſcripti patrocinio confirmantes. Nulli ergo &c.

Favor in Ordinem S. Joannis Hieroſolymitani.

His favoribus præluſit Rudolphus gratijs, quibus ejus po-ſteri ambos Ordines proſecuti ſunt. Sanè alter ille Alexander Europæus Carolus V. Imperator Fratribus, ac Equitibus Hiero-ſolymitanis ex Inſula Rhodo per Solymannum Anno 1522. pulſis donavit Melitam. Ordo verò Equitum Teutonicorum (cui ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca quatuor ſupremi Magiſtri præfuêre) multùm commodi, & ornamenti accepit, ùt infra, ubi de Maxi-miliano Archi-Duce, electo Poloniæ Rege, tum Leo-poldo Wilhelmo, Ferdinandi II. Cæſaris filio, egerimus, patebit.

CA-

CAPUT XX.

Nuptiæ Regis Wenceslai cum Juditha Cæsaris Rudolphi filia. Utriúsque amor, & beneficentia in Ecclesiam Metropolitanam Pragensem D. Viti Martyris. Alberti Ducis Austriæ liberalitas in Episcopatum Ratisbonensem. Rudolphi Cæsaris studium gratificandi Confessario quondam suo, & mercatori cuidam.

PActis jam ante connubialibus inter Wenceslaum Regem Bohemiæ, & Juditham Rudolphi Cæsaris filiam, & datâ in dotem Egrâ, totâque eâ ditione à Cæsare, nuptiæ Pragæ Anno 1286. celebrantur, tantâ Principum (quos inter duo Fratres Sponsæ Albertus, & Rudolphus numerantur) ac Nobilium frequentiâ, ut indies supra centum millia hominum Pragæ convivio exciperentur. Hic Rex cùm insigni pietate excelleret, promeruit dici *Pius*. Cúmque templum Divi Viti Martyris, Patroni Regni Bohemiæ, ornatu suo totum penitus despoliatum cerneret, principiô gubernationis suæ ad illud exornandum, novâque sacrâ supellectili decorandum, animum adjecit. Regina porrò reliqvum in Unieticz contulit, & idcirco anniversarium funebre in Ecclesia Prangensi S. Viti 10. Septembris consecuta est. Ita Pessina Libro de Majestate, & Gloria Sacræ Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Radio 7. f. 701.

Nuptiæ Wencesl. Regis Bohemiæ cum Juditha Cæsaris filia.

Spondanus in Annal Eccles. t. 11. ad Ann. 1285.

Amor, & Beneficentia in Ecclesiam Metropolitanam Pragens.

Eodem Anno Henricus II. Comes de Roteneck Episcopus Ratisbonensis ab Alberto Duce Austriæ obtinet privilegium, ut ipsi, & Capitulo suo liceat duas naves onerarias vino suo prædiali, vel empto, & husones tam in terris, quàm in agris per dominium Austriacum singulis annis sursum deducere absque omni telonio; pariter quoque victualia, & quæcúnque necessaria domûs suæ infra Pechlariam, & Viennam.

Liberalitas Alberti Ducis Austriæ in Episcop. Ratisbon.

Viguleus Hundius in serie Episcopor. Ratisbonensium.

Idem annus suggerit insigne Gratitudinis exemplum, quod Rudolphus Cæsar in Henrico Gürtel-Knopff ostendit. Erat ille pistoris filius, & professione Franciscanus Minorita. Qui, teste Wadingo Ordinis Minorum celeberrimo Annalium Scriptore, doctrinâ, & honestate vitæ, dum Religiosus, & Superior in sua Religione Basileæ esset, laudem sibi comparavit maximam, estque

Gratitudo Rudolphi in suum Confessa-

è Monaſterio Anno 1274. ad ſedem Epiſcopalem Baſileenſem à Capitulo aſſumptus. Anno verò præſente in ſede Moguntina diſcordia Capituli, authoritate ac favore Rudolphi I. Cæſaris, cujus, & conjugis Confeſſarius erat, collocatus.

Ad annum 1287. pertinere judicamus illud, quo Rudolphus Cæſar nominis ſui Etymologiam haud inanem oſtendit, dum ita fuit conſilio adjuvans, ut ſciret utile dulci conjungere, & adverſa felicibus eventibus ſecundare.

Jucundum ſanè eſt ſeu conſilium, ſeu pactum cum infortunato mercatore nonnullo initum, alioquin prudente, & ſolerti. Cum hoc mercatore ad ſe. vocato pepigit Rudolphus, ut utérque 200. marcas in mutuum lucrum, non lucrúmve contribuerent, hac interpoſitâ cautione, ut mercator ſinè omni reluctantia omnia Rudolphi exequeretur conſilia. His concluſis, mandavit Rudolphus à mercatore omnes haleces Strasburgi coëmi, eásque per Rhenum Coloniam transvehi: Coloniæ verò, ut comparatâ ex venditis halecibus pecuniâ, vinum coëmat, quantum poterit, illúdque Strasburgum revehat. Reluctabatur omnimodè mercator, Cæſárque pactum exequi jubebat. Invitus tandem exequitur juſſa mercator, & haleces opportunè Strasburgum advectas levi pretio coëmit, & ſecundô Rhenô admirantibus omnibus Coloniam devehit. Cúmque illuc perveniſſet, commodè captura halecum in mari prohibita fuit, quare hæc merx inſummum valorem aſcendit. Ità venditis magno cum lucro halecibus, pecuniam in coëmptionem optimi vini impendit, cujus tanta copia Coloniæ extitit, ut leviori, quàm in Alſatia væniret. Coëmptum vinum Argentoratum devehit, eo tempore, quo frigido vere vinum congelatum eſt; & ideò in ſummum valorem devenit; adeóque potuit hanc mercem triplicato lucro vendere. Cúmque rationem daturus ad Rudolphum veniſſet, is 200. marcis ſuis receptis integrum lucrum mercatori donavit dicens: *videſne etiam aliquando rem contra judicium proprium incipiendam, & non ſemper ibi lucrum quærendum ſit, ubi lucrum eſſe apparet.* Subjungo illuſtre prudentiæ ſpecimen quod Rudolphus non ſolùm conſilio, ſed re ipsâ cuidam injuriâ affecto præſtitit. Qua de re ita habet Nirembergius in Virtute Coronata.

Conſilium juvandi quendam mercatorem.

Opinione, inquit, ac famâ Imperatoriæ Prudentiæ claruit Rudolphus, pretium, & venerationem Procerum, ac populi exinde conſecutus. Si judicium de prole diſceptantium fœminarum magnam ſapientiæ exiſtimationem Salomoni contulit; conferre potuit

Specimen illuſtre prudentiæ.

potuit Rudolfo frequens quóque ſententia in cauſis maximè ambiguis glorioſè prolata. Venerat Cæſar Norimbergam: adfuit illicò mercator accuſans hoſpitem, apud quem diverterat, quòd marſupium ducentis coronatis grave depoſitum in manus reddere, imò accepiſſe pernegaret. Non erant ſuper depoſito confectæ tabulæ, non teſtimonia. Veritatem abditam prudentia Rudolfi protraxit in lucem. Captavit opportunitatem rei agendæ, poſtquam de materia, & qualitate burſæ plenè fuerat edoctus, in id tempus, quo non multos poſt dies erant adfuturi ſolemni cum apparatu Patricij, ac cives ad manus oſcula, atque conſalutandum Cæſarem. Adfuit inter cæteros deſignatus hoſpes, fortuitò ex aliorum ornatu ab elegantiori compoſitione, ac cirris pilei diſcernendus. Uſus occaſione Imperator, & in benignam converſationem familiariter immiſſus pileum hoſpitis è cæteris civium apparatibus laudat: imò complacentiam habendi illius, ac cum ſuo commutandi præ ſe fert. Quid infra humanitatem magìs ageret hoſpes, niſi promptè offerret tanto Principi, tam exiguum, ſed ùt advertebat cupidum munus? offert itaque, & acceptat oblatum Cæſar. Sed aliquanto pòſt ſecedens â congreſſu fidum hominem cum pileo ad civis domum, atque conjugem ablegat: mandátque ut mariti nomine in fidem exhibiti galeri, burſam formæ, & quantitatis deſignatæ, reconditam loco, quem ipſa noſſet, poſtulet, atque è veſtigiò tranſmittat. Perſuaſa indicio mulier crumenam depromit; & impetratam nuncius defert Rudolfo. Cæſar adhuc perneganti tabernario depoſitum exhibet, ac confuſione opertum percellit. Conſecuta eſt pœna improbè mentientem; ac ſagacitate, induſtriáque Imperatoris eruditi Principis merita fide, condignóque timore Sapientiam Imperantis impoſterum ſunt proſecuti.

Qua verò Religione juſtitiæ vigorem proſequeretur, non ſolùm per ſe ipſum oſtendit, ſed ab alijs quoque inconcuſſam inviolatámque perſiſtere volebat. Dabo Epiſtolam de hoc argumento ad quendam Archi-Epiſcopum ſequenti tenore exaratam.

„Ex conceſſione tuorum Regalium, inquit, quâ te noſtra „Serenitas jam dudum inveſtivit, plenam & liberam poteſtatem, „in tuis diſtrictibus & territorijs judicandi, more Majorum „noſtrorum Principum, in cauſis civilibus & criminalibus accepiſti. Cùm enim te eſſe ex ſublimibus Principibus Romani Im„perij cognoſcamus, dubitari à nemine volumus, quin merum „Imperium tuo Principatui ſit annexum, per quod habes jus ad- *M.S. Codex Epiſtolaris citatus.* Amor eximius juſtitiæ adminiſtrandæ.

 verten-

„vertendi in facinoroſos homines & gladij poteſtatem, per alium „tamen, prout Ordini & honori tuo congruit, exercendam. Cæ„terùm cùm juxta legitimas ſanctiones delictum omnem immu„nitatem aufferat, & privilegium omne tollat, volumus & man„damus, quatenus omni privilegio, nobilitate, ſeu dignitate ceſ„ſantibus, juſto jùdicio judices, & judicari facias pro qualitate cri„minum, criminoſos tam in facultatibus, quàm perſonis punien„do. Tu igitur formam boni Præſidis induens, ad cujus ſollici„tudinem maximè pertinet, ut Provincia tibi commiſſa malis ho„minibus expurgetur, ad judicandum ſinè delectu & differentia „perſonarum viriliter accingaris, Æterni Regis intuens Impe„rium, qui præcepit dicens: Ita judicabitis magnum ùt parvum; „nec dubites, quin propter tuas juſtas ſententias, quas protuleris „exequendas, Regalem potentiam, ſi opus fuerit, adducamus. „Illud enim noſtro propoſito, & Romanis legibus eſt adverſum, „ut pro cujuslibet criminoſi crimine puniendo, Regalis authori„tas ſpecialiter requiratur, cùm juxta ſtatuta Divorum Principum „Romanorum non crimina, ſed vindictæ criminum ſint Regis „auribus inferendæ Hæc Rudolphus zelo juſtitiæ commendavit. Deſcriptor autem Epiſtolarum (quod erudito cuivis dolori eſſe debet) neque perſonam, neque locum, ad quem hæc directa eſt, expreſſit. Simile huic ſint ea, quæ ſinè nomine loci ac perſona certis ſunt commendata, & hìc ſubjungimus.

Rudolphus providet cuidam domui Regulari de ordine Pœnitentium.

„Quia in Civitate noſtra N. quædam eſt Domus Regularis de „ordine Pœnitentium, quæ pati dicitur tam in ſpiritualium „quàm in temporalium proviſione defectum; Nos ipſi domui eo „compatientes inſtantiùs, quo illius ſexûs infirmitas pronior eſt „ad caſum, Paternitatem veſtram affectione, quâ poſſumus, am„pliſſimâ depoſcimus & hortamur, quatenus cum perſonæ præ„fatæ domûs ex proviſorum ſuorum, qui ibi nunc præſunt, inju„ria, gravia poſſent ſuæ famæ, ſuæque ſalutis incurrere nocumenta „apud dilectiſſimum Patrem noſtrum Dominum ſummum Pon„tificem cum effectu dignemini procurare, quòd ipſa domus ex „proviſorum hujuſmodi inutilium vinculis abſoluta, de cætero „proviſioni Provincialis *Fratrum minorum*, ut circa eadem dexte„ræ fiat Excelſi mutatio, committatur. Ita quòd ipſis perſonis in „ordine priſtino permanentibus pœnitentium, Provincialis præ-

dictus

„dictus, per ſe, vel fratres ordinis ſui ad hoc idoneos viſitationis, „& correctionis officium in eaſdem valeat exercere, & liceat ip- „ſis Fratribus ad id providè deputandis, ipſarum pœnitentium „clauſtrum intrare, ad miniſtrandum eiſdem Eccleſiaſtica Sacra- „menta, cum fuerit oportunum.

Rudolphus confirmat cujuſdam monaſterij Privilegium.

„IMperialis thronus extollitur, & Auguſtalis honoris titulus de- „coratur, cùm ad loca religioſa conſideratio benigna porrigi- „tur, & eorum ſtatus & commoditas liberali munificentiâ promo- „ventur. Eapropter notũ fieri volumus fidelibus noſtris, tam mo- „dernis quàm poſteris univerſis, quòd nobis Viennæ præſentibus „promovente Domino feliciter noſtri Culminis incrementum, & „Ducatibus Auſtriæ & Styriæ Domino noſtro proſperâ ſorte ſub- „actis, Abbas & Conventus N. privilegium ab A. dicto Monaſte- „rio clementer indultum, Noſtræ Celſitudini præſentârunt, ſup- „pliciter poſtulantes, ut ipſum privilegium de verbo ad verbum „tranſcriptum innovare, & quæ continentur in eo, confirmare „de noſtra gratia dignaremur. Cujus tenor, &c. Nos igitur, „qui ad ampliandum Eccleſiarum ſtatum & locorum Religioſo- „rum commoditates augendas pio favore tenemur intendere, „privilegium ipſum de verbo ad verbum præſenti privilegio inſe- „ri juſſimus, ſingula quæ in eo continentur, de Imperiali gratia „confirmantes ſtatuimus, & Imperiali ſancimus edicto, ut nulla „perſona, alta vel humilis, Eccleſiaſtica vel ſæcularis prædictos „Abbatem & Conventum Monaſterij nominati ſuper præmiſſis, contra præſentis Privilegij noſtri tenorem, auſu temerario mo- „leſtare præſumat.

CAPUT XXI.

Rudolphus Cæsar ad conservandam Religionem in Pannonia cum filio Alberto & confœderatis à Pontifice invitatur. Archi-Episcopi Trevirensis Boëmundi Electio, & in eum Rudolphi beneficentia. Pontificis specialis prærogativa Alberto filio Rudolphi data. Rudolphus Regi Bohemiæ favet, & favoris dati confirmatio.

Rudolfus Cæsar ad conservan. Religion. in Hungaria à Pontifice invitatur. *Raynaldus in Annal. Eccles. ad ann. 1288.*

ANno 1288. in Hungaria adducebatur fides in gravissimum periculum Ludovici impudicissimi Regis culpâ, ad quem à scelere revocandum Nicolaus literas misit, quibus monuit, contra ipsum Crucesignatorum exercitus in Hungaria & Germania conflatum iri, nisi è flagitio, in quo tam diu jacuerat, emergeret: ac propterea Lodmerio Archi-Episcopo Strigoniensi præcepit, ut si Religio in discrimen adduceretur, contra infideles sacram militiam indiceret. Excitati pariter alij Episcopi, Abbates, Sacerdotésque Ungariæ, nè Strigoniensi Archi-Episcopo in fide tuenda deessent. Admoti quoque pij stimuli Proceribus Ungariæ, Poloniæ, Wenceslao Bohemiæ, Rudolphóque Romanorum Regibus, Alberto Duci Austriæ filio Rudolphi, ut arma pro asserendo in Ungaria Christianæ Religionis splendore in impios expedirent. Ex quo Eruditus Lector colligit, quo in pretio Romanæ Ecclesiæ Pater Rudolphum censuerit, dum ad ipsum pro tuenda Religione Catholica in Hungaria recurrit, potuítque Rudolphus B. Petri filius compellari à Nicolao, utì olim ab Innocentio II. Sanctus Leopoldus è veteribus Ducibus Austriæ ortus, hoc honoris titulo est insignitus.

Rudolphi amor in Archi-Episcopum Trevirensem, & beneficentia. *Annal. Trevirenses ad ann. 1288.*

Dum pro fide in Hungaria tuenda studet Nicolaus Papa, Cathedræ Trevirensi admovetur Boëmundus, quem Rudolphus Imperator ob ejus genus illustre, mores exactè sobrios, castósque, & eximiam facundiæ, doctrinæque laudem, & alia, quæ abundè ei inesse comperit, magno magno affectu prosecutus est. De utróque agit Christophorus Broverus Societatis Jesu, Vir antiquitatis tùm Ecclesiasticæ, tùm prophanæ eruendæ feliciter studiosus, quo nomine à Cardinali Baronio Tomo Annalium Ecclesiasticorum 10. mirificè aliquis laudatur.

Boë-

Boëmundum, inquit, singulari invenio favore comprehendisse, ità ut in parentis loco à Præsule habitum libri memorent vetusti. Ipse quoque Boëmundo petente, quinque Diœcesis Trevirensis oppida, legibus atque hominum conventibus jam nunc frequentari cœpta, Monthaborium, Beroncastellum, Wittelichum, Saraburgum, & Billichum, Regali authoritate libera pronunciavit, signatísque sigillo suo diplomatis, jus ejus libertatis id omne confirmavit, quo civitates & oppida donare consuevit. Hæc eadem privilegia, publicis item codicillis, affirmârunt inclyti Reges Adolphus, & Albertus, Rudolphi vestigijs hærentes. Hæc Broverus. *Item ad 1291.*

In sequenti porrò anno, qui fuit 1289. Nicolaus Pontifex specialem prærogativam Alberto Duci Austriæ Rudolphi filio ob insignia Parentis erga Sedem Apostolicam merita, & singularem erga eandem sedem Pietatem ac reverentiam, concedit: ut nullus sinè Apostolico Imperio ipsum, uxorem, ac filios percellere anathemate possit. *Sine speciali*, inquit, *Sedis Apostolicæ mandato faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, præsentibus post quinquennium minimè valituris.* **Prærogativa Alberto Duci Austriæ à Pontifice concessa.**

Hoc quoque anno leguntur literæ à Rudolpho Cæsare datæ de Voce in Electione Romanorum Regum, & Archi-pincernarum in Imperio Regum Bohemiæ; quæ cùm ad institutum nostrum, ob virtutem justitiæ pertinere videantur, eas Lectori legendas exhibemus. *Annal. Ecclesiastici Raynaldi ad ann. 1289. n. 47.*

Nos Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

AD universorum Sacri Romani Imperij fidelium notitiam cupimus pervenire, quòd Nos ex officio Nostræ Celsitudini divinitus injuncto, cupientes jura quorumlibet salva (nam veræ Justitiæ virtus hæc est, alterum non lædere, unicuique tribuere quod est suum) maximè tamen Virorum Illustrium dispendijs præcaventes, quorum insudare nos semper perdecet commodis, & honori Inquisitionis circumspectæ præhabito scrutinio, quid quantúmve Juris in Romanorum competat Imperio, Inclyto Regi Bohemiæ Wenceslao Principi Nostro, & Imperij Pincernæ charissimo, nec non suis hæredibus, licèt de ipsius Juribus verissima notitiâ nobis constet, ad majorem tamen cautelam & evidentiam indagantes, ac indagari facientes, ut dicti Regis Jura lucidiùs patefierent, universis communi testimonio, & assertione comperimus assonante, quòd Rex supradictus jus, ac officium Pin- **Rudolfus Cæsar Regi Bohemiæ favet.**

 cernatûs,

cernatûs, pariter & ejus hæredes, in Romano obtineat Imperio, nec non in Romanorum Regis Electione instar aliorum Principum in ipsa Electione habentium jus, & vocem, quoad idem jus, & vocem eligendi potestate parili potiantur, quæ Jura ipsis competere profitemur præsentibus, & authoritate Regiâ approbamus, præsentium testimonio litterarum. Datum Egræ, quarto Nonas Martij, Indictione secunda. Anno Domini 1289. Regni nostri Anno sexto decimo.

Extat in rem præsentem alia etiam Epistola, quâ Rudolphus I. Imperator confirmat Regi Bohemiæ privilegium Pincernatûs, & Electoriæ dignitatis.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„UNiversis Sacri Imperij Romani fidelibus præsentes Li„teras inspecturis gratiam suam & omne bonum.

„QUanto jura personarum prodierint in lucem notitiâ clario„re, tanto liquidiùs posteritati successuræ materia altercan„di tollitur. Inquisitionis igitur circumspectæ præhabitâ indagi„ne scrutinióque solerti scire desideravimus, quod, quantúmve „juris in Romano competat Imperio & in electione Romanorum „Regis, futuri Imperatoris, inclyto Regi Bohemiæ, Principi & Filio „nostro charissimo, & hæredibus ipsius. Quo facto, Principum, „Baronum, Nobilium, & procerum Imperij, nec non veterano„rum communi assertione, & concordi testimonio comperimus „assonante, ipsum Regem Boh. Imperij debere Pincernam existe„re, & jus ac officium Pincernatûs apud eum, nec non ejus hæ„redes jure hæreditario residere. Extitit etiam dilucidè declara„tum, prædictum Regem Bohemiæ & suos hæredes in electione „Regis Romanorum futuri Imperatoris, cum cæteris Electoribus „habere debere, ad similitudinem aliorum Electorum, eligendi „plenarium jus & vocem. Hæc verò jura Pincernatûs & Electo„ratûs, nè dum dicto Regi & suis hæredibus didicimus compete„re, sed etiam suis Progenitoribus, Abavis, Atavis, Proavis, Avis „purè plenissimè competebant. Volentes itaque dicti Regis & „hæredum suorum dispendijs cavere, jus & officium Pincerna„tûs in Imperio sibi & hæredibus suis, & non alijs competere, & in „electione Regis Romanorum futuri Imperatoris habere jus, & „vocem clarè recognoscimus, approbamus, & præsentium testi„monio profitemur. Si quid autem diminutionis vel calumniæ,

quod

„quod non credimus, cavillosè, malitiosè, vel ſubdolè poſſit „opponi, ſupplemus de plenitudine poteſtatis. In cujus rei teſti„monium præſens ſcriptum Majeſtatis noſtræ Sigillo facimus „communiri. Datum Erfordiæ VI. Kal. Octob. Indictione III. Anno Domini M. CC. XC. Regni verò noſtri XVII.

CAPUT XXII.

Rudolphi Cæſaris illuſtre ſpecimen abſtinentiæ heroibus relictum. Literæ Pontificis ad Rudolphum. Mors Ladislai Regis Hungariæ. Suppetiæ à Cæſare per Pontificem petitæ ad tuendam Religionem in Hungaria. Mors Rudolphi filij Cæſaris.

Quæ de generoſitate, fortitudine, & illuſtri in cibo abſtinentia Rudolphi Cæſaris adferimus, ad annum adhuc 1289. pertinent. Æſtate primâ Rudolphus, rebus alijs conſtitutus, expeditioni Burgundicæ neceſſaria comparat, & collectis undique copijs in Burgundiam movet. Fuiſſe in ejus exercitu præter ingentem peditum numerum ſex equitum millia, inter quos duo millia trecenti tectâ armaturâ erant, proditum eſt memoriæ. Cauſa belli, ut Burgundiam utrámque ad obedientiam & recognitionem Imperij revocaret.

Rudolphi Cæſar. expeditio in Burgundiam.

Montembelgardi Civitate, ac regione in poteſtatem redactis ſeptuagenario major in hoſtes, ea virtute animi, iiſque viribus invectus fuit, quibus in florenti ætate impellere obſtantes cuneos inimicorum conſveverat. In eo conflictu occiſo, cui inſidebat equo, delapſus in terram multo tempore pedes pugnavit, cúmque hoſtium multitudo incaleſceret, avulſus à ſuis ſumma cum dexteritate pugnando cominus, ac retrocedendo in caſtra revertit. Quod dum facti, ut erat armis, atque ætate prægravis in propinquum aquæ vadum inſilijt, inſeſſáque, quæ fluitabat, trabe, haſta pro conto uſus ex hoſtium telis ſe eripuit. Redditus ſuo militi mox ad terram appulit, promotóque confeſtim exercitu penetravit in viſcera Burgundiæ, cæde, ac vaſtatione urbis Veſontionis ditionem latè pervagatus. Expediti interim à Rege Galliæ Philippo Pulchro legati accurrerant, nomine ſui Regis comminantes Philippi in perſona adventum, niſi ab ijs provincijs exerci-

Ejuſdem generoſitas & fortitudo.

Norimbergius citatus fol. 105. Gerardus de Rhoo Hiſtoria Auſt. Lib. 1. ad ann. 1289.

 tum

tum quantocyùs Cæsar revocaverit. Risit ad minas Rudolphus, atque ad Legatos: *Veniat*, inquit, *Rex Philippus: præstò habet expectantem: recipietur, tanquam qui non ad cupedias accesserit; intelliget, quàm vanum sit legem ferre armatis*. Suggerentibus tamen, quòd minùs expediat, eo in loco hærere ex annonæ defectu, qui potentior hostium metu castra infestabat. Replicuit invicto animo Cæsar: *nec istud facit ad suadendum recessum. Si vicerimus suppetet de apparatu hostium, quo vescamur: acti in fugam abunde relinquent, quod alendo exercitui sufficiet*. Deficiente nihilominus annonâ, nec conspecto hoste, prior ipse rapas, ac leguminum radices vellere cœpit, & manducare, exemplo commonstrans naturam eo contentam esse posse, quod offertur. Imitati Imperatorem milites de subsidio commeatuum non cogitârunt. Adfuit interea cum milite Robertus Burgundiæ Dux, & Theobaldus Ferrentanus. In hos partem legionum Helvetarum immisit Rudolphus, qui fusis magna cum clade Theobaldi copijs, onusti spolijs in castra Cæsaris reverterunt. Cogitabant persistere, & vallo communire se Burgundi, donec Rex Galliæ suppetias ferret. Dissuasit consilium unus, qui non multò antè in Imperatorijs castris militaverat. Non obsistite Cæsari, inquiebat, novi genium, fortunámque Rudolphi: sine damno nostro nos ille hinc non dimittet, in valla quæcúnque prætenderimus, involabit. Itaque reveriti virtutem noménque Cæsaris misêre legatos, qui de pace tractarent. At Imperator nihil minùs, quàm de compositione cogitans, mandavit, aut arma illico ponerent, aut confligerent, aut imperata facerent. Postremum hostibus visum fuit consultius, & Burgundia ad obedientiam Cæsaris, & Imperij redijt. Incredibile videri potuit in Principe annoso, & à pluribus bellis lasso tantum animi, tantum in perferendis molestijs patientiæ etiamnum superfuisse. Certè roboraverit animum longa propitiæ fortunæ experientia, & consuetudo vincendi. Quatuordecim quippe prælijs præfuerat semper Victor. Inde Rudolpho per universum mundum fama, ac veneratio comparata, cujus clientelam, & amicitiam non modò Christiani Principes, verùm etiam barbaræ gentes, missis legationibus quæsiêrunt.

Abstinentiæ exemplum.

Cùm verò Nicolaus IV. Papa Anno 1290. Philippo Francorum Regi decimas nonmodò in Gallijs, sed etiam in nonnullis Imperij terris ad fratrem in Aragoniam inducendum attribuisset, & Rudolphus Romanorum Rex illud in suam injuriam interpretaretur, atque à nonnullis adversùs Francorum Regem incitaretur,

tur, quasi is Imperij jura sibi vendicaret, Nicolaus Rudolphum placare literis studuit, & causas, ob quas id sedes Apostolica constituerat, nimirum ad comprimendos Aragonios Siciliæ invasores, tuendámque Ecclesiæ dignitatem aperuit. Literæ, quæ Pietatem Rudolphi aliásque Laudes continent, eas hìc appono.

Raynaldus in Annal. Ecclesiast. ad ann. 1290. N. 21.

Charissimo in Christo Filio Rudolpho Regi Romanorum illustri.

DEvotione plenas, & affectione non vacuas Regiæ celsitudinis literas, nostro nuper Apostolatui præsentatas eo promptiùs, libentiúsque suscepimus, quo mittentem synceriùs gerimus in visceribus charitatis. Quarum inter cætera tenor habebat, quòd Principum, Magnatum, & Baronum Imperij adversus Excellentiam Regiam murmura succrescebant, quasi dictum Imperium minimè tueatur, patienter & indignè ferendo, ut Charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris excedat limites Regni sui, aliqua contra ipsius statum Imperij, & in depressionem ejus non modicam attentando. Tu verò ex eo modernis prægravari temporibus prætactum Imperium reputabas, quòd in nonnullis Civitatibus & Diœcesibus infra dicti metas Imperij constitutis trium annorum decimam Regi persolvendam eidem duximus imponendam; præsertim cum Ecclesiæ Civitatum, & Diœcesium earundem de bonis ipsius Imperij sint dotatæ: quare magnificentia Regia suppliciter postulat, ut super ipsius præstatione decimæ jam dictas minimè gravaremus Ecclesias, quin imò illas ab hujusmodi præstationis onere præfato Regi, sicut præmittitur, faciendæ prorsus absolvere dignaremur.

Sanè, Fili charissime, non ignorare te volumus, quòd inter cæteros orbis terræ principes, regalibus titulis insignitos, te utpote fidelem Ecclesiæ filium & devotum speciali affectione prosequimur, synceris complectimur brachijs, tui status incrementa felicia diligentes, nec ad ejusdem Imperij vel suorum depressionem, seu diminutionem jurium voluntas nostra dirigitur, cum illa potiùs, ne lædantur in aliquo vel turbentur, manutenere ac tueri favorabiliter intendamus. Nam licèt Apostolica Sedes, urgente necessitatis articulo, prædictam decimam in Civitatibus & Diœcesibus imposuerit memoratis, certis eidem Regi terminis persolvendam; hujusmodi tamen impositio decimæ, si consideretur attentiùs, non tam in ipsius Regis commodum; quàm in Ecclesiæ Rom. auxilium & favorem adversùs ejus hostes publicos & rebelles (quorum præsumptiones multiplices & temeritates innumeras, quibus nondum finis imponitur, jam ferè totius orbis notitia extitit subsecuta) ut hostium & rebellium prædictorum infanda præsumptio,

 quàm

quàm timor Dei vel reverentia sedis prælibatæ non reprimit, prædicti Regis potentia ipsius Ecclesiæ, cujus præcipuè negotium agitur, adjuta suffragijs, compescatur.

Regalem itaque magnificentiam rogamus, & hortamur attentè, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatenus sedula meditatione recogitans grandem & urgentem ipsius necessitatem Ecclesiæ, multis jam diu ab hostibus & rebellibus supradictis, non absque divinæ Majestatis contemptu, & opprobrio multo fidelium lacessitæ injurijs, vexatæ molestijs offensionibus impetitæ; attendens etiam & diligenter advertens, quòd tu tanquam specialissimus ipsius Ecclesiæ filius, defensorque præcipuus, exaltationem & augmentum ejusdem Ecclesiæ debes non solùm votis affectare ferventibus, sed etiam sibi adesse favoribus, consilijs, & auxilijs opportunis filiali promptitudine patiaris id, quod ejusdem sedis circumscripta prudentia de impositione ac solutione prædictæ decimæ noscitur ordinâsse: tanto nobis & eidem sedi ampliùs proinde placiturus, quanto libentiùs te super hoc ejusdem sedis conformabis affectibus, & ipsius beneplacitis promptiùs acquiesces: maximè cum eidem Imperio aliquod exinde præjudicium generari, vel jura ejus in aliquo minui vel lædi nolimus; statuentes, & etiam Auctoritate Apostolica decernentes, ut per hoc in prædictis terris seu locis nullum jus eidem Regi quomodolibet acquiratur, aut juribus, quæ inibi præfatum Imperium obtinet, in aliquo derogetur.

Mortuus est hoc eodem anno Ladislaus Hungariæ Rex, cujus anno 1288. meminimus. Cujus mortis nuntius cùm in Pontificia aula percrebuisset, Nicolaus Pontifex maturandam Legationem censuit, tam ut Leges pro Regni statu optimè componendo temperandóque editæ, quæ vivo Ladislao, etsi jurejurando ab eo confirmatæ, servatæ non fuerant, eo mortuo vim haberent: tum ut pacem inter Ungaros, qui graviori inter se intestinóque bello dissentiebant, conciliaret. Quibus literis VII. id. Septembris dies adscripta est: in eámque sententiam ad Regni Præsules scriptum est, excitatúsque Romanorum Rex, ut Legato contra Tartaros ac Saracenos, qui in Pannoniam confluebant, opem porrigeret.

Mors Ladislai Regis Hung. *Raynald. in Annal. Eccl. ad ann. 1290.*

Charissimo in Christo filio Rudolpho Regi Romanorum illustri.

Lit. Pont. ad Cæs.

„Considerantes attentiùs eximiæ devotionis affectū, & zelum „reverentiæ filialis, quibus ab olim erga Romanam matrem „Ecclesiam claruisti, firmâ fiduciâ ducimur, spéque non incertâ „tenemus, ut tu tamquam princeps Catholicus circa illa te prom„ptum exhibeas & paratum, quæ superni Regis sint accepta conspectui

„ſpectui, Sedis Apoſtolicæ beneplacitis conſonent, tuæque ſalutis „profectum, & fidei orthodoxæ reſpiciant incrementum. Porrò „etſi circa ſalubrem ſtatum Regnorum quorumlibet, in quibus „Catholicæ fidei cultus viget, prædictæ ſedis curioſa ſolertia ſtu- „dium geſſerit ſolicitudinis diligentis; à longis tamen ante actis „temporibus erga votivum & proſperum Vngariæ Regni ſtatum „ſe curæ propenſioris inſtantiâ, & quadam ſolicitudine ſpeciali „vigilem & attentam exhibuit (multíſque interjectis de Firmano „Epiſcopo à Nicolao III. miſſo ſubdit) diſpoſuimus dum adhuc „eſſemus in Vrbe, ac præfatus Rex (nempe Ladislaus) viveret, „noſtris literis ſuper hujuſmodi legatione confectis venerabilem „fratrem noſtrum Benevenutum Eugubinum Epiſcopum, virum „utique providum & diſcretum, zelatorem juſtitiæ, ac nobis & „fratribus noſtris merito ſuæ multiplicis probitatis acceptum, la- „torem præſentium ad præfatum Regnum, commiſſo ſibi in eo „& nonnullis Provincijs plenæ legationis officio, deſtinare.

„Cùm autem propter obitum dicti Regis præfatum Re- „gnum non minùs ipſius indigere Legati præſentia dignoſcatur, „& propterea Legatus ipſe ad Regnum ſe perſonaliter conferat „ſupradictum; ac timeatur quòd Tartari, Saraceni, Pagani, Neu- „gerij & hæretici etiam & alij infideles, quorum ad partes illas „prout fide dignorum habet aſſertio, innumera confluit multitu- „do, execrabili ducti veſaniâ, & damnatæ temeritatis auſibus ex- „citati ad ejuſdem Regni turbationem, occupationem, & invaſio- „nem nefariam & offenſam Dei, Chriſtianitatis opprobrium, di- „ſpendium fidei, & fidelium graviſſimum detrimentum, in Re- „gno prælibato degentium, moliantur; ſerenitatem Regiam roga- „mus, & hortamur in Filio Dei Patris, in remiſſionem tibi pecca- „minum injungentes quatenus eidem Legato, tamquam Dei mi- „niſtro & operario Jeſu Chriſti contra Tartaros, Paganos, & alios „ſupradictos veluti Rex inclytus & fidelis, princepsque catholi- „cus, & devotus, pro divina & Apoſtolicæ Sedis ac noſtra reve- „rentia, Regiæque ſalutis & honoris augmento, cùm ſuper hoc ab „eodem Legato contigerit te requiri, aſſiſtas conſilijs, auxilijs, & „favoribus opportunis, ut illorum damnatis repreſſis erroribus, „pravâ intentione fruſtratâ, & perverſis conatibus penitus vacua- „tis, tibi exinde proemium ab alto proveniat, & laudis humanæ „præconium augeatur, nóſque devotionem Regiam, quam in „hac parte inveniri cupimus efficacem, uberibus in Domino lau- „dibus attollamus. Datum apud Vrbem veterem V. id. Septem-

Anno III. Hoc

Hoc etiam anno Rudolphus Dux Sueviæ filius Cæsaris cum uxore Agnete sorore Wenceslai Bohemiæ Regis, quæ Regis fratris desiderio maximè tenebatur: non minus atque ipse videndæ sororis, in Bohemiam descendit, contractóque Pragæ morbo ibidem obijt V. Idus Maij ætatis suæ anno 21. ingrediente. Sepultus est in æde Divi Viti Martyris, ingenti Wenceslai, sororísque Reginæ & Cæsaris Patris mœrore. Ex ea posthumus nascitur Joannes, qui Pisis postea inter Augustinianos vixit. Agnes verò Mater Pragæ inter Clarissas, conversa, ùt illæ vocant pientissimam vitam ducendo, finem vivendi fecit, estque à quatuor Episcopis in tumulo composita.

Mors Rudolfi Ducis Sueviæ

Pro singulari affectu, quo Romanus Pontifex in Rudolphum Cæsarem ferebatur, eundem invitârat in Italiam ad suscipienda Imperij insignia. Sed à profectione illa Rudolphus ob turbas Imperij coactus est abstinere. Deviaverat enim Imperium, ùt ex suprà allatis patebat, per temporum vicissitudines à regulari motu, & habebat necesse intelligentiâ providè ac sollicitè assistente, ut reponeretur in cursum Imperatoris dignâ præsentiâ. Considerabat Rudolphus damna, quæ per regnantis absentiam facilè per Germaniam poterant succedere. Expendebat lucra, quæ ex profectione Italica admodum exigua reportarentur. Videbat multis Imperatorum illud iter infructuosè, pluribus infeliciter evenisse. Itaque suadentibus profectionem respondebat per apologum Æsopi. Leonum belluarum Regem desiderâsse & impetrâsse, ut minor animantium populus ægrum se inviserent. Vulpem posteriore loco venisse, monitámque ingredi abstinuisse; eò quòd vestigia ingredientium plurima observâsset, redeuntium nulla: nempe priora in alimentum ægroti cessisse; sibi, nisi imprudenter perire vellet, non arridere periculum. Et Rudolphus pluribus Imperatorum contigisse ajebat, ut aut in hoc itinere perirent, aut inglorij reverterentur: se neutrorum exemplum fore prodigum Majestatis. Ita Nirembergius.

Cur abstinuerit Cæsar à profectione in Italiam.

Nirembergius in virtute Coronata fol. 92.

CA-

CAPUT XXIII.

Rudolphi Cæſaris Diploma, quô promiſſionem Henrici Ducis Wratislavienſis Wenceslao Bohemiæ Regi factam confirmat, ac Luſatiam confert. Nicolaus IV. Papa agit pro conſervatione Terræ Sanctæ apud Rudolphum Cæſarem, & eidem Eccleſiam Tridentinam commendat. Mors Rudolphi Cæſaris.

DIploma, quô Rudolphus Cæſar promiſſionem Henrici Ducis Wratislavienſis Wenceslao Bohemiæ Regi factam confirmat, ſequens eſt.

Rudolphus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

„UNiverſis Sacri Romani Imperij fidelibus præſentes
„ literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum.

„UNiverſitatis veſtræ notitiæ innoteſcat, quòd nos ordinatio- Contractus inter
„nem, ſeu promiſſionem de terra & Principatu Wratislaviæ, Regem Bohemiæ &
„& Sileſiæ, quæ à nobis & Imperio habentur in feudum, quam Henric.
„Illuſtris quondam Henricus Dux Wratislaviæ, noſter Princeps, Ducem
„cum Illuſtriſſimo & præclaro Wenceslao Rege Bohemiæ filio, & Wratislaviæ.
„Principe noſtro chariſſimo, videlicet: quòd idem Rex Bohemiæ *Balb. part.*
„in terra & Principatu Wratislaviæ & Sileſiæ, ſi ipſum Henricum *III. Epiſtolarum publicarum*
„Ducem præmori contigerit, ſibi deberet ſuccedere, inijſſe di- *f. 183.*
„gnoſcitur & feciſſe, habemus gratam & ratam, eam de plenitu-
„dine poteſtatis Regiæ confirmantes, & dantes has literas noſtras
„ſigillô noſtrô munitas in teſtimonium ſuper eo. Datum Erfor-
„diæ ſeptimo Calendas Octobris. Indictione 3. Anno Domini
„M. CCXC. Regni noſtri Anno Decimo Septimo.

Ejuſdem Rudolphi Romanorum Regis literæ, quibus concedit Wenceslao Regi Boëmiæ, & ſuis hæredibus Principatum Wratislaviæ & Sileſiæ, ac omnia feuda vacantia per mortem Henrici Ducis Wratislavienſis, hæ ſunt.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

„UNiverſis Sacri Romani Imperij fidelibus præſentes
„ literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum.

Idem fol. 183. „LIcèt munificentiæ noſtræ dexteram ad cunctos fideles, quos „Romanum ambit Imperium & officij debito nobis deſuper „recommiſſi porrigere teneamur, maximè tamen Illuſtres Principes, qui velut Aurora ſtellis prærutilans virtutum inſignijs cæteris præſtantiores, Imperialem gloriam reddunt radiantiùs illuſtratam, nos delectat gratioſiùs gratioſa dulcedine prævenire. „Attendentes itaque inclytum Wenceslaum Regem Boëmiæ „Principem & filium noſtrum chariſſimum, utpote bene meritum, condignis præmijs præmiandum, Principatum Wratislaviæ & Sileſiæ, quem à nobis & Imperio Illuſtris quondam Henricus Wratislaviæ recepit in feudum; nec non omnia feuda vacantia ex morte ejuſdem Henrici quondam Ducis Wratislaviæ, „ad Nos & Imperium pertinentia, cum omnibus ſuis attinentijs, „poſſeſſionibus, Juriſdictionibus, & Juribus univerſis, quocunque „nomine cenſeantur, dicto Regi Boëmiæ & ſuis hæredibus habenda & poſſidenda à Nobis & Imperio tenenda titulo feudali duximus conferenda. Si quid autem dimunitionis, vel calumniæ, „quod non credimus, circa prædicta cavilloſè, malitioſè vel ſubdolè poſſet opponi, ſupplemus de plenitudine Regiæ poteſtatis. „In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum noſtræ Majeſtatis ſigillo facimus communiri. Datum Erfordiæ ſexto Kalendas „Octobris Indictione 3. Anno M.CCXC. Regni verò noſtri Anno „ſeptimo decimo.

Ejuſdem Rudolphi Romanorum Regis Collatio Ducatûs Wratislavienſis tanquam actu vacantis facta Wenceslao Boëmiæ Regi ſequentibus exprimitur.

Nos Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

„AD univerſorum Sacri Romani Imperij fidelium noti-
„ tiam cupimus præſenti paginâ pervenire.

Idem fol. 184. „QUòd nos attendentes multiformia meritorum inſignia, & „virtutum & fidei præmia pretioſa, quibus Illuſtriſſimus „Wenceslaus Rex Boëmiæ Princeps & filius noſter chariſſimus „erga nos & Romanorum Imperium ſe conſtituit multiformiter gratio-

„gratiosum omnia feuda nobis, & Imperio per mortem Illustris „Ducis Wratislaviæ vacantia dicto Regi Boëmiæ, nec non suis „hæredibus tenenda, habenda, possidenda titulo feudali duximus conferenda. In cujus rei testimonium præsentes literas conscribi, & nostræ Majestatis sigillo jussimus roborari. Datum Erfordiæ XI. Kalend. Augusti. Anno Domini M. CCXC. Indictione 3. Regni verò nostri Anno Septimo Decimo.

Ducatus Wratislaviæ & Silesiæ Regi Boëmiæ conferuntur.

In summa: tot honores, tot jura, tot Provincias in Ottogari occisi filium congessit, & studiose accumulavit Rudolphus I. Romanorum Rex Austriacus, ut in hoc beneficentiæ in Reges Bohemiæ genere, omnes ante se Cæsares superârit. Ad quod porrò confirmandum non leve argumentum præbet Marchionatûs Lusatiæ in Wenceslaum Regem Boëmiæ jure feudali collatio, quam munificentissimus Imperator, his, quas subjungo, literis expressit.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„UNiversis S. R. I. fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum.

„AD universitatis vestræ notitiam cupimus pervenire, quòd „veniens ad Celsitudinis nostræ præsentiam, Illustris Fride„ricus Misnensis, & Orientalis Marchio, hæres terræ Lusatiæ, Illu„stris quondam Henrici Marchionis Misnensis junior filius, fide„lis noster dilectus nobis humiliter supplicavit, quatenus suarum „precum intuitu omnium bonorum suorum feudalium, quæ te„net ab Imperio ubicunque sitorum resignationem ad manus no„stras recipere dignaremur. Nos suis devotis precibus inclinati „dictam resignationem, ad manus nostras recipere dignabamur, „dictóque Marchioni sinceris hæc affectibus deprecanti dicta bona „nobis resignata, inclyto Wenceslao Regi Bohemiæ Principi & „filio nostro concessimus jure feudali; quibus sic ordine peractis, „idem Marchio denuo Nostro culmini supplicavit, quòd per mu„tationes factas, de terris, Oppidis, Castris, argenti fodinis seu qui„buscunque alijs rebus ad ipsum jure proprietatis pertinentibus, „sive ex paterna vel materna successione, seu donatione, vel quo„cunque titulo ad ipsum pervenerint, ratificaremus; cujus votis „favorabiliter annuentes dictas permutationes, ratificamus & ap„probamus per omnia præsentium testimonio literarum. Testes

Marchionatus Lusatiæ eidē conferatur

Rudolfus I. Imper. hæc scribit.

„hujus rei ſunt. Venerabilis Conradus Argentinenſis Epiſcopus, „Illuſtres Rudolphus Dux Auſtriæ, filius noſter chariſſimus, & „Nobiles Viri: Ludovicus de Oettingen & Emicho de Leiningen. „Comites, Joannes de Leichtenberg, & Valerius de Geroldseck. „Strenui viri Otto Burggravius de Horin, Kamoldus de Nemaus, „Hermannus de Grünbach, Hermannus de Malticz, & Herman-„nus notarius alius, & alij quàm plures; cujus rei præſens teſti-„monium & ſcriptum Majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus com-„muniri. Datum Egræ Tertio Idus Martij, indictione 2. Anno „M. CC. LXXXIX. Regni noſtri Anno 14.

Nicolaus IV. Papa agit pro conſervatione terræ ſanctæ apud Rudolphum Cæſarem.

Annus à Chriſto nato 1291. poſtremus eſt vitæ & Imperij Rudolphi Cæſaris; quo Nicolaus IV. at primus ex Sancti Franciſci diſciplina Sedem Apoſtolicam prudentiſſimè gubernabat. Is ut Ptolemaidem, quæ ſola tum adhuc in Paleſtina pro noſtris ſtabat, Chriſtiani nominis arma ducentis propè annis, ad Terræ ſanctæ ſtabiliendũ Imperium commota gerens, ut, inquam, tam nobilem urbem tueretur, milites ad vexillum Chriſti vocat, ære ſuo conductos. Hi ad mille & 500. fuêre. Verùm magna inter Chriſtianos de poſſeſſione Ptolemaidis concertatio tunc orta, ad extremum in manus Sultani Regis Ægypti venit, anno 196. poſteaquam à Godofredo capta fuerat. Idem Pontifex Rudolpho Romanorum Regi literis perſuadere conabatur, ut is unà cum cæteris Regibus ac Principibus Europæis in Syriam copias tranſmitteret. Eodem tempore Patriarcha Hieroſolymitanus Rudolphum literis hortatur ad paſſagium expoſitis periculis Terræ ſanctæ.

Patriarchæ Hieroſolymitani literæ ad Cæſarem de eodem argumento.

„Quantò, inquit, divina potentia ſublimavit Veſtram glo-„rioſiùs Majeſtatem, quantóquè donis gratiarum uberiùs vos in-„ter alios orbis terræ Principes Regis Æterni Filij omnipotentia „edotavit, tanto in his quæ tangunt Crucifixi negotium recurri-„tur fiducioſiùs ad veſtræ Serenitatis confugium, tantóque prom-„ptiùs opportuna ſubſidia veſtri Culminis, pro conſervandis hu-„jus modicæ Chriſtianitatis Reliquijs, imploratur. Et quoniam „prout omnium tenet firmiter indubitata credulitas, de dirigendo „negotio terræ hujus feliciter cogitatis, & anhelatis; propterea de „ſtatu ejus frequentiùs informari præſentia quædam tantùm & „breviter, quæ terræ hujus indigenas continua quadam fluctua-„tione concutiunt, præteritis retentis ſilentio, ne fortè narrationis „prolixitas Regium offendat auditum Magnificentiæ veſtræ, præ-„ſenti Chyrographo nunciamus. Noverit igitur Regia Celſitu-„do, quòd hoſtis Ægyptius cum ingenti exercitu ſuo exijt noviſ-

ſimè

„ſimè de Babyloniæ finibus & uſq; ad loca vicina nobis progrediens „ac ſuâ ſolitâ calliditate nunc versùs Armeniā, nunc verſus Tripo-„lim ſedet, nunc circa Tyrum & Acon, & alia noſtrorū loca diſcur-„rens graves nobis & toti Provinciæ machinatur inſidias, & virium „ſuarum experientiam celerem nobis pro paucitate noſtrorum ti-„mentibus, comminatur, apparatu neceſſarios ad expugnationē „Vrbium & alia, quæ ſui exercitûs infinitati conveniunt, ſtudioſiùs „præparando. Sed quid futura dies parturiat, in quos arcum ſuæ „pravitatis intendat, quiſvè futurus ſit rerum præmiſſarum exitus, „ignorantes ſub irruentium periculorum anguſtijs anxiamur, & „quaſi ſub gladio poſiti ſoli furoris impetum timore continuo „formidamus. In dextræ tamen potentis veſtræ auxilio reſpiran-„tes, pro qua totus populus Ciſmarinus continuas fundit oratio-„nes ad Dominum, Eminentiam Veſtram unanimiter exoramus, „quatenus de Magnificentia Regia terræ prædictæ calcatæ Chriſti „pedibus, & ſuo ſanctiſſimo Sanguine rubricatæ negotium aſſu-„mentes, dignemini pro ejus cuſtodia interim, donec per Genera-„le Paſſagium eruatur de faucibus hoſtis Chriſti, de competenti & „opportuno ſibi tot fluctuanti periculis ſubſidio providere. Vi-„vat, & valeat Veſtra Majeſtas Regia per tempora longiora, cui nos „& Terræ prædictæ negotium devotiſſimè commendamus.

Verùm Rudolphus ſenio atque ægritudine confectus etſi Pontificijs mandatis, teſtante Bzovio, ſtudioſiùs præ cæteris incumbere viſus ſit, dum Francofurtum ad Comitia indicta properat, moritur. *Annal. Bzovij ad ann. 1291. n. 4.*

Eodem anno Nicolao Papæ in Brixienſem ac Tridentinam Eccleſias graſſante Maynardo, Tyrolis Comite, eodémque Duce Carinthiæ, fuit deſudandum: protervum enim Principem, diripiendarum Crucifixi opum avidum, graviſſimis verbis monuit, ut erepta Brixienſi Epiſcopo bona reſtitueret, ejúſque culpæ ſocium Albertum Goritiæ Comitem arguit: apud Regem Romanorum, atque Albertum Ducem Auſtriæ, ac inſtitit, ut reddi ablata imperarent. Cúmque hæc parum proficerent, ſolicitavit Rudolphum, dum ſuperſtes erat, ut Maynardum, nî ablata reſtitueret, Imperiali aulâ depelleret. Romanus Pontifex commendat Cæſari Eccleſiam Tridentinam. *Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. ann. 1261. n. 66.*

Nicolaus, &c. Chariſſimo in Chriſto Filio Rudolpho Regi Romanorum illuſtri.

Filli chariſſime, ſi debitâ conſideratione diſcutias, patenter advertes, dictum Ducem (nempe Maynardum Carinthiæ, eundémque Comitem

 Tyrolen-

Tyrolenſem) *gravi ſacrilegio involutum per tam juſtam excommunicationis ſententiam à communione fidelium ſeparatum, ab omnibus tuis conſilijs & ob omni tuæ participatione curiæ, bujuſmodi ſuâ durante perfidiâ, ſeparandum. Decet enim excellentiam Regiam, imo etiam juris neceſſitas interpellat, tam manifeſtum ſacrilegum, tam notorium clavium Eccleſiæ ſibi ſubditum compeſce: contemptorem, ut temporali confuſione coactus, ſatisfaciendo de ſic manifeſtis, ſic damnatis exceſſibus ad ſinum Matris Eccleſiæ redeat, viam ſalutis repetat, & ipſam, quam in eo cunctiſque fidelibus affectamus, æternaliter Deo propitio conſequatur. Ideóque rogamus Serenitatem Regiam & bortamur attentè, quatenus ad reductionem dicti ducis à tantæ averſionis invio, inſtar Samaritani vino uſurus & oleo, ut ad noſtra & Eccleſiæ mandata humiliter redeat, ac Epiſcopo & Eccleſiæ memoratis eorum bona & jura plenè reſtituat, eíſque de tantis injurijs atque damnis debitam ſatisfactionem impendat, & ſalubribus perſuaſionibus inducere ſtudeas, & ipſum, ſi tuis conſilijs & exbortationibus non acquieverit in præmiſſis, bujuſmodi ejus averſione durante ab omni tuo & ejuſdem curiæ participio excludere non omittas. Scire quidem Regiam excellentiam volumus, & explicitè duci memorato prædici, quòd niſi beneplacitis dictæ ſedis & noſtris ſe celeriter coaptaverit in prædictis, præfatis Epiſcopo & Eccleſiæ reſtitutionem plenariam faciendo, & ſatisfactionem, ut præmittitur, impendendo, nos præter ſpirituales & temporales proceſſus contra eum babitos & habendos inpoſterum, prout ejus contumacia & protervia indurata meruerit, contra eundem ad executionem omnium proceſſuum adverſus eum babitorum, & etiam babendorum Regalis tuæ potentiæ brachium, & etiam aliorum, quos ad hoc putabimus opportunos, diſponimus invocari; omni viâ, quam Dominus miniſtrabit, ad coercendam ejus malitiam proceſſuri, quouſque ad cor rediens ſatis faciat de commiſſis, illam itaque in ijs diligentiam & ſolicitudinem circumſpectio Regia ſtudeat adbibere, ut devotionem tuam, quam in hoc promptam cupimus inveniri, condignis laudibus attollamus; túque advocatum Eccleſiarum ſollicitum, & ſtrenuum defenſorem ipſorum per effectum operum te oſtendas, ac præfata Romana Eccleſia, quæ te gerit in viſceribus charitatis, dignè præſumere meritóque ſperare valeat, quòd ſub tuæ præſidentiæ tempore libertas Eccleſiaſtica reflorebit, ſtatu lætabitur proſpero, & votivis proficiet incrementis, repreſſis & conculcatis omnino temerarijs auſibus malignorum. Quidquid autem ſuper ijs actum fuerit Regiæ ſerenitatis apicibus nobis petimus intimari, &c.*

His literis acceptis lectíſque Rudolphus opportunum fore judicabat, ſi in Comitijs Principum ageretur negotium Maynardi. Idcirco Conventum Principum Imperij Francofurtum indicit, & Maynar-

Maynardum adesse ibidem jubet. Dum verò ad sacra vindicanda, ùt supra dictum, Francofurtum properat, & quid pro conservatione Terræ sanctæ fieri possit meditatur, iter agentem febris corripit. Sensit illicò occultâ vi finem laborum imminere. Quare expiatâ per sacram confessionem conscientiâ, acceptáque à Confessario delictorum, Dei nomine remissione, Sacrosancto Evcharistiæ Sacramento, sibi ad æternitatem viatico, instrui voluit; ut sacro illi mysterio Imperium cum vita redderet, cui devotissimus semper vixerat, & à cujus veneratione Augustalem dignitatem fuerat consecutus. Mox à cœpto Francofurtum itinere destitit, Spiram se deportari mandans, atque identidem succlamans: *Eamus, eamus Spiram; ibi me Imperatores expectant.* Sepulturam innuebat antecessorum Cæsarum, ad quos ibi sepultos, consors futurus optatæ quietis, corpore contendebat. Invaluit ægritudo, dum non longiùs Spirâ in loco Germershaim nuncupato substitit. Ibi post iteratam Sacramentorum participationem pijssimè animam Deo reddidit: Obijt anno millesimo, ducentesimo, nonagesimo primo, natus annos supra septuaginta: postquam à suscepto diademate Imperiali totos ferè decem & octo regnasset. Imperator longè gloriosissimus; qui præclaris rerum gestarum monumentis Principum imitationem promeritus, belliducum admirationem consecutus, posteris in virtute participanda pulcherrimam hæreditatem reliquit. Cujus corpus regio funere Spiram delatum, in Cathedrali Templo Imperialibus conditorijs sepelitur, cum hoc Epitaphio:

Rudolphi ægritudo & ad mortem præparatio.

Niremberginus hactenus citatus in virtute coronata. f. 107.

Obitus.

Sepultura Spiræ.

Rudolphus de Habspurg, Romanorum Rex, Anno regni sui XVIII. obijt, Anno Domini M. CC. XCI. in die divisionis Apostolorum.

Epitaphium ibid.

Symbolum ipsius vocale: *Melius bene imperare, quàm Imperium ampliare.*

Symbolū.

Notæ & Additamenta.

IMperator Rudolphus Germanicam linguam in Curias, & judicia induxit, cùm antè omnia Latinè scriberentur & agerentur. Meminit rei hujus Casparus Dornavius Synopsi Historica l. 4. ita in obitu Rudolphi scribens: Exemptus autem Rudolphus rebus humanis, A. C. 1291. ætatis suæ 73. longum sui desiderium apud Germanos reliquit; utpote quorum inter alia linguam ità amavit: ut pleráque instrumenta publica, anteà Latinè scripta, voluerit

Lingua Germanica à Rudolfo exaltata.

Dornavius in Synopsi historica. lib. 4.

Frucht-bringende Gesell-schafft.

lingua Germanica deinceps exprimi, & in vulgus emitti: uti etiamnum hodie Germanicum idioma præ cæteris multis linguis vernaculis admirabile incrementum sumit per fructuosam (uti vocatur) Societatem.

Accusationes Rudolphi.

Laudatissimo Principi Rudolpho ab Historicis obijci solet, quòd acceptâ pecuniâ, complures Italiæ civitates, quæ in ditione Imperij censebantur (ùt Bononiam, Florentiam, Genuam, Lucam &c.) liberas & immunes fecerit; narrant istud Besoldus, Mutius, Crantius & Lehmannus. Spondanus quoque in Rudolphum malè animatus fuisse videtur; at Rudolphus omnes hasce accusationes, sive illæ justæ, seu injustæ fuerint, divinis & humanis virtutibus superavit & obruit. Sanè ejus labores & curæ Imperij tantæ extabant, ut visus sit illud pro scopo præfixisse, quod Imperatorum nonnemo: *Oportet Imperatorem stando mori.* Præterea à malevolis obijcitur Cæsarei exercitûs post mortem Regis Ottogari crudelitas, qui nonmodo profanis, sed nec sacris in Bohemia locis pepercit, & XII. ditissima Cœnobia spoliavit, & flammis delevit. Sed, (ùt notavit Spondanus Episcopus Appamiensis natione Gallus) absente Rudolpho hæc facta sunt, neque ullus Historicorum nostrorum vel exterorum, quantùm mihi constare potest, unquam literis consignavit jussu Rudolphi hæc, aliáve mala apud nos perpetrata. Jam ad virtutes, à quibus recensendis in contextu operis nostri abstinuimus, calamum convertamus.

Defensio.

CAPUT XXIV.

Virtutes Rudolphi Cæsaris.

PLurimas illustrissimas virtutes hactenus Rudolphi Cæsaris in contextu Operis hujus attulimus, & supervacaneum existimamus eas repetere, cùm ex ipsis titulis Capitum facilè plerásque Eruditus Lector intelligere poterit. Attamen non paucæ supersunt, quarum hìc memoriam coacervare placuit, non attento ordine & dignitate; sed uti legenti, in diversis Scriptoribus occurrerunt.

Nicolaus Vernulæus Cæsareus Regiúsque Historiographus & Eloquentiæ Professor Lovanij Virtutum Augustissimæ Gentis Austriacæ Lib. I. Cap. X. de *Indole*, quam elementum virtutis appellat, agens, inquit: Principes ad sceptra nati indole sua frequenter se produnt, & quibusdam ab ineunte ætate signis futuram claritatem suam hominibus ostendunt. Sunt nimirum velut flores qui-

quidam, qui de fructibus postea venturis spem non incertam faciunt. Experimentum ab indole captum sæpe magnum est exspectandæ virtutis argumentum. Cùm è pueritia vix excessisset Rudolphus I. Imperator, tanta virtutum indicia in eo eluxerunt, indolis magnæ signa, ut omnium hoc judicium esset, excelsos illi honores deberi, imò ad Imperij fastigium aliquando perventurum. Quod singulari divinissimi Numinis favore feliciter Germaniæ evenit. Hæc etenim cùm esset dissidijs Principum divisa, grassantium impunè prædonum depopulationibus vexata, armorum civilium tumultibus concussa, ad hunc tanquam ad Numen confugit. Et hic arreptis Imperij habenis, quas illi Septemviri detulerunt, Germaniam pristinæ dignitati, paci ac tranquillitati tandem restituit. Hæc citatus Vernulæus, Joannem Eusebium Nirembergium audiamus. Vir hic jure meritò præstantissimis Societatis Jesu heroibus virtutibus & eruditione claris adscribendus est, qui in omni ferè scientiarum genere libros scripsit, quos inter: *Virtus Coronata*, illustrata Documentis & Exemplis Imperatorum, ac Regum ex Augustissima & Serenissima Domo Austriaca, & Hispana. Ex hoc præclaro Authoris Opere liberaliter complures virtutes Rudolphi Cæsaris hactenus delibavimus, & quæ supersunt delibare volumus. Is igitur laudatâ prudentiâ, qua Cæsar in bello gerendo utebatur hæc ad propositum scribit. Consveverat dicere: Imperia gubernari per virtutem Prudentiæ, & per tyrannidem frequentiùs dilatari: sed subjungebat; quòd præstet imperare bene, quàm amplificare quomodolibet Dominatum. Utróque axiomate confundebat pronam ambitionem ad aliena concupiscenda. Cujus in Rudolfo suppressæ, ac edomitæ magnum sanè prodigium fuit, cùm Princeps esset genio, potentiâ, felicitate nulli secundus, atque ad solium non à natalibus evectus, sed virtute propriâ eluctatus, cœpisse poterat experimentum voluptatis, quâ plurimi inebriantur, sceptra sibi & coronas multiplicandi. Procul à Rudolpho omnino, quod M. T. Cicero in officijs scribit C. Julium Cæs. Imperij consuetudine captũ, semper in ore habuisse Euripidis versus in Phænissis: *Quod si violandum est jus: regnandi causa violandum est; alijs rebus pietatem colas.*

Indoles Rudolphi Cæsaris.

Vernulæus suprà citatus.

Nathanael Sotuellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu.

Tantus animo, ac fortunâ præsumptionis nihil jactabat, æquè auscultandis aliorum consilijs deditus, atque negligendis adulatoribus. Dicebat assentatores more luporum grassari: siquidem hi jumenta, quæ scalpunt, & lambunt etiam solent absumere, illi Principum exitia ac ruinas festinent, dum verborum dulcedi-

ne lethargum, ut improbæ ſirenes, immittunt. Prudentia moderationem ſuperinduxit. Non cupiditas, non faſtus auferebat Rudolphum. Suadebant multi, ut captâ opportunitate, quæ affluebat, domûs ſuæ, atque Imperij incrementa procuraret. At ille immobilis ajebat, privata lucra curari à Principe admodùm temperanter oportere: publica verò commoda non conſiſtere in promovendis finibus, ſed in bono regimine, qui ſcopus unicus eſſe debeat Imperantis, ſi Reipub. prodeſſe velit. Ita non efferebatur dignitatis Imperatoriæ eminentiâ, ut intuens quandóque Cæſareum diadema ſic proloqueretur: ô Corona quàm tu illudis oculis te appretiantium! Sed ſi homines nôſſent, quantum ex te moleſtiarum, ac curæ proveniat, nemo ſanè te humo attolleret. Rogatus cauſam; unde tanta dominandi univerſim cupiditas; ut prodigium ſit reperire quempiam, qui faſces ſeriò detrectet? cùm econtra quamlibet cæterarum artium ignorantes, atque ad illius exercitium provocati, ſine mora excuſent, atque imperitiam ultro profiteantur. Reſpondit Cæſar è pluribus eam eſſe, quòd vulgi opinione pro ſtolido, ac bardo habeatur, qui præeſſe neſciat: neminem proinde eſſe, qui ſtoliditatem velit de ſe primus enunciare. Innuebat hoc reſponſo: Dotes Imperantium à Prudentia conferri; cujus neceſſitatem cùm haberet perſpectam, ipſe in gradu eminenti per eam fieri conſpicuus ſatagebat.

Contemptus Regnorum & divitiarũ.

Munificentiâ planè Cæſareâ profuſus in omnes, in ſe ipſum illiberalior videri potuit. Non oſtentabat Majeſtatem Imperatoriam à conquiſito apparatu veſtium, aut ſatellitij, aut comitatûs. Totam reponebat in generoſitate & virtute, quæ ſola Principem in Rudolpho ſpirabant, quidquid tenuitas vulgaris habitûs obloqueretur. In caſtris planè exoſam habebat pompam, ſartis veſtibus ac refectis frequenter uſus. Faſtus ingens fuit, quo Ottocarus Bohemiæ Rex amiſſo priore prælio ad jurandam fidelitatem compulſus coram Rudolfo comparuit. Magna cum oſtentatione ſuperbivit aula omnis, jumento quoque, textis auro phaleris, quas pretioſi lapides diſtinguebant, invehebantur. Paludamento nitebat Ottocarus, oſtro, & raritate gemmarum radiante. Perſtringebat Cæſareorum oculos Illuſtris apparatus, & ne quid in Majeſtate Imperatoria deſideraretur, hortabantur Rudolphum proceres, ut poſito viliore nitentiorem habitum indueret, qui dignitatem æquaret. Riſit ſupervacaneam ſuorum ſolicitudinem Cæſar, & quandoquidem, inquit, Rex Bohemiæ toties griſeam veſtem meam deriſit, fiat, ut veſtis mea griſea eundem derideat. Vos

Modeſtia in veſtitu.

quoque

quoque convenit abſtinere à pompa; armis induamini, caſſide caput & thorace æreo pectus armate. Haſtas & apparatum militarem, quo ferimini ad pugnam, ſuccincti adſtate, ſinite Bohemos opum oſtentatione ſplendeſcere, vos æra, & robur martium monſtrate. Hæc enim verò vos ſola decent, ac me. Fecêre imperata Palatini. Et Imperator vulgari penulâ indutus adfuit juramento fidelitatis, atque homagio recipiendo.

Juſtitiæ Zelum ſæpius in narratis ſuſpeximus. Huic virtuti gemella Pax eſt. Ambæ in pectore Rudolphi amico complexu jungebantur. Vires, ac fortunam bellicam quærendæ tantummodò paci impendebat. Hanc ut conſtantem obtineret, tentabat initio premere motus omnes litigantium, aut pactis, aut armis. Ita Principum ſimultatibus diſturbatis locum rationi faciebat. Nec erat, qui adversùs monentem tergiverſari vellet, cujus expeditæ deliberationes, ac vires notiſſimæ ſuggerebant argumentum ad tranquillitatem. Interdum, ne motus graviores cieret, diſſimulabat advertere, quæ fiebant, nec tricabatur in minutijs rerum, aut exiſtimationis. Studium pacis.

Fuit Principum Clementiſſimus Rudolfus. Facillimus ad veniam, cùm demiſſi, ac ſupplices deprecarentur, etiam Rebelles, affirmabat pœnitere ſe, quòd aliquando inclementior, nunquam autem, quòd nimiùm facilis fuerit. Ita loquebatur, cum dicerent nonnulli Rudolfum ab accepto diademate mores mutâſſe, atque jam ſupra genium, imò ultra quàm oporteat, eſſe clementem. Intererat balliſtariorum concertationi Imperator, uti exercitijs quibuſcunque militaribus adeſſe cum voluptate ſemper conſueverat: Ex his imperitior, dum incautiùs arcum tractat, jaculo de manibus elapſo non longè abſentem Cæſarem graviùs ferit. E veſtigio ille in carcerem ad pœnas, ut ex orcheſtra ad palatium Cæſar pro vulnere curando. Conclamant ex adſtantibus nonnulli præcidendam eſſe improbo manum, quâ ſic improvidè in Principem peccâſſet. At Rudolfus benignior: egregium verò & opportunum conſilium! priùs præcidi manum oportebat, antequam telum jaceret, & feriret; numquid vulnus ex præciſa manu curabitur? ſolvite hominem à vinculis, ac dimittite. Clementia.

Penè oblitum Majeſtatis reddebat Humanitas, adeo condeſcendebat in omnes, ut conſolaretur & benefaceret. Etiam irâ commotus incitationem animi manſuetudine attemperabat. Omnia opera Charitatis dulcore condiebat: viciſſim Charitate univerſorum colebatur. Sed & affabilitatem non deſerebat Maje- Humanitas.

ſtas. Regum legati, ac Principes Imperij ad affatum Rudolfi tremere & obmuteſcere ſunt ſoliti. Ipſe verò diſcutiebat trepidationem humanitate, & ſale, ſic dicam, Regio revocabat obmuteſcentes ad vitam. Duo exterorum Principum Legati ad alloquium convenerant: canus alter barba, & capillo niger, alter canus capillo, & niger barba. Animum utrique facturus ad perorandum Cæſar, quæſtionem antea in aula motam de cauſa tanti inter capitis & menti utrinque pilos diſcriminis in medium advocat, & ſi negotia feliciter expedire vultis, priùs, inquit, edicite, quo caſu factum putetis, ut caput mento non reſpondeat in colore pilorum. Repoſuit alter Cæſariem ſibi multò antè natam, quàm barba creſceret; ideóque priùs incanuiſſe. Subdidit alter tinctam fuiſſe abs ſe barbam frequentiùs, quàm capillitium, atque ita ex conſuetudine bibendi acceleratam ſibi humiditate maturitatem, ac ſenium barbæ priùs, quàm capilli. Reſponſo feſtivè accepto Cæſar promptè auditos benignè dimiſit. Pari quæ Majeſtatem conſequebatur munificentia claruit Rudolphus. Prœmijs obſequia ſibi ac Reipublicæ impenſa locupletiſſimis compenſabat: ſtipendia ut militi exhiberentur, ſingulariter curabat: ut, qui officio ſuo cum ſatisfactione præfuiſſet, abiret ſine remuneratione non ferebat. Præ cæteris eos honorabat prœmijs impenſiùs, in quibus capacitatem negotiorum, munerúmque conferendorum experiebatur. Quod pluribus exemplis per hactenus narrata probavimus.

Munificentia.

Aptiſſimè ad propoſitum Vernuleus Virtutum Auguſtiſſimæ Gentis Auſtriacæ Lib. II. Cap. II. Magnorum, inquit, Heroum eſt liberalitate & beneficijs nunquam ſuperari. Quippe liberalitas Principum propria dos eſt. Imò magnũ eſt firmandi Imperij Principibus inſtrumentum. Nec minùs auro muniti eſſe Reges debent, quàm ferro; hoc contra hoſtes utuntur, iſto in ſui obſervantes, bene meritos & egenos. Rudolphus I. Imperator, quaſi Genti ſuæ virtutum omnium hæreditatem relinquere deberet, nullam omiſit. Ita liberalis fuit, ut nullum vel de ſe, vel de bono publico bene meritum ſine præmio eſſe ſineret.

A Virtutibus Rudolphi ad teſtimonia Scriptorum, quæ de ijſdem fuerint, calamum convertamus.

CAPUT

CAPUT XXV.

Testimonia Scriptorum de Virtutibus Rudolphi Cæsaris.

UT præcedenti capite arbitrabar fore supervacaneum repetere Virtutes, quarum in contextu Operis mentio facta est, ita hìc supervacaneum arbitror repetere testimonia, quæ de Rudolpho præter summa Ecclesiæ Capita à viris eruditione claris allata sunt.

Testimonium Abrahami Bzovij.

Ahrahamus Bzovius Polonus Ordinis Prædicatorum, cujus Eruditionem libri ab ipso editi palàm loquuntur, in Annalibus suis Ecclesiasticis ad annum 1291. asserit Rudolphum fuisse Religionis studio, modestiâ, facilitate, clementiâ, & justitiæ amore facilè Principem, laudandúmque summè in eo censet, quòd Confessarium suum semper comitē itineris habere voluerit, ut ei peccata sua confiteretur, & cujus in rebus dubijs consilium exquireret.

Joannis de Bussiers in Flosculis Historiarum.

Joannes de Bussiers Gallus, Societatis Jesu Religiosus in electione Cæsarea Rudolphi, ejusdémque morte hæc annotavit. Tandem, inquit, post diutinum interregnum, Electores in Rudolphum Habspurgensem Comitem conveniunt, debentem virtuti plura, quàm fortunæ. Hic sua contentus Germania, Italiam Imperatorum scopulum vel fugit, vel sprevit, nunquam persuasus ut eam adiret. Et habuit in Germania triumphorum materiam: primùm in Ottogaro Bohemiæ Rege opibus præpollente, quem armis & contemptu fractum adegit ad veniam, iterúmque reparatis viribus tumidum, vicit in acie à gregario peremptum milite. Inde Austriâ Alberto filio datâ, familiæ Austriacæ celeberrimæ in posteris, Regúmque feracissimæ nomen dedit. Et in Helvetios Burgundósque quater & decies repetitis pugnis totidémque palmis, *Victoriosi* titulum Rudolphus adeptus est; ubique dignus quem ambiret victoria. Jam senex obijt, clementiâ & comitate morum infra Augustum; imò supra, cùm maximè Principes demissione sui emineant.

Gerardi de Roo in Historia Austriaca Lib. I.

Gerardus de Roo Serenissimi Ferdinandi II. Archi-Ducis Austriæ Libro I. ita in Rudolphi obitu scribit: Fuit Rudolphus multis magnísque virtutibus insignis Princeps sive animi, sive corporis dotes inspicias. In rebus enim agendis tanta dexteritate, tantáque prudentia ac solertia usus est, ut nemini secundus sit habitus, in religione & cultu divino propagando quanto fuerit zelo & fervore: vel amplissima monaste-

ria ab ipſo partim de novo fundata, partim verò reſtaurata, & magnis proventibus dotata, teſtimonio eſſe poſſunt. Quibus & hoc non contemnendæ pietatis exemplum addere viſum eſt. Quòd aliquando Sacerdoti, Sacro-ſanctam Evchariſtiam homini ægroto deferentem, obviam facto equum, cui inſidebat, donavit, indignum ratus hunc pedes ire, & ipſum equo vehi. In hoſte aggrediundo, aut alio periculo ſubeundo, quàm fortem ac circumſpectum & planè imperterritum ſe ſemper præbuerit, vel tot victoriæ, ab hoſtibus ſuis conſecutæ indicio ſunt. Conſtat enim ex quatuordecim eum conflictibus victoriam reportâſſe, ita ut reipublicæ non utilis tantùm ſed propè neceſſarius fuerit.

Hieronymi Gebvileri de ortu Familiæ Habſpurgo-Auſtriacæ.

Hieronymus Gebvilerus poſtquam Rudolphi perſonam deſcripſiſſet, mirâ, inquit, cibi potúſque temperantiâ fuiſſe ajunt, in agendis rebus prudentiâ & ſolertiâ nemini ſecundum, divini cultûs & plantatorem, & defenſorem ferventiſſimum, in bello aut hoſte aggrediundo fortem ac circumſpectum, &c.

Caſp. Dornavij in Synopſi hiſtor. univerſ.

Caſparus Dornavius Philoſophiæ & Medicinæ Doctor Hiſtoriæ Vniverſalis Synopſi Lib. IV. Cap. XXXII. affirmat Rudolphum Cæſarem excelluiſſe pietate, auctoritate, gratiâ, fide, prudentiâ, magnitudine animi, felicitate, aliíſque virtutibus, & totum in honeſtando augendóque Imperio Germanico ſub initium ſuſcepti Imperij fuiſſe.

Joannis Fugger in Spec. Honor. Domûs Auſtriacæ.

Joannes Jacobus Fugger Liber Baro in Weiſſenhorn in Hiſtoria Auſtriaca Germanicè à ſe conſcripta (quæ Hiſtoria reviſa & aucta prodijt Anno 1667. evulgata à Sigiſmundo de Bircken ſub titulo: *Speculum Honoris Domûs Auſtriacæ*) aſſerit Rudolphum Glorioſum Imperatorem multíſque virtutibus decoratum, quæ eum uſque ad hæc tempora reddunt immortalem. Eundem comparandum cenſet magnis Imperatoribus & Heroibus: Felicitate Auguſto, Bonitate Trajano, Pietate Antonino, Frugalitate Curio, Integritate Fabricio, Fortitudine Horatio; ex amore autem Dei hominis Crucifixi Magno Conſtantino. Nuncupatur ab eodem præterea Pater, Liberator & Reparator Patriæ, Juſtitiæ tutor, ac reſtitutor, hoſtium ſupplantator, prædantium monſtrorum domitor Herculeus, togâ ſagóque: *Utrum lubet* præluſtris. Summæ fortunæ humilis moderator, & qui Majeſtatem lepore, Humanitatem rigore temperavit. Conſtans denique Dei amator, à quo cuncta exorſus, nil non perfecit.

CA-

CAPUT XXVI.

Elogium Rudolphi I. Cæſaris.

MUlta mihi de Rudolpho obtigêre Elogiâ, quæ manibus verſarem. Unicum illud cæteris omnibus Elogiographis præripuiſſe videtur palmam, quod olim ſæculô noſtrô Erudititiſſimus & omnimoda doctrina ornatus & excultus Nicolaus Avancinus è Societate Jeſu magnis in officijs conſtitutus, ac tandem Aſſiſtens Germaniæ Romæ creatus Rudolpho Cæſari eleganter concinnavit. Illud omnium locô hìc ſubnectere placet.

Huc oculos, ſi ſpectaculum amat orbis;
Huc animos, ſi miraculum.
Rudolphus Habſpurgicus,
Auſtriaci Fundator Imperij,
Archi-Ducum, Regum, & Heroum Parens,
Regum Auguſtus, Auguſtorum Imperator,
Unus ſufficit oculorum curioſitati, animorum cogitationi,
Nihil non amabile ſuggerit aſpectibus,
Nihil non animis admirabile.
Idem miles, & pius; Princeps, nec cive ſuperbior
Imperator, nec gravis Imperio;
Glorioſus, nec tumidus, Victor, nec ſanguinis avidus,
Magnis major; nec minimos dedignatus;
Cum minimis verſatus, nec ſeipſo minor;
Felix, & continens, fortunatus, & ſobrius,
Judex, & Advocatus, Dominus, & Pater.
Quem infeſtârunt curæ, nec diſtraxerunt animum,
Involverunt negotia, nec exturbârunt otium,
Exagitaverunt bella, nec ſuſtulerunt pacem,
Concuſſerunt procellæ, nec excuſſerunt malaciam,
Cui nullæ obviârunt difficultates, quas non perruperit,
Nullus occurrit patriæ hoſtis, quem non fregerit:
Cui ſecunda ancillata eſt Fortuna, nec evexit,
Quem impetivit adverſa, nec proſtravit.
Adverte ſpectaculum, obſtupeſce miraculum.
Omnia paucis complectere:
Rudolphus I. Auſtriacus Imperator.
Regiam ejus originem ut inveſtiges, ſæcula tranſcende,
Adúſque Clodoveum, adúſque Pharamundum:

Nec tantam post sæcula ejus magnitudinem admirare,
Cujus ante sæcula tanta fuêre principia.
Accepit eminùs Regium sanguinem, ut relinqueret Imperatoriū,
Alberto Proavo, Avo, & Patre progenitus
Omnium titulos factis implevit,
Idem Dives, Taciturnus, & Sapiens.
Miraculum fuit.
Vnus par tribus, tres uno non majores.
Cùm per virtutum semitam corriperet iter, evasit ad Imperium.
Hàc enim venit dignitas, quà virtus præit:
Ista vulgo eximit, & sola Augustos facit.
Vt solium conscenderet, gradus sibi instravit
Fortitudine, & Pietate:
Illa terras subegit, hac cælos attigit.
Nemo non altior evadit, cùm fusos hostium calcat acervos:
Nemo non sublimior, cùm animo cœlum transcendit.
Sub Friderico II. ad sagum, & togam eruditus,
Miraculum fuit.
Sub impio Magistro juvenem adolescere ad pietatem.
Cùm enim soleant Regis ad exemplum formari aulæ,
Monstrum est, sub impio Cæsare pius Palatinus,
Dissimilibus esse à suo Imperatore moribus,
Et non tantùm non displicere, sed etiam coli & amari
Miraculum est excellentis virtutis,
Et dignum porrô, quod cœlesti etiam charactere delineetur.
Cùm esset omnibus amori, Astrologo fuit venerationi.
Ab hoc penè tantum Rudolpho, quantum sibi Cæsari deferri
Admiratus, ac propè indignatus Fridericus,
Didicit per occultam cœli vaticinantis scripturam legi,
Rudolphum hodie Comitem, olim Imperatorem.
Ità cùm latere crederetur, jam sui famam astris impresserat.
Miraculum fuit,
Terrenæ dignitatis ideam siderum charactere describi.
Cœpit exinde in Imperatoris aula æstimari Rudolphus,
Quòd ejus nomen scriptum esset in cœlo:
Illustre est enim, quidquid in stellis spectatur.
Ex aulæ delicijs jam adultior progressus in Martis arenam,
Scutum se periclitanti Bohemiæ opposuit.
Miraculum fuit,
In blandientis aulæ palæstra miles ad fortitudinem eruditus,
Vbi

Vbi emarcuit non unus Hercules, formatus ad bella Rudolphus.
Portento enim ſimile eſt, non tantùm non diſſolvi luxu,
Sed ibi etiam indurari, ubi cæteri emolleſcunt.
Quid Marte poſſet, eo deſcripſit in campo,
In quo, quid totis Vngariæ viribus non poſſet, Bela ſignavit.
Vnius Ducis virtute paucorum numero nixâ id effici,
Vt tantum ferri pondus tam levem volaret in fugam,
Miraculum fuit.
Vt victorijs certitudinem præmitteret, pugnavit ingenio,
Nullum aggreſſus bellum, cujus exitum non prævideret felicem,
Adamantiâ ſibi eâ lege conſtitutâ:
Cujus finem non proſpicis, principium non aggredere,
Sæpè enim ſecunda initia trahunt exitum inſecundum,
Vt terrarum ſuarum fines tueretur, produxit gloriæ.
Jurium ſuorum tenax, nemini injurius,
Miraculum fuit,
Quòd, cùm ſibi infeſtos invicto ferro debellaret quàm plurimos,
Alieni tamen minimùm appetens ſuo contentus viveret,
Illam Martis exoſus legem:
Ut ditionibus tuis ſecuritatem aſſeras, invade alienas.
Peſſimum ratus felicitatis medium, alios facere infelices.
Vt Columbariam ſibi aperiret, militem ſuum vaſe concluſit:
Et qui Trojani æmulatus ingenium, renovavit exemplum.
Annona ſuſtentando militi caſtrum ſubire credebatur,
Miles fuit urbem domiturus ad obſequia.
Miraculum fuit,
Vno vaſe, non tam Philoſophum tegi, quàm victoriam parturiri.
In Ultenbergios candidorum equorum uſus ſtratagemate
Fecit, ut crederentur domeſtici, qui venerant oppreſſuri.
Miraculum fuit,
Eum media in urbe ſedere, qui totis mœnibus excluſus putabatur,
Nec errârunt tamen Vltenbergij,
Cùm ſe amicum, adeóque ſuum excipere militem arbitrarentur:
Quoquò enim ſuas Rudolphus copias immiſit,
Hoſtiles inferre animos non ſuſtinuit.
Ad privatam vitam cùm ſe ſubduceret, eruditus eſt ad Imperium.
Venationi intentus cùm feras inſequeretur, (ſimi,
Vnam cœpit, quàm ſequuntur quàm plurimi, aſſequuntur paucíſ-
Majeſtatem Romano-Germanici Imperij.
Obvius, ſub nube Panis, Deus

Non latuit oculatam pietatem Rudolphi,
Quem ut venerabundus adoraret,
Ex equo desilijt, nescio, dicámne in solum? an in solium?
Certè inde cœpit ad Majestatem ascendere,
Vnde visus est ad sui depressionem descendisse.
Miraculum fuit,
Per ipsum descensum excelsiorem stetisse pietatem,
Et tunc magis spectatam, cùm se deprimeret.
Dominum peditem conspicatus,
Indignum reputans servum equo deportari,
Seipsum in pedes, Dominum in sellam reposuit,
Suæ demissionis obsequio sedentis majestatem testatus.
Medicum, qui ad ægrum deportabatur secutus,
Artem Imperij morbis medendi suæ stirpi transscripsit,
Pietatem Evcharisticam.
Honoratum semel sessore Deo Bucephalum
Vetuit porrò ministerijs hominum occupari.
Miraculum fuit,
Quòd seposito equo pernicior pedes ad gloriam pervenerit,
Et insecutus cœli Imperatorem assecutus sit terræ Imperium.
Ita nempè sunt humana divinis aut nexa, aut obligata,
Vt illa, etsi non quæras, per ista obtineas,
Et quando cœli Domino mortalem fastum submittis,
Ad dignitatis fastigium altiùs eleveris.
Nondum magnitudinem suam agnoscebat Rudolphus,
Quam arcano Dei decreto statutam vidit Vestalis Virgo,
Ausa sine Sybillæ ambiguitate vaticinari,
Rudolphe, post novem tibi remunerabitur Deus, quod herì fecisti.
Stetit oraculo veritas post annos novem.
Interim in quartam olympiadem se fatigabat ambitio,
Et per Fortunæ licentiam tempestas lacerabat Germaniam.
Vel non conveniebant in unum Electorum suffragia,
Vel consentientium unionem discindebat potentior.
Duæ enim sunt pestes consiliorum, ambitio, & potentia:
Quarum altera dispergit suffragia, altera colligit,
Ista vi, & metu, illa fraudibus, & blanditijs.
In ambientium copia summa idoneorum egestas fecit,
Vt cogitaretur de Imperatore, qui de Imperio nihil cogitabat.
Ita, cùm versat cœlum consilia,
Prodit plerúmque ex honoris urna, qui honorem non petit.

Vetus enim Poëtarum non figmentum, ſed veritas eſt,
Honorem alatum eſſe, ut ſequentes fugiat, fugientes aſſequatur.
Miraculum fuit,
In communi plurium curſu ad Imperij ſolium,
Eum præoccupâſſe metam, qui de curſu non cogitabat.
Sed currebat tamen Rudolphus virtutis heroæ paſſibus,
Quibus ipſe, quò perventurus eſſet, ignorabat.
At repentè ſe Majeſtatis titulo ſalutari audivit.
Adeò verum eſt
Eos celeriore impetu ad dignitatem ferri,
Quos gravat heroicorum facinorum pondus,
Quàm quos alæ ambitionis deportant.
Interea Baſilicis ad Baſileam factis intentus animus,
Et mens humanâ altior improbi voti ſibi non conſcia,
Primas ſalutantium voces æquè riſit, ac audivit.
Pectus enim loricatum non penetrabant lenocinia
Ratus prudentis eſſe,
Non facilè credere, quod primâ facie arridet,
Nec occurrere blandienti Fortunæ, ſed trahi.
Nemo enim ſecuriùs eam tenet, quàm qui adit invitus.
Stetit veritati robur, dum ſtetit ſuo robori Rudolphus.
Aquas evocatus Baſileam obſidione ſolvit.
Ita repentè vel nomen Regium aſpiravit clementiam,
Vel clementiâ priùs virtutes ſuas coronari voluit,
Quàm caput ſuum pateretur Majeſtate redimiri:
Propterea quòd *nullum ſit dignius Majeſtatis experimentum,*
Quàm lenis potentia, & clemens victoria.
Comitata eſt abeuntem, quæ excludebat præſentem, Baſilea,
Et ne totum dimitteret, quem vi repellere moliebatur,
Ingentis ei magnitudinis ſtatuam erexit:
Vt ſe ſimulachro delectaret, cùm Rudolpho non poſſet.
Adeò *mollis Principum animus frangit populorum duritiem,*
Et miti manui omnis cedit pertinacia.
Quam dura obſtinatam, ſæpè & indomabilem facit.
Aquas ingreſſus, ingreſſus eſt expectantium corda,
Occupavit amores, exceſſit deſideria.
Stetit excelſus in ſolio, ſed animo nihil elatus.
Imperatoris nomen accepit ut umbram,
Sive quæ ingentem Herois ſequeretur virtutem,
Sive quam laſſæ Germaniæ concederet in quietem.

Vnam accepit coronam par pluribus:
Quam enim implebat capite, animo longiùs excedebat.
Miraculum fuit,
Sub uno diademate multiplex Imperator.
Non aderat Cæsari inaugurando sceptrum ministrorum incuriâ,
Sed ne abesset, curavit Pietas inaugurandi
Pium ingenium arripuit Crucem, quam orbi imponeret,
Non in tormentum, sed in quietem,
Cùm Pacis Nostræ signum in manus acciperet,
Quibuscum sibi posthac ineunda essent bella decrevit,
Audite impij in Deum, audite rebelles in patriam:
Hoc, inquit, *Sceptro*, *Quo Deus regnat*,
Vtar contra hostes Dei, *&* *imperij*.
Quid augureris, cùm eodem sceptro regnat Deus, & Rudolphus?
Dicámne, *non tolletur sceptrum de Domo ejus?*
Addámne, *& regni ejus non erit finis?*
Vix manum Rudolphus unâ Cruce impleverat,
Illicò, novum de cœlo parelium, crux altera *fulsit*,
Quæ ab oriente in Occidentem ducta,
Geminis brachijs Arcticum, & Antarcticum polum contingebat.
In hoc nascentis Austriaci Imperij horoscopo descripsit Deus,
Quos adusque limites Majestas Austria se protendet.
Nec fefellit character veritatis.
Quà surgit Oriens, quà jacet Occidens,
Quà tumet Septentrio, quà declinat Meridies,
Quidquid Crucem adorat, Austriæ potestatem reveretur.
Horam tenuit amœnum spectaculum, & horror subiit.
Candidus astrorum Crucem describentium aspectus,
Repentè mutatus in sanguinem terruit intuentes.
Ita nati sumus: pejora etiam de optimis legimus,
Et omen quodvis timendi consvetudine sinistrum credimus.
Sed amabiliorem cœli characterem legit Rudolphus.
Si Dominus, inquit, *vitam mihi prosperitatémque concesserit,*
Vel Deo transmarinas partes militari classe lucrabor,
Vel sanguinem meum Domino Jesu consecrabo.
Vox digna Cæsare! votum Rudolpho dignum!
Hac lege adire Imperium, ut subsit Deo, qui præest alijs,
Et Crucis signum, quò profert arma, in corda serat.
Cætera, quæ Reges bella gerunt, exosa sunt cælo,
Quæ gerenda sumuntur pro Deo, etiam amantur ab hominibus,

Miracu-

Miraculum fuit
Fracta Crucis prodigio Principum pertinacia,
Qui unius, olim domandi, fraudibus, & exemplo perſuaſi,
Et Cæſarem venerari, & Sacramentum dicere detrectabant.
A Cruce ſalutis auſpicium ſuæ collegit Germania,
Sed Rudolpho acceſſit tormentum.
Ita nempè agnata ſunt, utilitas populi, & Regis cruciatus,
Vt, niſi torqueatur Caput, elangueſcant membra.
Vacare ſuis, & populi commodis nemo Regum potuit;
Remittenda eſt ergo tuorum cura, ut cures aliena.
A ſolio progreſſus in campum ſignavit victorias:
Quòd otio ſibi interdictum crederet, dum coronam ſumeret.
Neque enim conſiſtunt unà, Imperatoris nomen, & quies.
Illius uſus eſt laboris obligatio.
Cæſareæ ergo dignitatis auguſta principia.
Inauguravit bellis, nobilitavit victorijs,
Redacto intra ſuos limites Wirtenbergico Duce,
Devicto Marchione Badenſi,& Neoburgenſi Comite,
Friburgenſi, & Palatino ad obſequia coactis,
Et Friderici reliquijs mirâ celeritate oppreſſis:
Vt toties Principum factionibus dilaceratus Septentrio,
Cùm ſe compoſitam videret, componi potuiſſe miraretur.
Miraculum fuit,
Toties à tantis laceſſitum ſemper omnibus ſuffeciſſe.
Non valebat interim, aut non volebat Imperatorem colere,
Qui Comitem noverat Rudolphum, Ottocarus,
Invidia enim, non quos præcedat attendit, ſed quem ſequatur,
Nullo contenta loco, ſi primum non obtinuerit.
Hunc quiſquis occupet, vel eo titulo odit, quòd antecedat.
Qui ergo electum dolebat, irritam electionem proclamabat,
Vt, quam obtinere ipſe dignitatem ſolij non merebatur,
In Rudolpho quoque vel ſuſpectam redderet, vel infirmam.
Collidi cœperunt inde Germaniæ, ac Bohemiæ ſceptra,
Vnde emicuit ignis in graviſſimi belli incendium.
Neque enim decuit Majeſtatem vel ab uno, impunè deſpici,
Ne apud omnes Cæſaris auctoritas periclitaretur.
Nam ut cætera ſerpunt vitia, ſic regum contemptus:
Vt, ab uno vilipendi ſi toleret, mox populi fiat ludibrium.
Nec cauſa bello deerat, Auſtria vacante Imperio occupata,
Eripienda poteſtati Bohemi, Germaniæ juri reſtituenda.

Moderata tamen ſecutus conſilia experiri per Legatos voluit,
Num malè poſſeſſis ſponte cederet, ne per vim cogeretur.
Sed dura eſt livoris indoles, & rationis ut plurimum incapax
Quódque non poteſt æquitatis titulo, iniquis armis defendit.
Jura humana qui deſpexerat, jura gentium non reſpexit.
Legatorum partem, ne dimitteret, infami ligno ſuſpendit,
Partem, ne honorem referret, contumelijs affecit.
Momordit, ut par erat, Cæſarem ſuorum injuria,
Et priora vulnera novo dolore exacerbavit.
Mox ergo decreta vis eſt, cùm juri non eſſet locus,
Et repentè Auſtria inundatione Martis occupata.
Coactus eſt demiſſus, & ſupplex in genua Ottocarus,
Qui inſano tumore ſupra Rudolphi diadema nitebatur,
Quia verò *ſuperbo omnis dimiſſio eſt confuſio*,
Latere ſuam Bohemus adgeniculationem petijt: impetravit.
Sed latuiſſet minùs, ſi magìs parere ſuſtinuiſſet.
Subijt Rudolpho arrogantiæ confundendæ ſtratagema,
Vbi confuſionis cælandæ Ottocarus quæſivit argumenta.
Ita plerúmque certant æmulorum ingenia,
Vt ars arte, fraus fraude elidatur.
Res agebatur ſeria, Sacramentum Regis in manus Imperatoris:
Sed obducto ſipario tegebatur hujus Majeſtas, illius ſubmiſſio.
Reductâ cortinâ viſus eſt cum militum cachinno,
Rex adgeniculans Rudolpho.
Tranſivit ad poſteros fabula, ut rideatur à ſæculis,
Qui à paucis ſuam videri ſubmiſſionem detrectabat.
Hæc ſuperbi animi juſtiſſima eſt pœna,
Vt dum paucorum effugit riſum, incurrat multorum.
Sed ſpectaculo Comico ſucceſſit Tragicum, agente fœminâ.
Mitiùs ab hoc ſexu, cùm iras coquit, ſperare quid poſſis?
Furente fœminâ nihil eſt crudelius.
Cunegundis ergo novas flammas inſpirat Ottocaro,
Vt acceptum opprobium vulnus Rudolphi ſanguine curet.
Revolvitur in campum majore furore, minore eventu.
Raro enim ſecunda ſunt bella, quibus fides rumpitur,
Vrgente ſemper ſuam firmitatem Sacramento.
Congreditur cum Rege Imperator minore manu, majore animo:
Et, qui necem allaturus venerat, Ottocarus ſtragem tulit.
Miraculum fuit
Equo ſuo dejectus Imperator, & cum paucis victor.

Miraculi auſpicium à Caſtrorum Acie ordinatâ venit.
Hæc invocata de cœlo ſtragem tulit.
Quatuordecim bellatorum millia cum Rege ſuo occubuerunt:
Alij vel ſoluti ſunt in fugam, vel conſtricti in vincula.
Potitus victoriâ erexit trophæum Tulnæ,
Sanctæ Cruci Veſtalium Virginum immortale Cœnobium,
Vt eſſent Virgines, dum durat Auſtria, quæ Virgini referrēt gratias.
Auſtriam exemiſſe jugo, libertati repoſuiſſe contentus,
Omni in Moravos, ac Bohemos violentiâ abſtinuit.
Vt glorioſam vindictam in Wenceslaū Ottocari filium extenderet,
Ei Bohemiam reſtituit, & filiam ſuam Matrimonio dedit.
Hæc jam exinde Auſtriacorum Principum eſt indignatio,
Vt ut gravibus ſuis offenſis bene merendo obviare.
Ne meminerint injuriarum, beneficijs tegunt,
Illud ſectati vindicandi genus,
Quod ſibi eſt innocuum, hoſtibus immune, utríſque glorioſum.
Miraculum fuit,
Quod habere poterat regnum, alteri conſignâſſe.
Vero ac potente Rege edomito in ficticium converſa arma,
Nobilis actorem fabulæ Pſeudo-Fridericum
Non fictâ cataſtrophâ ex vitæ theatro exturbârunt.
Occaſu ſuo illuſtris impoſtor docuit,
Imaginariæ dignitatis certum eſſe de ſolio lapſum,
In quo vera, non ſine trepidatione, conſiſtit.
In Italiam vicarijs armis, & imperijs extenſa poteſtas,
Gliſcentem inter Principes ignem extinxit,
Sueviam, & Alſatiam domito Marchione Badenſi pacavit,
Veſontione captâ nutantem Burgundiam firmavit,
Belgradum cum ſuo Comite in poteſtatem redegit,
Thuringiam, ac Luſatiam ſecundis prælijs fregit
Centenis nobilium prædonū arcibus everſis purgavit Germaniā,
Preſſit Wirtenbergiam, ſtrinxit Studgardiam, cepit Erfordiam,
Hagonoiam, Colmariam, Turregum, Bernam vi occupavit,
Et Helvetios victorioſis armis ad officium coëgit.
Quatuordecim ingreſſus prælia, ſemper victor exivit.
Miraculum fuit
Imperator ſemper in armis, nunquam clementiæ oblitus,
Semper ferreus, nunquam ferus,
Acceſſu facilis, affatu benignus, in vota pronus:
Cujus uno in pectore furor, & favor, Mars & lenitas,

Cujus unà in manu argentum, & ferrum,
Illud munificentiæ, hoc fortitudini impendendum.
Miraculum fuit,
Idem veteris Germaniæ Servator, Imperij
Idem Conditor Austriaci Rudolphus.

Qui Cæsaribus Elogia (quæ successu temporis successivè dabimus) concinnavit, etiam ab Ipso Augustissimo & Invictissimo Cæsare Leopoldo sequenti Elogio post mortem est honoratus.

I.

nICoLaVs aVanCInVs è soCIetate
IesV assIstens gerManIæ, festô
sanCtI nICoLaI obIIt: LVgete.

II.

heV MVsæ DoLete, Vester phœbVs
aVanCInVs obtenebratVs est.

III.

nICoLaVs aVanCInVs Inter præCLaros
eLoqVentIæ prInCIpes ConnVMeratVr.

CAPUT XXVII.

Series Imperatorum, Regum, Imperatricum, Reginarum ex Domo Haspurgico-Austriaca ortarum.

HActenus Pietatem Augustissimæ Domûs Habspurgo-Austriacæ prosecuti, subjungimus seriem Imperatorum, Regum, Archi-Ducum, Imperatricum, Reginarum, Archiducissarum, &c. quorum secuturis partibus suscepti Operis mentionem faciemus, ac velut ex vernantissimo horto Augustissimæ Domûs Austriacæ flores ac adornamenta Virtutum sumus collecturi.

Præsens autem Caput ut longitudine & amplitudine sua Lectori sit acceptum magìs, in necessarios paragraphos subdividemus.

§. I.

Imperatores ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca.

IMperatorum tituli & Epitheta varia ſunt. Dicti ſunt Domini, quòd legibus ſoluti, appellati quóque Divi, quòd poſt mortem, ait Iſidorus, nomen Deorum obtinerent. Auguſti etiam vocabantur, quaſi aucti, unde & Monarchæ, quamvìs Tiberius illud nomen repudiaret, alij tamen aſſumpsêre.

Pij, quod nomen Antoninus Hadriani ſucceſſor primus aſſumpſit: vocati hoc nomine, quòd ſubditos patriâ pietate foverent. Sed & *Optimi, Maximi, Celſi. Triumphatores* quoque & *Victores* Imperatores plerúmque indigitantur. Mos autem invaluit, ut titulis alijs etiam inſererentur virtutes, quibus maximè præcellebant. Sic dicitur Conſtantinus Imperator, fidelis, manſuetus, Maximus. Nos qui virtutes Pietatémque Imperatorum ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca ſcribimus, eorundem ſeriem, cum nominibus & titulis, quibus à Scriptoribus condecorati ſunt, exhibebimus.

RUDOLPHUS I. Imperator *Auguſtus, Pius, Felix, Magnus, Heroicus, Victorioſus,* conditor Generis, & Auſtriaci Imperij, rexit feliciter Imperium penè antea collapſum ab Anno 1273. uſque ad Annum 1291. ſymbolum ejus vocale: *Melius bene imperare, quàm Imperium ampliare.* Locus ſepulturæ Spiræ.

Albertus I. dictus *Fortis, Clemens, Triumphator,* ſtirpis ſuæ propagator, rexit Imperium ab Anno 1298. uſque ad Annum 1308. Symbolum habuit: *Quod optimum, idem jucundiſſimum.* Appoſitus ad Patrem Spiræ.

Fridericus III. Cognomento *Pulcher, Pius, Fortis, Verax, Moderatus, Affabilis,* in competentia Ludovici Bavari Electus Anno 1314. Obijt 1330. Symbolo uſus: *Quod pudeat palàm, clàm ne facito.* Sepultus in Monaſterio Carthuſianorũ Maurbaci fundatione ſuâ.

Albertus II. Cognomento *Honorificus, Magnanimus, Fortis,* ac *Verax.* Electus Anno 1438. Mortuus ſequenti. Symbolum: *Amicus optima vitæ poſſeſſio.* Tumulatus in Alba Regali: Is exulantem Imperialem coronam à Domo ſua per centum & aliquot annos rurſus honorificentiſſimè reduxit, & velut hæreditario tramite Auſtriacum Imperium incepit. Vnde verſus:

Auſtria, queis multis privata carebat ab annis,
Alberto rurſus Principe ſceptra gerit.

Fridericus V. Cognomine *Pius* & *Pacificus*. Præfuit ad annum 1493. Pro Symbolo usus verbis: *Rerum irrecuperabilium felix oblivio.* Sepultus Viennæ in Ecclesia Cathedrali. Ab hoc Friderico omnes hucusque Austriaci Cæsares velut à patre Abraham rectâ descendunt, ipséque etiamnum felicissimè & invictissimè regnans Leopoldus post elapsum duorum sæculorum spatium ipso anno, quo Fridericus Electus est, etiam publico communi totius Orbis Christiani gaudio lucem hanc aspexit. Anno quippe 1440. Electus est in Romanorum Cæsarem Fridericus; Anno verò 1640. die Sanctorum Primi & Feliciani natus est Leopoldus I.

Maximilianus I. Sapiens, Probus, Fortis & *Pius*, ad annum 1519. Symbolum ejus: *Tene mensuram & respice finem.* Sepultus Neostadij in Austria.

Carolus V. Maximus & *Fortissimus*. Electus anno 1519. Resignavit anno 1556. Obijt 1558. Symbolum habuit: *Plus ultra.* Sepultus Granadæ, indeque à Philippo II. filio & Hispaniarum Rege ad Monasterium amplissimum, basilicamque magnificentissimam, quam in Escuriali ad D. Laurentij M. honorem Rex excitârat, funus translatum.

Ferdinandus I. Cognomine *Pius, Justus, Verax, Benignus, Impavidus*. Præfuit à resignatione fratris ad annum 1564. Symbolum habuit: *Fiat justitia & pereat mundus.* Idem: *Accidit in puncto, quod non speratur in hora.* Sepultus Pragæ in Metropolitana D. Viti Martyris.

Maximilianus II. Omnilinguis, Amor & *Deliciæ humani generis.* Præfuit ad annum 1576: Symbolum: *Dominus providebit.* Sepultus Pragæ in Metropolitana.

Rudolphus II. Acer, Literarum & *Eruditorum amator*, ob Sapientiam verò singularem Salomon Bohemicus, nuncupatus. Præfuit ad annum 1612. Symbolum: *Omnia ex voluntate Dei.* Sepultus Pragæ in novo Mausolæo ex alabastrite à se extructo.

Matthias Zelator, appellatus. Præfuit ad annum 1619. Symbolum: *Concordi lumine major.* Tumulatus Viennæ apud Capucinos.

Ferdinandus II. Hostium testimonio cognomine *Sanctus*, Clementissimus præterea, Liberalissimus dictus & in omni virtute excellens. Præfuit ad annum 1637. Symbolo usus est: *Legitimè certantibus.* Sepultus ex præscripto testamenti Græcij in Sacello D. Ægidij.

Ferdinandus III. Pius, Justus, Sapiens, Pacificus cognominatus rexit

rexit ad annum 1657. Symbolum: *Pietate & Justitia.* Sepultus Viennæ in Ecclesia Capucinorum.

Leopoldus I. Imperij clavum suscepit Anno 1658. Quem superi nobis ac Orbi longè ultra annos *Friderici Pacifici* feliciter imperantem conservent! Symbolum: *Consilio & Industria.*

§. II.

Romanorum Reges.

Fuisse olim duobus & quandóque tribus æquâ parte Imperij Romani administrationem commissam Historiæ docent, exemplísque probatur Severi & Antonini, Carini & Numeriani, Diocletiani & Maximiani, Valeriani & Gallieni, Constantij & Constantis, Honorij & Theodosij, Valentiniani, Valentis & Gratiani, Arcadij, Honorij & Theodosij, qui simul imperârunt. Id ipsum *Aureæ Bullæ* Conditor, Imperator Carolus IV. suo exemplo docuit, dum filius ejus Wenceslaus, ipso sollicitante & vivente, Rex Romanorum electus est. Quem postea secuti sunt, Maximilianus I. Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias (cujus electionem in Regem Romanorum sollicitabat Rudolphus Prædecessor, qui tamen antequam dies Electionis præstitutus venisset, morte abreptus fuit) Ferdinandus III. & nostrâ ætate Ferdinandus IV. qui omnes Imperij successores vivis Imperatoribus destinati sunt. Ferdinandus IV. (occasione cujus hæc innuimus) ante Parentem Anno 1654. obijt. Symbolum habuit: *Pro Deo & Populo.* Sepultus est Viennæ apud Capucinos. Dum autem præsens opus sub prælo sudat Augustæ Vindelicorum Anno 1690. die 26. Januarij in Regem Romanorum eligitur & coronatur, Josephus, Jacobus, Ignatius, Joannes, Antonius, Eustachius, Archi-Dux Austriæ, Rex Hungariæ. Ejus Symbolum: *Amore & timore.* Cui vota in nominibus ejus expressa damus.

Romanorum Reges electi vivente Imperatore.

Dissertatio Juris Publici de Regis Romanorum Electione & Coronatione Godefridi Buckisch. §. 10.

Josephus crescat! vincat pugnando Jacobus!
Illustris terris, ùt Sol Ignatius orbi
Fulgeat Imperio! major sit nemo Joanne!
Antonius terris reddat deperdita! tristes
Eustachius casus felici fine coronet!

Neque hoc loco prætereundum putavi Albertum Belgij Principem, cui Imperatoria dignitas à Collegio Electorum bis oblata fuit, quam is modestiæ causâ recusavit. Eadem dignitate ornare

Canditati Imperatoriæ dignitatis Austriaci duo

Vernulem in Panegyri Alberti. Nicolaus Avancinus in vita Leopoldi. Parte III. cap. 8. pag. 263. & seq.

ornare Collegium Electorum voluit post fata Ferdinandi IV. Romanorum Regis, & iterum post obitum Ferdinandi III. Cæsaris, Leopoldum Guilielmum Archi-Ducem Austriæ; sed ille honorem efficaciter derivat Francofurti in Leopoldum Nepotem.

§. III.
Austriaci Bohemiæ Reges.

Nomen antiquitùs omnium Regū *Natalis Comes Mythologiæ. l. 2. c. 1.*

OMnes Reges Joves appellabantur antiquitus, idque eâ causâ factum est, quòd Jupiter is, qui primus ita fuit nominatus, præclara in mortales beneficia & in Athenienses præcipuè contulit. Atque ut Cæsares omnes Romanorum Imperatores ad primi Cæsaris auspicium vocati fuerunt: ita Joves reges omnes ad Jovis Arcadis auspicium dicti sunt ab antiquis. Postea omnia & Arcadis & cæterorum ejus nominis facinora uni Saturni filio Jovi tertio attributa sunt à Poëtis.

Reges Bohemiæ ex Domo Habspurgo-Austriaca primô loco (ne quis me nationalitatis accuset) ex hac ratione pono, quòd longè ante Reges illos, qui ex Domo Austriaca, Hungariæ & Hispaniæ Regnis præerant, Rudolphus *Mitis*, filius Alberti I. Cæsaris, Bohemiæ Rex, nempe anno 1307. audiêrit. De quo olim Julius Solymannus societatis Jesu in Elogijs Ducum & Regum Bohemiæ ita lusit.

Austria te primum populis generosa Bohemis.
 Præficit, & Genti nobile sternis iter.
Sis bonus ô felixque tuis. Cape clara, Nepotes
 Quæ longo tractent ordine, sceptra, tui.
Quàm bene, quòd Mitis violentas oderis iras.
 Quâ Pater, hâc Regnum diriget arte Nepos.

Series Regum Bohemiæ ex Domo Austriaca. *Balbinus de Regibus Bohemiæ Miscellaneorū Historicorum Regni Bohemiæ Decadis I. Lib. VII. sect. VI. cap. I.*

Ad propositum verò nostrum occasione præfationis de beneficijs in mortales Jovis de Rudolpho idem Author scripsit, quòd contractum per utrumque Wenceslaum Regem æs alienum gravissimo nullo novo indicto tributo ex suo dissolvere instituerit.

Alter ex Austriacis Principibus Regis nomine præfuit Albertus II. Imperator, Anno 1438. 29. Junij coronatus.

III. Ladislaus posthumus Alberti Cæsaris filius.

IV. Ferdinandus I. per conjugium Annæ Wladislai Bohemiæ Regis filiæ non solùm Bohemiæ sed & Ungariæ Rex; hic primus Austriacæ Domui Jus in Bohemia fundavit, & tam stabili dominatione permunivit, ut ab eo tempore neminem alium pro legiti-

legitimo Rege, quàm ex Austriaca Domo agnoverit; secuti sunt hanc prærogativam Regni nostri, Ordines *Sacri Imperij*, sic ut omnes Reges suos à Ferdinando I. ad Augustissimum Leopoldum in Imperio quoque coronatos Bohemia viderit.

V. Maximilianus Ferdinandi I. filius Anno 1562. coronatus.
VI. Rudolphus, Maximiliani filius, coronatus Anno 1575.
VII. Matthias Rudolphi frater, coronatus Anno 1611.
VIII. Ferdinandus II. nepos Ferdinandi I. anno 1617. coronatus.
IX. Ferdinandus III. secundi Filius, Anno 1627. coronatus.
X. Ferdinandus IV. tertij filius, Anno 1646. coronatus.
XI. Leopoldus Ferdinandi IV. frater, Anno 1656. die 14. Septembris coronatus.

§. IV.

Austriaci Reges Ungariæ.

REgno Ungariæ ex Austriacis titulo Regis primus præfuit Albertus II. Cæsar Anno 1438. 1. Januarij coronatus. *Religiosus*, teste Ænea Sylvio, *Princeps & qui liberalitate simul justitiáque præstaret.* Testimonio Gerardi de Roo: *Princeps longè optimus, pietatis ac æquitatis observantissimus, summáque liberalitate, unde Honorifici cognomen obtinuit, præditus, de quo magna sibi optimi quique speranda proposuerunt.*

Sylvius in Europa. *Gerardus de Ro Historia Austriaca, l. 5. f. 180.*

Secundus ex Austriacis Rex Vngariæ fuit Alberti memorati filius nomine Ladislaus.

Ab anno verò 1527. Ferdinandus I. & quotquot Bohemiæ Reges ad Leopoldum usque præcedenti paragrapho enumeravi, simul Regno Vngariæ præfuêre.

Anno 1687. 9. Decembris eorum numerum auxit Josephus, Jacobus, Joannes, Ignatius, Antonius, Eustachius, Archi-Dux Austriæ, &c.

§. V.

Austriaci Reges Hispaniæ.

PAucos, & nonnisi sextum hodie Hispania numerat Regem ex Domo Austriaca; sed paucitatem numeri diuturnitas imperandi, si primùm excipias, gloriosam facit. Is erat Philippus Archi-Dux Austriæ, Belgij Princeps, Maximiliani I. Cæsaris & Mariæ Burgundæ filius, de quo Joannes Eusebius Nirembergius in Virtute Coronata ita scribit: *Breve tempus imperandi, vastum bene-*

faciendi obtigit Philippo. Paucis diebus famam liberalissimi consecutus fuit, quæ complurium annorum exercitio par evaserat. Alij Magnum dixêre, Vernulæus Liberalem, omnes à virtutibus universis illustrem. Voce publicâ decantabatur, Philippum non defuisse ulli, quem miserum scivisset, cui potuisset subvenire. Simul liberalem, simul misericordem, simul charitate, ac prudentiâ conspicuum celebravêre. Ita ille. Nicolaus Vernulæus Virtutum Augustissimæ Gentis Austriacæ Lib. II. Cap. II. postquam scripsisset Philippum hunc, cum virtutibus alijs, tum liberalitate potissimùm excelluisse, addidit: *Fecit hæc ejus liberalitas, ut Proceres Ordinésque Hispaniæ post Elisabethæ Reginæ obitum, amoto ob parsimoniam tenacitatémque Ferdinando Catholico, Philippum Regem uno omnium ore desiderârint.* Obijt Philippus Anno 1506. Successit parenti filius Carolus I. postea Imperator nominis hujus quintus. Præfuit Regnis usque ad annum 1556. quo omnia in Regem Philippum transtulit. Obijt Philippus nominis hujus II. anno 1598.

Philippus III. regnavit ad annum 1621.

Philippus IV. ad annum 1665.

Carolus II. regnans, & dum hæc scribo, Sponsus Serenissimæ Ducis Neoburgicæ. Faxint Superi, ut Domus Neoburgica fundet Domum novam in Hispania Austriacæ Domui affinem & conjunctissimam!

Regibus Hispaniæ, Vngariæ & Bohemiæ recensitis adjungamus Maximilianum II. Cæsarem, ejusdémque filium ejusdem nominis, qui in Reges Poloniæ electi sunt. Ante ambos verò dudum designatum Regem apud Historicos legimus Guilielmum Ducem Austriæ cognomento *Aulicum*. Regibus subjungimus Principes Habspurgo-Austriacos, in Ecclesiasticis dignitatibus eminentes.

§. VI.

Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Archi-Episcopi, Episcopi.

Citatus Beyerlinck in lit. N. f. 872.

ANtisthenes ijs, qui appeterent immortalitatem, unicam viam ostendit, ut justè piéque viverent. Hanc viam omnes Austriæ Principes amplexi sunt, & quidem qui se ad obsequia Divini Numinis per statum Ecclesiasticum devoverent in tantum, ut verè in singulos eorum quadret versus ille laudatissimi cujusdam antistitis:

Mens sincera, manus larga, pudica caro.

Sed

Sed nomina ipſa recitemus.

Andreas filius Ferdinandi II. Archi-Ducis Auſtriæ, Comitis Tyrolis, Ferdinandi I. Cæſaris nepos, S. R. E. Cardinalis, ſimul Epiſcopus Conſtantienſis & Brixienſis.

Albertus filius Maximiliani II. Cæſaris, S. R. E. Cardinalis & Archi-Epiſcopus Toletanus.

In utraque dignitate eminuit Ferdinandus Infans Hiſpaniarum, filius Philippi III. Hiſpaniarum Regis, & pro fratre Philippo IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rege Belgij Gubernator.

Carolus Archi-Dux Auſtriæ, Ferdinandi II. Cæſaris frater, Epiſcopus Wratislavienſis & Brixienſis.

Leopoldus memorati Caroli & Ferdinandi frater Epiſcopus Paſſavienſis & Argentinenſis.

Leopoldus Wilhelmus Ferdinandi II. Cæſaris filius, Epiſcopus Paſſavienſis, Argentinenſis, Halberſtadienſis, Olomucenſis, Wratislavienſis.

Sigiſmundus Franciſcus Epiſcopus Auguſtanus, &c.

Carolus Joſephus filius Ferdinandi III. Cæſaris Epiſcopus Paſſavienſis, Olomucenſis & Wratislavienſis.

§. VII.

Ordinis Teutonici Magni Magiſtri.

Teutonicus Ordo ex proavita Germanorum Nobilitate, quâ etiamnum conſtat, à Friderico Ænobarbo in Palæſtina collectus, albóque pallio ac nigra Cruce inſignitus; ab Henrico Rege Hieroſolymitano aureâ cruce nigræ inſertâ donatus; à Ludovico IX. Galliæ Rege in Palæſtina præliante, quatuor lilijs ad totidem Crucis cornua illuſtratus; à Cæleſtino III. Pontifice ſub Regulâ ſancti Auguſtini confirmatus, ac Religionis votis obligatus, ab Innocentio III. ac Honorio III. aliiſque Pontificibus; ab Imperatoribus ac Hiſtoricis de bellica fortitudine, de ſuſceptis ad propagandam Fidem laboribus, de Pruſſia ac Livonia Chriſtianæ pietati acquiſitâ celebratus; tribus ſæculis ſub triginta tribus Ordinis Magiſtris inſigni ſemper militiæ laude ac pietate Chriſtianâ ita floruit, ut Magiſter Ordinis Principis titulô jam inde ab Ænobarbo honoratus, primum, poſt Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, ſuffragium in Germaniæ Comitijs obtinuerit; Livoniæ Magiſter, director perpetuus Confœderationis Hanſiaticæ, uſque ad apoſtatam Albertum Brandeburgenſem audierit.

Origo Ordinis Teutonici & prærogativæ.

Nicolaus Avancinus in vita Leopoldi Guilielmi Archi-Ducis Auſtriæ Parte II. Prolegom. III. p. 90.

Series Magistrorum Ordinis Teutonici ex Domo Austriaca.

Ita citatus Avancinus: Plura Sebastianus Munsterus Libro tertiô de Germania, qui seriem Magistrorum & res illustriores ab ijs gestas recenset, tum alij permulti. Postremus quem legi de hoc Ordine extat Joannes Casparus Venator, SS. Theologiæ Doctor, Ordinis in Spiritualibus Consiliarius, Parochus Mergenheimij, qui Ordinis hujus Magnum Magistrum ex Austriacis collocat Anno 1595. Maximilianum Archi-Ducem, filium Maximiliani II. Cæsaris.

Ei in hoc munere successit Carolus Archi-Dux Episcopus Wratislaviensis, &c.

Post Carolum militaris hujus instituti potestas ad Serenissimum Leopoldum Guilielmum filium Ferdinandi II. Cæsaris devoluta est, qui de consensu totius Sacri Ordinis Carolum Josephum Archi-Ducem Austriæ filium Ferdinandi III. Cæsaris in successorem sibi cooptavit, eique Viennæ Anno 1662. die 14. Maij solenni cæremonia Inclyti Ordinis supremam dignitatem ac insignia proprijs manibus contulit. Huic etiam Inclyto & militari Ordini Anno 1615. adscriptus est Maximilianus Ferdinandi II. Cæsaris frater.

§. VIII.

Duces & Archi-Duces Austriæ Comites Habspurgici.

IN recensendis Ducibus & Archi-Ducibus Austriæ, qui è Comitibus Habspurgicis Genus suum trahunt, Lectorem monitum velim, me solùm hìc ea nomina dare posse & velle, quæ illustriori commendatione ab Auctoribus celebrantur, prætermissis ijs, qui in infantia objêre. Verùm cùm nulla sit regula sinè exceptione, exceptum velim Philippum Augustinum Ferdinandi III. Cæsaris filium infantulum unius & dimidij anni, item Balthasarem Dominicum, Lucam, Philippum Regis Hispaniarum Philippi IV. filium, in quibus singulare quid ad cultum Sacro-sanctæ Evcharistiæ pertinens infrà narrabimus. De postremo ad annum 1629. de priore ad annum 1639. Meliores notæ Scriptores primum ex progenie Rudolphi I. Cæsaris Ducem Austriæ nominant Albertum secundo-genitum Rudolphi. Primogenitus enim nomine Rudolphus anno ætatis suæ XII. obijt. Quo titulo etiam gavisus est alter Rudolphus Sueviæ Dux, ab ipso Parente Dux Austriæ nominatus in literis suprà allatis, quibus Cæsar Wen-

Vide sup. an. 1282.

Wenceslao Bohemiæ Regi genero ſuo Luſatiam jure feudali contulit. Præter Rudolphum *Mitem* & Fridericum *Pulchrum*, hunc Imperatorem, illum Regem, erant Alberto Duci Auſtriæ & Romanorum Imperatori filij ſequentes titulo Ducum Auſtriæ inſigniti.

Leopoldus, cognomento: *Gloria mundi.* Alij: *Gloria equeſtris ordinis & Militiæ decus.*

Henricus, *Placidus* & *Mitis*, dictus.

Albertus II. cognomento *Sapiens.*

Otto *Jucundus* & *Jocoſus* appellatus.

Ex Privilegio Caroli IV. Cæſaris, ſive conceſſo, vel potiùs confirmato ac innovato primus Archi-Dux Auſtriæ dicendus eſt Rudolphus *Magnanimus* & *Ingenioſus*, filius *Alberti II. Sapientis.* Poſt ejus tamen mortem Titulus hic manſit penes majores natu, vel prout inter ſe conveniebant ipſi Principes, donec anno 1453. Fridericus V. Cæſar Auſtriacus univerſim ad totam Habſpurgo-Auſtriacam Familiam eum extenderet, habito reſpectu ad plures Ducatus in eadem Familia collectos, quot ſcilicet conſtabat à nulla alia Familia in Orbe acquiſitos: unde meritò voluit appellari Archi-Duces, quaſi Ducum Duces, cùm alij Duces ſingulos Ducatus, Auſtriaci multos collectivè tenerent. Hoc argumentum fuſiùs alio loco tractabitur.

Reliquit Albertus II. *Sapiens* præter memoratum Rudolphum tres alios filios, quorum hæc ſunt Nomina & Agnomina.

Albertus III. *Pater Patriæ* dictus. Præterea cum *Trica.*

Leopoldus III. *Probus* appellatus.

Fridericus IV. *Splendidus.*

Guilielmus *Aulicus.*

Leopoldus *Superbus* & *Craſſus.*

Erneſtus *Ferreus.*

Albertus IV. *Patiens*, & *Mirabilia mundi.*

Fridericus IV. *Verax*, *Senior*, ac *Magnificus.*

Sigiſmuudus *Opulentus*, *Beneficus*, *Pater pauperum*, *orphanorum & viduarum.*

Albertus *Prodigus.* Qui verò ejus ingenium facilè magìs, quàm malis artibus affectum interpretabantur, *Manſuetum* ſeu *Mitem*, uti ad omnia indulgentem & tractabilem nominabant.

Carolus Philippi II. Hiſpaniarum Regis filius.

Erneſtus filius Maximiliani II. Cæſaris.

Wenceslaus Erneſti frater, Eques Melitenſis.

Ferdinandus Comes Tyrolensis filius Ferdinandi I. Cæsaris cognomento Hilaris, Heroicus, Splendidus, Magnificus.

Ejus filius Carolus Marchio Burgaviæ cognomento *Bellicus.*

Ferdinandus Carolus Parens Claudiæ Imperatricis cognomento *Magnanimus, Intrepidus, & Placidus.*

Balthasar Carolus Infans Hispaniæ, filius Philippi IV.

§. IX.

Imperatrices.

DE Romanis Principibus nemo ambigit, quin à Divo Julio & Octavio reliqui Imperatores, Cæsares & Augusti dicti cognominatíque sint. Credo equidem, quòd desiderio illorum post funera tenerentur, & tanquam in posteris eadem indoles futuræ virtutis eniteret; ita eodem sibi nomine adoptato, ipsi quoque ad præclara facinora obeunda invitarentur. Mansitque sequutis Imperatoribus cognomen *Cæsaris* & *Augusti*, quod non ipsis modò, sed uxoribus, sororibus & filiabus commune fuit. Siquidem Livia, postquam nupsit Octavio, Augustæ nomen tulit: & Agrippina, postquam Claudio conjugata fuit. Senatus quoque frequenti curia uxori sororíque Trajani, cognomen Augustarum dedit: & Vitellius ejus matri, & Faustinæ uxori Antoninus. Sic Juliani uxor & filia Augustæ appellatæ sunt. Quibus hoc etiam honoris tributum est, ut illas quandóque sacer ignis præiret: quem mox sequuti Cæsares, pro Majestate Imperij, more Persarum Regum & Indorum, sibi vendicârunt. Hoc titulo Augustæ & Imperatricis ex sanguine Rudolphi I. Cæsaris prima insignita est Maria filia Caroli V. Cæsaris, conjux Maximiliani II. Cæsaris, quâ vix orbis majorem tulit. Abneptis, proneptis, filia, nurus, uxor, & Mater duorum ordine Imperatorum Rudolphi & Matthiæ. Pius V. Pontifex quanti eam fecerit, patet ex ejus verbis, quæ Franciscus Christophorus Comes Kehenwiller in Annalibus Ferdinandeis idiomate Germanico conscriptis, in hunc ferè sensum, reliquit: si mos in Ecclesia obtinuisset animas virtutibus & sanctitate conspicuas Orbi, ut Sanctas proponere ac verbis declarare, nihil deesse quòminus hæc Maria ùt Sancta Orbi colenda proponeretur. Pij autem successor Gregorius XIII. *Firmam Catholicæ Religionis Columnam* eodem Scriptore teste dixit.

Beyerlinck supra citatus in lit. N. tit. Nomen f. 866.

II. Anna, Ferdinandi Archi-Ducis, Comitis Tyrolis filia, con-

conjux Matthiæ Cæſaris, Fundatrix cum Marito Eccleſiæ B.M.V. Vetero Boleslavienſis.

III. Maria, Infans Hiſpaniarum, filia Philippi III. Hiſpaniarum Monarchæ, Mater Auguſtiſſimi Leopoldi Cæſaris, ejuſdem Divæ ſummæ cultrix, ante cujus Effigiem, tunc Viennæ exulantem, hunc ipſum Auguſtiſſimum peperit.

IV. Maria Leopoldina ſecunda Ferdinandi III. conjux filia Leopoldi V. Archi-Ducis, Comitis Tyrolis.

V. Margarita, Infans Hiſpaniarum, Philippi IV. Hiſpaniarum Monarchæ filia, prima conjux Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi.

VI. Claudia Felicitas, filia Ferdinandi Caroli Archi-Ducis & Comitis Tyrolis, ejuſdem Auguſtiſſimi ſecunda conjux.

His accenſeri poteſt Catharina, filia Alberti I. Cæſaris, quæ deſponſata fuit Henrico VII. Cæſari; ſed Sponſus ante ipſas nuptias obijt.

§. X.

Reginæ ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca.

COnvitium adfert, non connubium mulier, quæ fortunam habet, quâ inſoleſcat: non habet, quâ regatur, virtutem. Alcumenæ apud Plautum hæc ſunt ad Amphitryonem verba:

Non ego illam mihi dotem eſſe duco, quæ dos dicitur: ſed pudicitiam, & pudorem, & ſedatam concordiam, Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam: Tibi morigera, atque ut munifica ſim bonis, proſim probis. His aliiſque virtutibus Reginas ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca eminuiſſe, quæ toto Opere noſtro ſparſim ſuiſque locis afferemus, Lector prudenter judicabit. Hìc earum ſolùm ſeriem dabimus, & quidem ad invidiam declinandam ordine alphabetico.

Beyerlinck in Magno theatro vitæ humanæ lit. B. tit. Bonum Bonitas. Ludovicus Vives de Chriſtiana fœmina, l. 2.

Reginæ Bohemiæ.

Juditha filia Rudolphi I. Cæſaris. Maritus Wenceslaus cognomine Sanctus.

Maria filia Philippi I. Hiſpaniarum Regis. Maritus Ludovicus Rex.

Maria Caroli V. Cæſaris filia, ſimul Imperatrix. Maritus Maximilianus Rex, ſimul Imperator.

Anna filia Ferdinandi II. Archi-Ducis Auſtriæ, ſimul Imperatrix. Maritus Matthias, ſimul Imperator.

Reginæ Daniæ.

Isabella (alijs Elisabetha) filia Philippi I. Hispaniarum Regis. Maritus Christiernus II.

Reginæ Galliæ

Eleonora Philippi I. Hispaniarum Regis filia. Maritus secundus Franciscus I. Galliæ Rex.

Elisabetha filia Maximiliani II. Cæsaris. Maritus Carolus IX.

Anna Maria Mauritia, filia Philippi III. Hispaniarum Regis. Maritus Ludovicus XIII.

Maria Theresia, filia Philippi IV. Hispaniarum Regis. Maritus Ludovicus XIV.

Reginæ Hispaniæ.

Anna Maria filia Maximiliani II. Cæsaris. Maritus Philippus II. Rex Hispaniarum.

Margarita, filia Caroli Archi-Ducis Austriæ, Ducis Styriæ. Maritus Philippus III. Rex Hispaniarum.

Maria Anna, filia Ferdinandi III. Cæsaris. Maritus Philippus IV. Rex Hispaniæ.

Reginis Hispaniæ adnumeratur à nonnullis Margarita filia Maximiliani I. Cæsaris, quæ maritum habuit Joannem filium Ferdinandi Hispaniæ & Arragoniæ Regem.

Reginæ Hungariæ.

Clementia filia Rudolphi I. Cæsaris. Maritus Carolus Martellus Hungariæ & Neapolis Rex.

Catharina ejusdem Rudolphi filia. Maritus Otto Bavarus.

Agnes filia Alberti I. Cæsaris, Maritus Andreas III.

Reginæ Lusitaniæ.

Eleonora filia Philippi I. Regis Hispaniæ. Maritus primus Emmanuel Rex Lusitaniæ.

Catharina filia Philippi I. Regis Hispaniæ. Maritus Joannes III.

Reginis Lusitaniæ annumerant quidam Joannam filiam Caroli V. Cæsaris, quæ Joanni Principi Lusitaniæ nupsit, ex illa natus filius Sebastianus.

Reginæ Poloniæ.

Elisabetha, filia Alberti II. Cæsaris. Maritus Casimirus III.

Elisabetha & Catharina sorores & filiæ Ferdinandi I. Maritus utriusque successivè Sigismundus II.

Anna

Anna & Constantia sorores & filiæ Caroli Archi-Ducis Austriæ Ducis Styrlæ. Maritus Sigismundus III.

Cæcilia Renuta filia Ferdinandi II. Cæsaris. Maritus Wladislaus IV. Rex Poloniæ.

Eleonora, filia Ferdinandi III. Cæsaris. Maritus Michael.

His adjungamus cæteras ejusdem sexûs personas, quæ diversis electoribus, & Imperij Principibus in Matrimonium datæ, aut desponsatæ, fuêre. In quibus recensendis Lectorem monitum volim, me solùm hìc, uti in recensendis Ducibus & Archi-Ducibus factum, ea nomina dare posse & velle, quæ illustriori commendatione ab Auctoribus celebrantur, prætermissis ijs, quæ in infantia obiêre.

Locum primum meritò hìc sibi vendicant filiæ Rudolphi I. Cæsaris.

Mechtildis Ludovico Bavariæ Duci, Palatino ad Rhenum & Electori in matrimonium elocata.

Filiæ Rudolphi tribus Electoribus nubunt.

Agnes Alberto Duci Saxoniæ & Electori.

Anna Ottoni Brandeburgico, ibidem Electori.

Quarum matrimonia conciliavit Archi-Episcopus Moguntinus & Elector, inter alia pro Rudolpho præ alijs Imperij Canditatis eligendo hoc proponens argumentum. *Ad Colligendos animos*, inquiens, *nihil apud mortales est efficacius, quàm sanguinis nexus & affinitas*; *Rudolpho verò præter cætera sex sunt filiæ formâ & indole eximiæ: ac cujusvis magnæ fortunæ pares, ampla conciliandis Imperij primoribus materia.*

Gerardus de Roo Historia Austriaca l. 1.

Elisabetha filia Alberti I. Cæsaris, Vxor Theodori Ducis Lotharingiæ.

Anna ejus soror uxor primò Hermanni Marchionis Badensis. 2 dò. Henrici Ducis Wratislaviensis.

Juditha Elisabethæ & Annæ soror, conjux Ludovici Comitis Oëtingensis.

Catharina filia Leopoldi *Gloriosi*, conjux Dynastæ Conchiaci in Francia.

Anna, alijs Agnes, altera Leopoldi filia, uxor Boleslai Ducis Suidnicensis.

Elisabetha Friderici III. Cæsaris filia desponsata Joanni Bohemiæ Regi, ante nuptias obijt.

Margarita filia Alberti *Sapientis* Ducis Austriæ, nupsit Meinhardo Duci Bavariæ, Comiti Tyrolis.

Margarita soror Alberti II. Cæsaris, conjux Henrici Ducis Bavariæ, cognomento *Divitis*.

Ejuſdem Cæſaris ſenior filia Anna data eſt in matrimonium Wilhelmo Duci Saxoniæ.

Erneſti Ferrei filia Margarita nupſit Friderico Duci Saxoniæ.

Catharina autem Carolo Marchioni Badenſi.

Cunegundis filia Friderici V. Cæſaris nupſit Hilberto IV. Duci Bavariæ.

Hæ ſunt perſonæ deſumptæ ex Genealogijs uſque ad Maximilianum primum Cæſarem, cujus filiam Margaritam inter Reginas ſuprà numeravimus. Præter Imperatrices, Reginas, & quæ Religioſum ſtatum amplexæ ſunt, vel eundem vitâ expreſſerunt ſæculo 1500. & quò vivimus memorandæ reſtant.

Anna, filia Ferdinandi I. Cæſaris. Maritus Albertus V. Dux Bavariæ, ex qua hodiéque poſteritas.

Maria. Maritus Wilhelmus Dux Juliacenſis.

Eleonora. Maritus Wilhelmus Dux Mantuæ.

Barbara. Maritus Alphonſus II. Ferrariæ.

Johanna, uxor Franciſci Ducis Florentiæ.

Catharina Renata, filia Caroli II. Archi-Ducis Auſtriæ, nata anno 1576. obijt 1595. Virgo.

Gregoria Maximiliana ſoror Catharinæ, ſponſa Philippi III. Regis Hiſpaniæ, obijt 1597.

Maria Magdalena utriuſque ſoror. Vxor Coſmi II. Magni Ducis Florentiæ.

Iſabella Clara, filia Leopoldi V. Comitis Tyrolenſis, uxor Caroli II. Ducis Mantuæ.

Maria Anna filia Ferdinandi II. Cæſaris, uxor ſecunda Maximiliani I. Ducis Bavariæ.

Maria Anna Joſepha filia Ferdinandi III. Cæſaris. Maritus Joannes Wilhelmus Comes Palatinus, Dux Neoburgicus, &c.

Maria Antonia Joſepha, filia Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi. Maritus Sereniſſimus Maximilianus II. Dux Elector Bavariæ.

Sed jam ad Potentiam Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ ejúſque originem, tum ad præcipuos Europæ Reges & Principes, quibus aliqua Cognatio cum Domo Habſpurgo-Auſtriaca intercedit, accedamus. Quæ ex opere Joannis Ludovici Schönleben de origine præfatæ Auguſtiſſimæ Domûs totidem fermè verbis, ut Scriptori ſua laus fidéſque maneat, dabimus.

CAPUT XXVIII.

Potentia Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ.

DE utrâque Domo Germana & Hiſpana, ſeu potiùs de utrâque potentia unius Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ loquemur; utpote quæ alterâ manu Orientem, alterâ Occidentem complectitur, quod olim de Alexandro Magno dixerunt Scythæ. Germana Auſtria, ut à Majoribus ad minora deſcendamus præter Imperium Romanum, cui electivâ poteſtate ab 1437. continuatâ ſerie præeſt, legitimo jure Regna etiã poſſidet Boëmiæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Serviæ, Cumaniæ, Ramæ, Gallitiæ, Sodomeriæ, Romaniæ, Bulgariæ, quæ olim omnia ſeparata erant Regna & à Regibus Hungariæ in unum collecta, hoſtili licèt manu hactenus truncata & majori ex parte occupata fuerunt, nunc verò propitius Mars Auguſtiſſimæ Majeſtatis Regnantis excuſſo Turcico jugo partim recuperavit, ac recuperandi ſpem facit. Nicolaus Vernulæus eleganter de potentia Auſtriaca diſſerens: *Ejus*, inquit, *potentia tanta eſt, ut nec major olim Romanorum fuerit, nec hodie ullorum Principum ſit, aut Regum. Orientem enim unâ, occidentem alterã manu tenere videtur. Et ille temporum Sol parens, dum alijs occidit, ſemper in aliqua Gentis Auſtriacæ Provincia oritur, & diem facit. Noctem neſcit tantum Imperium, quod alicubi diem ſemper habet.* Pergit deinde ſummatim complecti Germano-Auſtriaca Regna & Provincias: *Si conſideremus Germaniam, in ea Ferdinandus Auſtriacus, præter Hungariæ Bohemiæque Regna, Auſtriam, Dalmatiam, Croatiam, Sclavoniam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam, Wirtenbergam, Ergoviam, Tyrolim, Alſatiam, opulentas omnes & amplas Provincias poſſidet, ſuóque Imperio complectitur. Et quanquam inter Principes Auſtriacos eæ aliquando Regiones dividantur, tanta tamen concordia eſt, ut omnium ſit, quod ſingulorum eſt, & plurium opes unius familiæ potentiam conſtituant.* *Vernulæus Apol. Auſt. cap. 2.*

II. Diſtinctius aliquantò Pieſpordius, & poſt eum Ehingerus recenſuit dominia Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ, quæ olim nondum adulta Imperio poſſidebat; ea libet hìc eâdem ſerie exhibere. *Pieſpordius in ſtemm. Auſtriac.*

Stirps Rathpotina seu posteritas Radepotonis Comitis Habspurgici olim possedit, post divisionem cum Landolo seu Lanzelino fratre Radepotonis.

Landgraviatum Alsatiæ.
Vindonissam, & tractum Altenburgicum.

Habspurgensem.
Lauffenburgensẽ.
Seckingensem.
Latobrigæ.
} Comitatus.

Lentzburgensem.
Aquensem sive Badensem in Helvetia.
Kiburgensem.
Ergoviæ.
Rhynfeldensem.
} Comitatus.

Sempachum.
Surbsejum.
Tugium.
Waldishuetã.
} Oppida & Dominia.

Lucernensem.
Suitiorum
Vnterwaldensẽ.
Vriorum.
} Præfacturas.

Castra & Arces penè sinè numero, ex quibus ipsa familia condidit Habspurgum, Scharffensteinam, Waldshuetũ cum oppido, &c.

Stirps Landolina eodem tempore possidebat.

Landgraviatũ Brisiacæ & Brisgoviæ.
Ducatum Alemanniæ.

Vchtlandiam.
Turgoviam.
Mortinoviam.
Antuates.
Aventicos.
Valesios.
} Provincias.

Ducatum Teccensem.
Ducatum Zaringensem.

Burgdorffensem.
Thunensem.
} Comitatus.

Tigurinam præfecturam.

Genevæ.
Seduni.
Lausanæ.
} Advocatias.

Condidit Urbes Bernam, Friburgum utrúmque Brisgoviæ & Vchtlandiæ, Burgdorffium, & Villingam in Harcinia oppida, Zaringense castrum, & alia.

Utraque verò familia fundavit, ac dotavit Abbatias, & Monasteria sequentia:

1. S. Trutperti in Brisgovia, Abbatiam, Monasterium & oppidum.

2. Monasterium Gengenbacense.

3. Waldkirchense in nigra Sylva Vestalium, ad quod nisi Ducissis, & Comitissis aditus olim non patebat.

4. S. Cyriaci Sultzbergense in Brisgovia.

5. Al-

5. Albæ Augiæ, vulgo Weiſſenau.
6. Ottmarsheimenſe in Alſatia.
7. Murenſe in Ergovia.
8. Horti olivarum propè Rhynfeldam.
9. S. Petri in nigra Sylva.
10. Omnium Sanctorum propè Oberkirchen.

Hæc Pieſpordius cum Ehingero enumerârunt, & plura potuiſſent addere, ſi curioſiùs inveſtigaſſent. Quanquam hæc ipſa in unum collecta, & à Comitibus tunc nondum ad Imperium evectis Habſpurgicis poſſeſſa, & fundata, Regalem quandam æquabant, & arguebant potentiam. Quanta verò poſtea adjecerint Radepotonis, & Landoli poſteri, quanta Rudolphus Imperator ejuſque progenies, ſingillatim explicari vix poſſit.

III. Enumeremus tamen nonnulla quæ Rudolphus ad Imperium evectus, & ejus poſteri poſſederunt; nempe

1. Habſpurgum caſtrum & Comitatus ad quem ſpectabant Waldkirchium, & Bürckhena civitates, & Limburgum caſtrum. *Fugger in Speculo lib. 1, cap. 5.*
2. Waldshueta civitas.
3. Lauffenburga civitas & Comitatus.
4. Seckinga civitas, & Monaſterium.
5. Rhinfelda civitas, & Comitatus.
6. Hauenſteina civitas.
7. Pons Arulæ, ſeu Bruckha civitas.
8. Königsfelda Monaſterium cum Advocatia.

In Helvetia poſſederunt ſequentia ordine Alphabeti adducenda.

Aravia civitas in Ergovia.
Arburgum civitas, & Caſtrum.
Biberſteina caſtrum, & oppidū.
Bremgartum civitas in Turgovia.
Eremus vicus cum Monaſterio, & Advocat.
Erlibacum Advocatia.
Glarona oppidum.
Grüninga civitas, & caſtrum.
Mellinga civitas in Argovia.
Oberhoffen vicus in Argovia.
Ottelfinga vicus in Turgovia.
Sempacum civitas in Ergovia.
Signavia civitas & caſtrum in Ergovia.
Surbſejum civitas ibidem.
Thalwilla vicus.
Unterſejum civitas in Ergovia.
Uſpüna caſtrum in Ergovia.
Wagenthalia Provincia infra Lucernam, ubi Meyenberga, Richenſejum, Vilmeringæ, Sunſium, & alia loca.
Wartenberg triplex caſtrum in uno monte propè Baſileam.

Rottenburga civitas & caſtrum in Turgovia.
Schwartzenbacum civitas & caſtrum in Turgovia.
Walhuſium civitas in Ergovia.
Wurmbsbachium Cœnobium Veſtalium fundatum à Wernero Com. Habſp. & ejus fratre Rudolpho Epiſcopo Conſtantienſi.
Weſena civitas in Turgovia.
Wettinga Monaſterium cum Advocatia.
Wildeck caſtrum in Buchgovia.
Zoffinga civitas in Ergovia.
Zugium vel Tugium civitas.

Hæc omnia immediatè ſubjecta erant Habſpurgicis. Acceſſit ſub Rudolpho Imperatore.

KiburgumComitatus Anno 1264.
Andelfinga Caſtrum.
Dieſſenhovium civitas in Turgovia.
Frauenfelda Metropolis Turgoviæ.
Steckborna civitas Turgoviæ.
Windeckium caſtrum.
Witodurũ, vulgo Winterthur civitas.
Badenſis. / Lentzburgenſis. } Comitatus.
Thietikovenſis Advocatia.
Burgdorffium Metrop. in min. Burgundia.
Friburgum metropolis in Uchtlandia.
Hohenberg. / Nellenburg. / Sonnenberg. / Veldkirchium. / Raperſwil civitas & Caſtrum. / Nidovia civitas & caſtrũ cum annexis. } Comitatus.
Hutwila civitas.
Thuna civitas in Ergovia.

Sequuntur nunc ea, quæ Habſpurgici conſecuti ſunt, ut Auſtriæ Duces, & Archi-Duces in Helvetia, & vicinis regionibus.

Briſacum civitas & fortalitium.
Bulachium civitas.
Friburgum civitas Briſgoviæ.
Kronovia Officium liberum, Caſtrum, & Advocatia.
Lucerna Metropolis Ergoviæ.
Neoburgum civitas Briſgoviæ.
Pfyretha Comitatus, urbs, & caſtrum.
Regenſperga civitas & caſtrum.
Schaffhuſium metropolis in Klettgovia.

Præter hæc poſſedit Rudolphus Alſatiæ ſuperioris majorem partem, Sundgoviam & alias Provincias ac Dominia. Poſteri ejus Auſtriaci conſecuti ſunt Regna & Provincias.

Hungariæ Regnum, cui alia adjuncta.
Dalmatia. / Croatia. / Slavonia. / Boſnia. / Bulgaria. / Lodomiria. / Servia. / Rama. / Galitia. / Chumania. } Regna.
Auſtria Archiducatus, ſuperior & inferior.
Sileſia ſuperior & inferior. / Luſatia. / Miſnia. } Principatus.
Suevia. / Wirtenbergia. / Teckhium. } Ducatus.
Burgovia Marchionatus.
Tyrolis. / Goritia. / Cillia. } Comitatus Principales.
Iſtria. / Liburnia. } Dominia.

Styria.

Styria.
Carinthia. } Ducatus.
Carniola.
Bohemiæ Regnum, cui annexa Moravia Marchionatus.

Marcha Slavoniæ.
Portus Naonis.
Marca Tarvisina. } Dominia.
Salinæ.

Hæc ferè in titulo suo complectebatur Ferdinandus I. Imperator, & Frater ejus Carolus V. præter alia, quæ Maximilianus I. Imperator per connubium cum Maria Burgunda, & postmodum ejus filius per connubium cum Joanna Hispaniarum hærede suæ adjecerunt familiæ: ille septendecim Provincias, hic viginti quinque regna, crescente velut ad omnem cœli cardinem Austriaca potentiâ, intra sæculi unius dimidium. Quæ paulò clariùs ex Philippi Regis Catholici titulo colliges hac serie apud Jo. Jacobum Chiffletium. Chifflet Vindic. Hispan. c. 14.

Philippus Dei gratiâ Rex.

1. Castellæ.
2. Aragoniæ.
3. Legionis,
4. Utriusque Siciliæ.
5. Jerusalem.
6. Portugalliæ,
7. Navarræ,
8. Granatæ,
9. Toleti.
10. Valentiæ,
11. Galitiæ,
12. Majoricarum,
13. Hispalis,
14. Sardiniæ,
15. Cordubæ,
16. Corsicæ,
17. Murciæ,
18. Giennis,
19. Algarbiorum,
20. Algeziræ,
21. Gibraltaris,
22. Insularum Canariarum,
23. Indiarum Orientalium,
24. Indiarum Occidentalium, &
25. Terræ firmæ.

Hæc Regna.

1. Archi-Dux Austriæ,
2. Dux Burgundiæ,
3. Lotharingiæ,
4. Brabantiæ,
5. Limburgi,
6. Luxenburgi,
7. Geldriæ, &
8. Mediolani.

Hi ducatus præter alios Austr. Germaniæ.

1. Comes Habspurgi,
2. Flandriæ,
3. Artesiæ,
4. Burgundiæ Palatinus,
5. Tyrolis,
6. Hannoniæ,
7. Hollandiæ,
6. Zelandiæ,
9. Namurci, &
10. Zutphaniæ.

Hi comitatus præter alios Germaniæ Austr.

1. Princeps Sueviæ:
2. Marchio S. R. Imperij.
3. Dominus Frisiæ.
4. Salinarum,
5. Mechliniæ, (Ultrajecti,
6. Civitatum & Provinciarum
7. Transiselanæ, &
8. Groningæ,

Dominator in Asia, & Africa.

Quidni licuisset scribere Dominator in America, Asia, Africa & Europa, cùm nulla sit harum partium, in qua non jure obti-

neat Regnum aliquod, & plures Principatus? Quomodo & quando ſinguli Principatus & Regna ad Auſtriacam Domum pervenerint alij proſequuntur: de quo videri poteſt Author Phoſphori, Jo. Georg. Kieffer, alij.

Anth. Phoſphori. p. 2. cap. 14. *Kieff. Diſſert. Pol. 2.*

IV. Porrò ex hac tanta titulorum & regnorum congerie mirum videri non debet, quòd Auſtriacis Hiſpanis addatur prædicatum REGUM MAXIMI. Onuphrius Panuinus in Dedicatoria ad Philippum II. hac uſus eſt inſcriptione: REGUM MAXIMO, *Philippo Auſtrio, Imp. Cæſ. Caroli V. F. Regi Catholico, & Orthodoxæ fidei defenſori.* Carolus Scribanius S. J. vir ingenij vaſti, & prudentiæ rariſſimæ, in inſtitutione Principis Chriſtiani inſcripſit: PHILIPPO IV. REGUM MAXIMO: quod cum mirè Gallis diſplicuiſſet, altera operis editione ſubſtituit hunc titulum æquivalentem: *Philippo IV. Catholico, Hiſpanico Auſtriaco, ſurgentis & occidentis ſolis Indico, Germanico, Belgico, cis & ultra Pharum Siculo, Burgundico, Inſubrico, Sardico, Balearico, Hieroſolymitano, Canarico, Corſico, Aſiatico, Africano Regi, Archiduci, Principi, Marchioni, Comiti, Inſularum, Oceani Domino.* Hæc inſcriptio ut benè obſervat Chiffletius à priore non aliter differt, quàm definitio à definito, Haud dubiè enim MAXIMUS cenſendus eſt REGUM, qui comparatione aliorum Regum, & plura poſſidet & ampliora Regna. Oſtendant his paria alij Reges, & verebuntur ſcriptores addere vocem *Maximus* ad nomen Regum Hiſpanorum. Sed nihil dubius de hac magnitudinis eminentia Joannes Solorcanus, in opere de Indiarum jure ſic inſcripſit: D. *Philippo IV. Hiſpaniarum & Indiarum* REGI *optimo*, MAXIMO *id eſt omnium ferè Naſcentis obeuntiſque ſolis Regionum Imperatori ſemper Auguſto* quem mox etiam appellavit. *Regum omnium, quos ſol unquam aſpexit, Auguſtiſſimum ac potentiſſimum.* Similiter Auguſtinus Barboſa operi de jure Eccleſiaſtico univerſo Lugduni in Gallijs impreſſo cum privilegijs Urbani VIII. Pontif. Max. & Ludovici XIII. Regis Galliæ præfixit hunc titulum: *Philippo IV. Regi Catholico, Hiſpaniarum & Indiarum Regi invictiſſimo S. R. I. gladio clypeoque Maximo, Fidei defenſori acerrimo, inconcuſſo veræ Religionis fundamento*, REGUM MAXIMO. Accedit juſti Lipſij Belgicæ ſuadæ oraculum: qui ait *Datam & demiſſam è cœlo familiam Auſtriacam ad Imperia terrarum.* Deinde alloquens Philippum IV. *Ab orbe condito non fuit, qui major in re aut ſpe fuerit, quam Te fata videntur deſtinâſſe. Præeſt jam dudum* MAXIMUS REGUM, *Pater tuus tot Regnis in utroque orbe jura reddit, veteri & novo.* Denique inſigne eſt illud Auſtriacæ Domus Elogium apud Gaſparem Gevartium: *Ejus ea eſt*

Onuph. Dedic. To. 3. Annal. *Scriban Inſtit. Princ. Dedicat.* *Solorcan. de India jure.* *Barboſa de Jure Eccl. dedicato.* *Lipſ. præf. in Admir.*

est Imperij magnitudo & vastitas, ut nullo non momento sol Regionem aliquam ditioni ejus subjectam permeet ac illustret, quacunque cœli parte die noctuque volvatur: quod de nullo maximorum Imperatorum aut Regum, quotquot olim fuêre, vel modo supersunt, revera dici potest. Quin imò asserunt, non ita pridem Regem Persarum ad Hispaniarum Regem literas misisse cum hac inscriptione. REGI, QUI SOLEM HABET PRO GALERO. Quod nempe nunquam non populorum aliquorum coronæ Hispanicæ subditorum, latéque per orbem terrarum sparsorum, vertici sol incumbat. Supra omnia est, quod de Carolo V. pronuntiavit Paulus Papa III. *CAROLUS Cæsarum MAXIMUS:* quod aliquando me legisse & scripsisse memini. Absit itàque omnis aliorum Regum cum Austriacis æmulatio: quod res sole clarior eloquitur, nulla tollit invidia.

Gevart in Pompa Introit. Ferd. Inf.

In Campo Lilio Kieff. in Differt. Polit. Lequile Piet. Austr. p. 3. fol. 301.

V. Accedit huic Habspurgo-Austriacæ potentiæ etiam jus natalium in Imperium Orientale. Nam in confesso est à Barbaris violentâ manu occupatum, quod jam Balduinus Flander suæ familiæ asseruerat: Balduini verò Constantinopolitani Imperatoris hæredes, extinctâ proximâ cognatione, quis nescit fuisse nisi Flandriæ Comites & Burgundiæ Duces, quibus legitimo hæreditatis titulo per Maximiliani I. Austriaci cum Maria Burgunda connubium, nunquam posteà interruptâ serie Habspurgo-Austriaci successerunt. His præmissis originem tantæ potentiæ inquiramus.

Chifflet. in Alsat. Vindic. Kieffer. in Differt. Polit.

CAPUT XXIX.

Unde Habspurgo-Austriacæ Domui tanta potentia inquiritur.

SI humanis momentis expendamus Habspurgo-Austriacam potentiam, fastos solum consulamus, & deprehendemus, uti omnia, à parvis initijs in hanc crevisse magnitudinem. Primi Vindonissæ & Altenburgi Comites seræ posteritatis felicitati præluserunt connubijs, ut verissimum sit illud Poëticum vulgo cani solitum.

Bella gerant alij, tu felix Austria nube.

De Ottoberto I. Comite Altenburgico Piespordius: *Harcyniam sylvam & adjacentia quædam loca suâ virtute consecutus est. In hæreditate materna ultra Rhenum Streichburgum condidit. Nomen ab ipso habet amœnissima Alsatiæ vallis Ottbertina, vulgo Ottbrechtstall dicta.* De ejus filio Babone Author: *Bobelheim, Bebenhausen, &*

Piespord. in Stemm. Austriaco. Schem. 2.

Laz.Comm. Gen.Austr. Guill.Habs. lib. 3. c. 2. *Besdorff in Alsatia ab illo condita fuisse, aut nomen sumpsisse conjectura est.* Id ex Lazio desumpsit, qui prior ità opinatus est. De Amprincto Guillimannus, quem Babonis fratrem fuisse suspicatur potiùs, quàm filium: *condidisse*, ait, *Ampringesburgum*; *Rothardum, quem alij Rothertum, alij Rotbertum nominant, Rotharsburgum.* De Ramprechto Hettoberti filio Rothardi vel Rotherij nepote idem Piespordius ex Ponto Heutero: Possedit quidquid eo tempore juris & ditionis Habspurgicæ erat per Sueviam, Alsatiam, Helvetiam, Brisgoviam, Harcyniam sylvam, in monte Jovis, & alibi, quidquid olim Dux Attico, ejusq; filia S. Ottilia, & eorum posteri in Alsatia possederunt. Hæc dubio procul Oeconomicæ fuerunt industriæ, quibus institêre posteri Guntramus I. Luithardus, Luitfridus & alij.

II. *Guntramus I.* in valle Trudpertina Scharffensteinam arcem condidit. Luitfridus ejus nepos, quæ possederit partim hæreditate paternâ, partim fortè suâ industriâ comparata, colligitur *Instrum. Luitfrid. ap Guillim. cit. fol. 98.* ex instrumento dotationis Cœnobij S. Trudperti, in quo hæc referuntur: *A monte Samba, ubi oritur Nymaga cum montibus collibus, pratis, pascuis, sylvis, vallibus, &c. ab ortu supradicti fluminis, usque ad fluvium Nezimbach, ex utraque parte montium, &c.* Deinde post nonnulla *ex alia mea hæreditate in Mortonavua in Bichinchaim, & in Wittrillenbach, & in Gamiansburst in Alsatia, & in Bergheim, & in Limenhusen, &c. in Nordtgove Kuriginshoven, in Sundgovue in Suovamsheim, in Egenesheim, &c. in Suadhove, & in Hundelsheim, &c.* Et hæc solùm ex quibus donatio facta: cœtera verò, quæ sibi & filijs reservavit hìc non nominantur. Magnæ tamen, jam tunc fuisse potentiæ Habspurgicos, vel ex hoc satis colligitur. De Guntramo II. hæc rursum habet Piespordius: *Piesp. in Tab. Stemm.* *Ditionum & opum Habspurgicarum solus hæres factus Divitis cognomen meruit. Fuit Princeps magni nominis & potentiæ, cujus limites fuerunt ab Ergovia, usque ad lacum Brigantinum, & hinc ultra in Hercyniam sylvam, indeque in Helveticorum interiores agros, quos hodie confœderatæ civitates Helveticæ obtinent.* Et alibi eum nominant: *Alsatiæ & Brisiacæ Landgravium, Nordtgoviæ, Turgoviæ & Ergoviæ Principem.* Vereor, ut ille titulus Landgravij anticipatus sit in Guntramo; quià posterioribus annis videntur hæ nomenclaturæ excogitatæ, & fortè Adelbertus Rudolphi I. proavus primus eo honore ab Imperatoribus auctus est, uti videtur ex diplomatis colligi. Quanquam Weberus & cum eo Kieffer asserant hunc titulum pridem Hunifrido Comiti attributum fuisse. *Weberus Adam. Austr. Diss. 2. Kieffer. Disser. Polit. q. 15. fol. 88.*

III. Gun-

III. Guntramo successit filius *Bezo* seu *Landolus*, qui opes plurimùm auxit, ut ejus deinde filij Landolus alter & Rapato divisâ hæreditate Principibus pares viderentur; imò Landoli filius Bertholdus Zaringâ conditâ, etiam Ducis titulum in nepote Bertholdo consequeretur. Qui etiam Dux Carinthiæ designatus, pro Carinthia alia in compensationem dominia accepit. Nam ex Uxoris dote Allemanniæ Dux & Comes Rhynfeldensis factus, cum adversarium haberet Fridericum Suevum, Cæsaris arbitrio, illas partes Allemanniæ obtinuit, quæ ad Rhenum, Harcyniæ, Turgoviæ, Neckargoviæ, Mortinoviæ erant, in primis Præfecturam Tigurinam, & quidquid in ea juris & advocationis Imperialis esset, quæ tam ipse, quàm posteri possiderent. Tunc etiam Zaringiæ Dux nominatus ad posteros nomen transmisit. Rapatonis abnepos Albertus Dives, de quo certò constet, ex sigillo se Landgravium Alsatiæ nominavit, qui etiam multas per Ithæ Pfullendorffensis connubium possessiones adjecit familiæ, pro quibus illi Fridericus Imperator, attribuit Titecum, Silerum, Urdorffum & alios vicos. Accesserunt etiam Kiburgensium opes per Richensam Habspurgicam de quibus fusè Guillimannus. Fallitur verò Pallavicinus, qui per Hedwigem Rudolphi I. Imperat. matrem accessisse ait Habspurgicis Alsatiam, qua pridem antè potiti sunt.

Piesp. cit. & Guill. lib. 5. c. 1.

Pallavic. in Cæsarib. Aust. dedic.

IV. Quæ verò & quanta post Rudolphum ad Imperij thronum evectum Habspurgo-Austriaci consecuti sint per matrimonia, longum esset enucleare. Paucis complectitur potiora Pallavicinus: Austriam confinesque Principatus Habspurgicæ familiæ Elisabethæ cum Alberto I. nuptiæ conjugârunt. Nata sunt eodem gemella partu Hungariæ & Bohemiæ Regna Alberto II. honorifico, ex altera Elisabetha Sigismundi Cæsaris filia, ancillantibus magnæ duorum Regnorum Soboli Lusatiâ, Silesiâ, Moraviâ, aliísque opulentissimis Provincijs. Eadem nuptiali jure renata sunt Ferdinando I. Cæsari ex Anna Uladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis filia. Burgundia septendecim Provincijs Belgicis stipata cessit Maximiliano I. in dotalem hæreditatem ex Maria auspicatissimi nominis Caroli Audacis Burgundiæ Ducis, Principísque Belgarum filia. Hispana Monarchia mortalis apex potentiæ, utriusque Solis purpura illustris, ex tot regnorum pondere gravi sceptro potens, terrarum mariúmque ambitu, cœli Zonis, imò ipso cœlo omniumque stellarum serto coronata, in Joanna Ferdinandi & Isabellæ Catholicorum Regum filia Philippo I. Pulchro nupsit, unico tunc sanguinis Austriaci hæredi. Oriens occidenti, & Atlanti-

Pallavicin. cit. Anth. Phos. Par. 2.

lantici maris Africa litora Americanis, omnísque amplissima per immensa maria Lusitanici nominis potentia uno fuêre conjuncta conjugio Caroli V. Maximi cum Isabella Emanuelis Portugalliæ Regis filia, & sanctissimo titulo maternæ dotis Philippo II. quo nihil prudentius, nihil potentius orbis terrarum vidit transcripta. Comitatum Ferretanum attulit Alberto Contracto Alberti I. Cæsaris filio conjunx postremi Comitis Ferretani filia. Carinthiam ad Imperium devolutam Ludovicus Bavarus Cæsar Ottoni Duci Austriæ Habspurgico, ut liberis suis Austriacos vicinos hâc amoris significatione devinciret, concessit. Ratum id habuit posteà Carolus IV. Imperator, atque idcircò quòd secundis nuptijs sororem ejus Annam Otto duxisset; ac Austriacos habere amicos ipse vellet, ne ex formula fœderis Iglaviensis, Austriaci Bohemiæ Regnum repetentes, bellum aliquando se mortuo, moverent filijs. *Phosphor. P. 2. cap. 14. §. 3.* Eo autem fœdere cautum erat, ut si mascula proles in Bohemiæ Regno deficeret, Austriaci succederent, ut notavit Phosphori Author. Austriam, Styriam, Carniolam, Rudolphus Imperator partim Imperij beneficio post devictum Ottocarum earum occupatorem, partim jure sanguinis datâ filio Alberto Elisabethâ Tyrolensi Principe Friderici ultimi Austriæ Ducis nepte ex Agnete sorore, obtinuit. Goritiensis Comitatus jure pignoris & pactorum inter Austriacos, ultimúmque Goritiæ Comitem, cæteris accessit ditionibus. Henricum Spondanum famosum Ecclesiasticæ hystoriæ Scriptorem hìc audire lubet, qui ad annum 1273. scribens *Judicium Spondani de Potentia Austr.* de Electione Rudolphi in Romanorum Regem progressus felices ad tantam Domûs Austriacæ amplitudinem Pietati & Conjugali fœcunditati adscribit; inquit enim: Alberti successores (intelligit Albertum filium Rudolphi, cui Austriam cum titulo Ducis Anno 1282. concessit) quâ nuptiarum fœderibus, successoribúsque inde provenientibus, quâ etiam prudentiâ civili præviâ Religione Catholicâ, Hispaniarum accessione, & novi Orbis beneficio Sedis Apostolicæ adeptione, in eam demum Imperij magnitudinem pervenerunt, ut terrarum latitudine ac vastitate antiquiora quæque maxima ferè æquaverint, fortè etiam superaverint. Verùm sentiant alij, ut ut volunt, de potentia Domûs Austriacæ: unde demum amplitudinis suæ & fundamenta & progressum sumpsit, sive à Virtute Militari, sive à felicitate conjugali; mihi non aliunde hujus amplitudinis & initia & incrementa evenisse videntur, quàm à quo Corona & Sceptrum Imperiale ad Domum Habspurgicam delatum est, ab eo etiam ob insignem & constantem Pietatem in Domo Austriaca perennaturum confido.

CA-

CAPUT XXX.

Præcipuorum Regum, & Principum Origo ex Habſpurgo-Auſtriacis.

NOn eſt animus aſſerere primam Originem Europæorum Principum repeti debere à ſolis Habſpurgo-Auſtriacis, id enim nemo præſtiterit, ad unam radicem tam diverſas, & multas familias reducendo. Sed oſtendam ſolùm, quòd vix aliqua in Europa Principalis aut Regia familia fuerit, quæ non participaverit in ſuis majoribus ſanguinem Habſpurgo-Auſtriacum: quod utinam ad mutuam fœderum & armorum conjunctionem proveniat! & quemadmodum pietate ſumpſit exordium & incrementum per utriuſque ſexûs heroes & heroinas; ita etiam per heroicam & ſuccumbere neſciam contra hoſtiles inſultus Pietatem perrennet. Dabimus ſecuturis temporibus etiam eorum ſyllabum, ac virtutem deſcribemus, qui ſpecialiùs Pietate Auſtriaca ac fortitudine Orbi commendabiles extitêre, ac heroica Pietate & ſanguinem & mores traduxêre.

Rudolphus Conditor Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ natus eſt anno, quo ſcribere licuit:

hIC VerVs est abrahaM aVstrIaCIs

Pater ſanè multorum & magnorum Regum ac Principum; quod per ſequentes paragraphos oſtendemus, & ex quibus perſpicuè eluciſcet, quàm verè de ſua familia Auſtriaca olim dixerit Fridericus V. Imperator, Erneſti Ferrei filius: *Nulla Germaniæ Domus illuſtris eſt, quæ noſtram familiam ſanguine non attingat.*

§. I.

Origo Regis Chriſtianiſſimi Galliarum ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema I.

Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus. Obijt Anno 1291.		S. Ludovicus Rex Franciæ obijt Anno 1270.
Albertus I. Imperator obijt Anno 1308.	Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ, qui obijt Anno 1305.	Robertus Dux Claromontanus.
Albertus II. Sap. Dux Auſtr. ob. an. 1358.	Eliſabetha Ux. Joan. Cæci Reg. Boh. qui ob. an. 1346.	Ludovicus Magn. Borbon. Dux conſtitutus an. 1329.
*	)(	

	Leopoldus Dux Auſt. obijt anno 1386.	Maria Uxor Roberti Ducis Barri.	Jacobus Borbonius Claromontanus.
	Erneſtus Archid. Auſt. obijt anno 1424.	Joanna Ux. Ludovici Lucelburgici, qui ob. an. 1475	Joannes Borbonius Comes Marcæ.
	Fridericus IV. Imper. Auſtr. ob. an. 1493.	Petrus Comes Lucelburgicus.	Ludovicus Borbonius Comes Vendoſmius.
			Joannes Borbonius.
	Maximilianus I. Imp. ob. anno 1519.	Maria Lucelbur. maritus——	Franciſcus Comes de Vendoſme.
	Philippus Rex Hiſpa. obijt anno 1506.	Carolus Dux de Vendoſme Borbonius.	
Carolus V. Imperator.	Ferdinand. I. Imper. obijt anno 1564.	Antonius Dux de Vendoſme Rex Navar. Uxor Joanna hæres Navarræ. Ipſe ob. anno 1562.	Ludovicus Borbonius M. Condæus ob. an. 1569.
Philippus II. Rex Hiſp.	Joanna Uxor Franciſci Magni Duc. Hetruriæ.		Henricus M. Cond.
Philippus III. Rex Hiſpan.	Maria Duciſſa Hetruriæ, cujus maritus——	Henricus IV. Rex Navar. & Gall.	Henricus Cond.

Anna Hiſpana, maritus——Ludovicus XIII. Rex Galliæ.

Ludovicus XIV. Rex Galliæ nunc regnans, Uxor ejus Maria Thereſia Infans Hiſpaniæ, Philippi IV. Regis Hiſpaniarum filia, quæ obijt anno 1683.

Hoc Schema ſyncerum eſt, & vel in ipſo hodierno Rege Franciæ elucet origo Habſpurgo-Auſtriaca, cum habuerit matrem Auſtriacam. Quod verò etiam Valeſij ante Borbonios extincti, pluribus vinculis colligati fuerint Domui Habſpurgo-Auſtriacæ, oſtendet ſequens

Schema II.

Rudolpus I. Imperator Habſpurgicus.

Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ.	Clementia Uxor Caroli Regis Siciliæ.	Mechtildis Ux. Ludovici Severi Ducis Bavariæ, qui obijt anno 1294.
Eliſabetha Ux. Joan. Lucelburgici Regis Bohemiæ, qui obijt anno 1346.	Clementia Ux. Ludovici X. Huttini Regis Galliæ.	Ludovicus IV. Imperat. obijt anno 1374.

Gutta

*)(

Gutta Ux. Joannis Valesij Regis Galliæ, qui obijt anno 1364.

Carolus V. Valesius Rex Galliæ, obijt anno 1380.

Carolus VI. Valesius Rex Galliæ. Uxor obijt anno 1422.

Stephanus fibulatus Dux Bavariæ, obijt anno 1375.

Stephanus Junior Dux Bavariæ, obijt anno 1413.

Isabella seu Elisabetha.

Carolus VII. Valesius Rex Galliæ, obijt anno 1461.

Ludovicus XI. Valesius Rex Galliæ, obijt anno 1483.

Carolus VIII. Valesius Rex, cui desponsata fuit Margareta filia Maximiliani I. Imperatoris Austriaci, ob. an. 1498.

Joanna Valesia Uxor Ludovici Andium Ducis, dein Regis Franciæ, qui obijt anno 1515.

Claudia Uxor Francisci I. Valesij Regis, qui obijt an. 1547. Cujus 2. Uxor fuit Eleonora Austriaca, filia Philippi I. Regis Hispaniarum, sed sine prole.

Henricus II. Valesius Rex Galliæ, obijt anno 1559.

Franciscus II. Rex Valesius obijt anno 1560.

Carolus IX. Rex Valesius, ob. an. 1574. Vxor Elisabetha filia Maximiliani II. Imperat. Austriaci, quæ obijt anno 1592.

Henricus III. Valesius Rex Poloniæ, & Galliæ post Carolum IX.

Extincta stirpe Valesia, devolutum est Regnum ad Lineam Borboniam, de qua superiori schemate egimus. *Borbonius* Anagramma *Bonus Orbi.* Et talis est in ipso titulo Christianissimi, præsertim quando Christianos fovet, protegit, defendit, non offendit.

§. II.

Origo Regum Angliæ ex Habspurgo-Austriacis.

ANgliæ nunc incorporata sunt Regna Scotiæ, & Hiberniæ, quæ olim peculiaribus Regibus obtemperabant. Diu inter illa certatum, donec varijs jactata casibus, & quidem Tragicis, in unum coaluerunt. Silebimus de antiquis, de modernis solùm ostendemus originem Habspurgicam, non uno simplici nexu.

Schema I. Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, ob. an. 1291.

Albertus I. Imperat. ob. an. 1308.

Albertus II. sapiens Dux Aust. anno 1358.

Albertus III. cum Trica Dux Austr. ob. an. 1395.

Albertus IV. Mirabilia Mundi Arch. obijt anno 1404.

Albertus II. Imperator Austriacus obijt anno 1439.

*

Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ, qui obijt anno 1305.

Elisabetha Uxor Joannis Lucelburgici Regis Bohemiæ, qui obijt anno 1346.

Gutta Uxor Joannis Regis Franciæ, qui obijt anno 1364.

Carolus V. Rex Franciæ, obijt anno 1380.

Carolus VI. Rex Franciæ, obijt anno 1422.

Catharina Uxor Ovini Tyderij Angli. qui obijt anno 1487.)(

Anna Uxor Wilhelmi Ducis Saxoniæ, qui obijt anno 1483.	Edmundus Tyderius Comes Richomondiæ flor. anno 1486.
Margaretha Uxor Joannis Marchionis Brandenburgici, qui obijt anno 1499.	Henricus VII. Rex Angliæ.
Anna Uxor Friderici I. Regis Daniæ, qui obijt anno 1533.	Margarita Uxor Jacobi IV. Regis Scotiæ.
Christianus III. Rex Daniæ, qui obijt anno 1559.	Jacobus V. Rex Scotiæ, ob. an. 1542.
Fridericus II. Rex Daniæ, qui obijt anno 1588.	Maria hæres Scotiæ Ux. Henrici Stuarti ob. ipse anno 1565.

Anna cujus Maritus —— Jacobus VI. Rex Angliæ, obijt anno 1625.

Carolus I. Rex Angliæ decollatus, anno 1649.

Carolus II. Rex Angliæ, qui obijt anno 1685.	Jacobus post mortem fratris in Regno eodem successor.

Schema II. Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator obijt an. 1308.	Agnes Uxor Alberti Electoris Saxoniæ.
Albertus II. sapiens Dux Austr. obijt anno 1358.	Anna Uxor Henrici Leonis Ducis Mechelburg. qui obijt an. 1329.
Albertus III. cum Trica Dux Austr. obijt anno 1395.	Anna Uxor Henrici Ferrei Ducis Holsatiæ, qui obijt anno 1381.
Albertus IV. Archi-Dux obijt an. 1404.	Gerardus Dux Holsatiæ obijt anno 1404.
Albertus II. Imperator obijt an. 1439.	Hedwigis Uxor Theodorici Com. Oldenburgici, qui obijt anno 1440.
Elisabetha Uxor Casimiri Regis Poloniæ, qui obijt anno 1492.	Christianus I. Rex Daniæ obijt an. 1482.
Anna Uxor Bugislai X. Ducis Pomeraniæ, qui obijt anno 1523.	

Sophia Pomerana, cujus maritus —— Fridericus I. Rex Daniæ obijt an. 1533.

Elisabetha Uxor Ulrici Ducis Mechelburgici.

Sophia Uxor Friderici II. Regis Daniæ, qui ob. an. 1588.

Anna Uxor Jacobi VI. Regis Angliæ, qui ob. an. 1625.

Carolus I. Rex Angliæ decollatus anno 1649.

Carolus II. Rex Angliæ, Et Jacobus de quibus suprà.

§. 3.

§. III.

Origo Regum Bohemiæ ex Habspurgo-Austriacis.

Schema unicum.

Wladislaus II. Bohemiæ Rex	ψ	Gertrudis filia S. Leopoldi Marchionis Austriæ.
Przemyslaus Ottogarus nominis hujus I. Rex Bohemiæ.	ψ	Constantia Belæ II. Regis Ungariæ filia.
Wenceslaus I. Rex Bohemiæ Pronepos S. Leopoldi Marchionis Austriæ	ψ	Cunegundis Philippi Cæsaris filia.
Rudolphus I. Imperator obijt anno 1291.		Przemyslaus Ottogarus nominis hujus II. Rex Bohemiæ, occisus in acie 1278.
Juditha filia Rudolphi I. Cæsaris Fundatoris August. Domûs Habspurgo-Austriacæ. obijt anno 1297.	ψ	Wenceslaus II. Rex Bohemiæ cognomine Sanctus, Fundator cum uxore Cœnobij Aulæ Regiæ. obijt 1305.
Wenceslaus III. Rex Bohemiæ ultimus Familiæ Przemislææ. obijt Olomucij 1306. desponsata illi Viola Ducis Tessinensis Mezkonis filia		Elisabetha hæres Bohemiæ Uxor Joannis Comitis Lucenburgici filij Henrici 7. Imper. occisus est Joannes Rex in acie 1346.

Carolus IV. Imperator, Pater Patriæ, Aureæ Bullæ Conditor. Obijt Pragæ 1378. Uxor quarta Elisabeth Bohuslai Ducis Stetinensis filia, Virago. obijt Regino-Hradecij.

Sigismundus Rex Bohemiæ, & Imperator. obijt anno 1437.

Elisabetha hæres Bohemiæ Uxor Alberti II. Austriaci Imperatoris, Ungariæ & Bohemiæ Regis, qui obijt anno 1439.

Ladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ, posthumus, Obijt 1457. Uxor desponsata Magdalena Caroli 7. Regis Galliæ filia.	Elisabeth filia Alberti II. Cæsaris, Uxor Casimiri Regis Poloniæ, Ducis Lituaniæ, qui obijt anno 1492.
	Wladislaus Rex Bohemiæ. obijt anno 1516. Imperavit in Bohemia 45. annis. Uxor Anna ex stirpe Regum Galliæ.
Ludovicus Ungariæ & Bohemiæ Rex perijt ad Mohacz 1526. Uxor Maria Philippi I. Regis Hispaniæ filia.	Anna, in Baptismo dicta Elisabeth, Uxor Ferdinandi I. Bohemiæ & Ungariæ Regis, Romanorum Imperatoris.

Eluceſcit ex hoc Schemate, quomodo non tantùm Bohemiæ Reges ex Habſpurgicis orti ſint, ſed etiam quomodo per Gertrudem conjugem Wladislai II. Regis Bohemiæ, infuſus ſit ſanguis S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ in Domum Habſpurgo-Auſtriacam, & in ea hodiedum perdurat, ùt ex ſequentibus patet.

Carolus II. Archidux Auſtriæ, Dux Styriæ & Carinthiæ, obijt anno 1590.	Ψ	Uxor, Maria filia Alberti V. Ducis Bavariæ. obijt 1608.
Ferdinandus II. Romanorum Imperator, Ungariæ & Bohemiæ Rex. obijt 1637.	Ψ	Uxor Maria Anna Wilhelmi Ducis Bavariæ filia. obijt anno 1617.
Ferdinandus III. Bohemiæ & Hungariæ Rex, Rom. Imper. obijt anno 1657.	Ψ	Uxor prima Maria Philippi III Regis Hiſp. filia. obijt 1646.
Leopoldus I. Bohemiæ & Ungariæ Rex, Romanorum Imperator, natus anno 1640. 9. Junij.	Ψ	Uxor tertia Eleonora Philippi Wilhelmi Ducis Neoburgici & Electoris Palatini filia, nata 1655. 6. Januarij.

Joſephus Jacobus Joannes Ignatius Archidux Auſtriæ, Romanorum Rex. natus 26. Julij anno 1678. ex ſanguine S. Leopoldi.

Poſſem etiam aliam ratione S. Leopoldi deductionem hìc exhibere per fœminas, quomodo nempe, Sancti Marchionis Sanguis infuſus ſit in Domum Habſpurgo-Auſtriacam per alteram Gertrudem filiam Henrici, qui fuit Leopoldi *Glorioſi* cognomine filius, abnepos S. Leopoldi, ſed brevitatis causâ ſuperſedeo, cùm non fuerit propoſitum hoc argumentum loco hoc ex profeſſo tractare.

§. IV.

Origo Regum Daniæ ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema I. Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus, obijt an. 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.

Albertus II. ſapiens Dux Auſtriæ, obijt anno 1358.

Albertus III. cum Trica Dux. obijt anno 1395.	Leopoldus III. Probus Dux Auſtr. obijt anno 1386.

Alber-

Albertus IV. Archi-Dux obijt anno 1404.	Ernestus Ferreus Archi-Dux obijt anno 1424.
Albertus II. Imperator, obijt anno 1439.	Margareta Uxor Friderici II. Ducis Saxoniæ, qui obijt anno 1464.
Anna Uxor Wilhelmi Ducis Saxon. obijt anno 1462.	Anna Uxor Alberti Achillis Elector. Brandeburg. qui ob. an. 1486.
Margareta Saxonica, cujus maritus——	——Joannes Magnus Elector Brandeb. obijt anno 1499.

Anna Uxor Friderici I. Regis Daniæ, qui obijt anno 1533.

Christianus III. Rex Daniæ obijt anno 1559.

Fridericus II. Rex Daniæ, obijt anno 1588.

Christianus IV. Rex Daniæ, obijt anno 1648.

Fridericus III. Rex Daniæ, ob. an. 1670.

Christianus V. modernus Rex Daniæ.

Schema II. Geminum.

Rudolphus I. Imperator.

Albertus I. Imperator.	Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemi, qui obijt anno 1315.
Albertus II. sapiens Dux	Elisabetha Uxor Joannis Lucelburgici Regis Bohemiæ, qui obijt anno 1346.
Albertus III. cum Trica.	Joannes Marchio Moraviæ obijt anno 1375.
Albertus IV. Mirabilia.	Procopius Marchio Moraviæ obijt an. 1405.
Albertus II. Imperator.	Sophia Uxor Bugislai VIII. Ducis Pomeraniæ, qui obijt anno 1417.
Elisabetha Uxor Casimiri Regis Poloniæ, qui obijt an. 1462.	Bugislaus IX. Dux Pomeraniæ, ob. an. 1448.
	Sophia Uxor Erici II. Ducis Pomeraniæ, qui obijt anno 1474.
Anna Polona, cujus Maritus fuit——	——Bugislaus X. Dux Pomeraniæ, ob. an. 1523.

Sophia Uxor Friderici I. Regis Daniæ, qui obijt anno 1533.

Elisabetha Uxor Magni Ducis Megapolitani, qui obijt anno 1550.

Sophia Uxor Friderici II. Regis Daniæ, qui obijt anno 1588.

Christianus IV. Rex Daniæ, obijt anno 1648.

Fridericus III. Rex Daniæ, obijt anno 1670.

Christianus V. modernus Rex Daniæ.

Schema III.

Albertus ſapiens Comes Habſpurgicus.

Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus, ob. an. 1291.

Eliſabetha Uxor Eitelfriderici Burggravij Norimbergenſis.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.

Albertus II. ſapiens Dux obijt anno 1358.

Leopoldus III. Dux, ob. anno 1386.

Erneſtus Archi-Dux, obijt anno 1424.

Fridericus IV. Imperator, obijt anno 1493.

Maximilianus I. Imperator, obijt anno 1519.

Philippus I. Rex Hiſpaniæ, obijt anno 1506.

Iſabella Infans Hiſpaniæ cujus Maritus — Chriſtianus II. Rex Daniæ obijt 1559.

Chriſtina Uxor Franciſci Ducis Lotharingiæ.

Mechtildis Ux. Ludovici Severi Ducis Bavariæ, qui obijt anno 1297

Ludovicus IV. Imperator Bavarus, obijt anno 1347.

Stephanus Fibulatus Dux Bavarus, obijt anno 1375.

Fridericus Landtshutanus Dux, obijt anno 1393.

Eliſabetha, cujus Maritus — Fridericus V. primus Marchio Brandeburgicus Elector, obijt anno 1441.

Joannes I. Alchimiſta Marchio Brandenburgicus, obijt anno 1464.

Dorothea Uxor Chriſtiani I. Regis Daniæ, qui obijt anno 1482.

Joannes Rex Daniæ, obijt anno 1513.

Chriſtianus II. Rex Daniæ obijt 1559.

Fridericus I. Rex Daniæ, obijt anno 1533.

Chriſtianus III. Rex Daniæ, obijt anno 1571.

Fridericus II. Rex Daniæ obijt anno 1588. & reliqui ſuperiori ſchemate.

Fridericus I. Burggravius Norimbergenſis obijt anno 1290.

Fridericus II. Burggrav. obijt anno 1330.

Albertus Burggravius, obijt anno 1357.

Fridericus II. Burggravius, obijt anno 1371.

Fridericus V. primus Marchio Brandeburgicus Elector, obijt anno 1441.

Dania malè à nonnullis Dacia appellatur, & cum vera Dacia, quæ nunc eſt Tranſylvania confunditur. Tulit aliquando Sanctos, etiam Regiæ ſtirpis, cùm orthodoxam adhuc coleret fidem.

§. V.

Origo Regum priorum Hungariæ ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema Unicum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ, qui obijt anno 1305. **

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.)(

Clementia Uxor Caroli Martelli Regis Hungariæ. qui obijt anno 1295. *

Eliſa-

* *

Eliſabetha Uxor Joannis Lucelburgici Regis Bohemiæ, qui ob. an. 1346.

Carolus IV. Imperator, obijt anno 1378.

)(

Agnes Uxor Andreæ III. Veneti Regis Hungariæ, qui obijt anno 1301.

*

Carolus Robertus Rex Hungariæ, obijt anno 1342.

Sigiſmundus Rex Hungariæ, Imperator ob. an. 1437. Cujus Uxor — Maria Regina Hungariæ.

Margaretha, Maritus — Ludovicus Rex Hung. ob. an. 1382.

Andreas Rex Neapolitan.

Carolus Parvus Rex Hungariæ, ob. an. 1385.

Ladislaus Rex Neapolitanus evocatus ab Hungaris contra Sigiſmundum.

Eliſabetha Uxor Alberti II. Imperatoris Auſtriaci, qui obijt anno 1439.

Ladislaus Poſthumus Rex Hungariæ ob. an. 1458.

Eliſabetha Ux. Caſimiri Jagellonij Regis Poloniæ, qui ob. an. 1492.

Ladislaus Rex Hungariæ, obijt anno 1516.

Ludovicus II. Rex Hungariæ, Uxor Maria Auſtriaca ſoror Ferdinandi I. Imperatoris, obijt ipſe anno 1526.

Anna Uxor Ferdinandi I. Imperatoris Auſtriaci, Regis Hungariæ, cujus ſucceſſores in hanc diem Auſtriaci.

§. VI.

Origo Regum Poloniæ ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema unicum Geminatum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1380.

Albertus II. Sapiens Dux Auſtriæ, obijt anno 1358.

Leopoldus Probus Dux Auſtriæ, obijt anno 1386.

Erneſtus Ferreus Archi-Dux Auſtriæ, obijt anno 1424.

Fridericus IV. Imperator, obijt anno 1493.

Maximilianus I. Imperator, obijt anno 1519.

Philippus I. Rex Hiſpaniæ obijt anno 1506.

Ferdinandus I. Imperator, obijt anno 1564.

Carolus Archi-Dux Auſtriæ, obijt an. 1590.

*

Albertus III. cum Trica Dux Auſtriæ, obijt anno 1395.

Albertus IV. Archi-Dux Auſtriæ obijt anno 1404.

Albertus II. Imperator, obijt anno 1439.

Eliſabetha Uxor Caſimiri Regis Poloniæ, qui obijt anno 1492.

Sigiſmundus Rex Poloniæ, obijt anno 1548.

Sigiſmundus Auguſtus, qui ob. an. 1572. Uxores Catharina primùm, dein Eliſabetha Auſtriacæ filiæ Ferdinandi I.

Catharina Uxor Joannis III. Regis Sueciæ, qui obijt anno 1548.

)(

Fer-

**)(

Ferdinandus II. Imperator, obijt anno 1637.

Anna Austriaca, dein Constantia ejus soror——Sigismundus III. Rex Poloniæ obijt anno 1632. Uxores successivè.

Ferdinandus III. Imp. obijt anno 1657.

Cæcilia Renata, maritus—Uladislaus Rex Poloniæ obijt anno 1648. | Joan. Casimir. Rex Poloniæ ob. anno 16— postremi Jagellonidum.

obijt anno 1648.

—Eleonora Maria Uxor ----Michaelis Regis Poloniæ, quæ 2. nupsit Carolo Duci Lotharingiæ, trophæis Gallicis & Turcicis claro.

§. VII.

Origo Regum Sueciæ ex Habspurgo-Austriacis.

Schema I. Geminum.

Rudolphus I. Imperator, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens Dux, obijt anno 1358.

Albertus III. cum Trica Dux, obijt anno 1395.

Albertus IV. Archi-Dux obijt anno 1404.

Albertus II. Imperator Austriacus obijt anno 1439.

Elisabetha Ux. Casimiri Regis Poloniæ, qui obijt anno 1492.

Agnes Uxor Alberti Ducis Saxoniæ

Anna Uxor Henrici Leonis Ducis Mechelburg. qui obijt anno 1329.

Anna Uxor Henrici Ferrei Ducis Holsatiæ, qui obijt anno 1381.

Gerardus Dux Holsatiæ, qui obijt anno 1404.

Hedwigis Uxor Theodorici Oldenburgici, qui obijt anno 1440.

Christianus I. Rex Daniæ, qui obijt anno 1482.

Ladislaus Rex Poloniæ, & Hungariæ, obijt anno 1516.

Anna Ux. Ferdinandi I. Imperatoris, qui obijt anno 1564.

Maria Uxor Guilielmi Ducis Cliviæ, qui ob. anno 1585.

Maria Leonora Uxor Alberti Friderici Ducis Borussiæ, qui obijt Anno 1600.

Anna Uxor Sigismundi Electo. Brandeburgici, qui ob. an. 1619.

*

Barbara Uxor Georgij Ducis Saxoniæ, qui ob. anno 1539.

Christina Uxor Philippi Landgravij Hassiæ, qui obijt anno 1567.

Christina cujus Maritus------Adolphus Dux Holsatiæ, obijt anno 1586.

Fridericus I. Rex Daniæ obijt anno 1533.

Christina Uxor Caroli Regis Sueciæ, qui obijt anno 1611.

)(

Maria

*

Maria Leonora, cujus Maritus——Gustavus Adolphus Rex Sueciæ, qui occubuit anno 1632.

Christina hæres Sueciæ anno 1653. abdicato regno, objit anno 1689. cui nepos ex Catharina ejusdem Patris sorore hæreditariè successit Carolus Gustavus Sueciæ Rex.

Schema II.

Origo hodierni Regis Sueciæ ex Habspurgo-Austriacis.

Ferdinandus I. Imperator Austriacus, obijt anno 1564.

Maria Uxor Wilhelmi Ducis Cliviæ, qui obijt anno 1585.

Magdalena Uxor Joann. Palatini Rheni Bipontini, qui ob. an. 1604.

Joannes Casimirus Palatin. Rheni Bipontinus, qui ob. an. 1652. Uxor Catharina filia Caroli Regis Sueciæ.

Carolus Gustavus Rex Sueciæ, obijt anno 1660.

Carolus Rex Sueciæ, hodiedum regnans, natus anno 1655.

In Tabula Sigismundi Betulij, fortè errore Typographi ponuntur Maria, & Magdalena Ferdinandi I. filiæ sorores, cum tamen fuerint mater & filia. Alia fuit Magdalena Ferdinandi Imperatoris filia, quæ Virgo decessit: voluit fortè ponere Magdalenam neptem Ferdinandi I. nuptam Joanni Palatino.

Sigismund. Betul. in spec. hom. fol. 14.

§. VIII

Origo Ducum Bavariæ Electorum ex Habspurgo-Austriacis.

Schema Multiplex.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, ob. an. 1308.

Albertus II. Sapiens, obijt anno 1358.

Leopoldus Probus Dux, ob. an. 1386. — Ernestus Archidux obijt anno 1424. ***

Albertus III. Dux, ob. anno 1395. — Albertus IV. Dux, ob. an. 1404.——Anna cujus maritus—Henricus Impuber

Albert. II. Imp. ob. an. 1439. **

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ, qui obijt anno 1294.

Ludovicus IV. Imperator, obijt anno 1347.

Stephanus fibulatus Dux Bavariæ, ob. an. 1375.

Fridericus Landtshutanus ob. an. 1393. — Henricus Impuber Dux, ob. an. 1450.)(

Joannes Dux Bavariæ ob. an. 1397. — Ernestus Dux Bavariæ, ob. an. 1438. *

*** Fridericus IV. Imp. obijt anno 1493.

** Elisabetha Ux. Casimiri Regis Poloniæ.

)(Ludovicus Dives Dux, Ux. Amalia filia Friderici II. Elect. Saxoniæ, & Margaretæ Austriacæ.

* Albertus III. Pius Dux Bavariæ, obijt anno 1460.

Hedwigis, cujus maritus—Georgius Dives Dux, obijt anno 1502.

Maximilianus I. Imp. obijt anno 1519.

Chunegundis, cujus Maritus—Albertus Dux Bavariæ, ob. an. 1508.

Philippus Rex Hispaniæ, obijt anno 1505.

Wilhelmus Dux Bavariæ, obijt anno 1550.

Ferdinandus I. Imperator, obijt anno 1564.

Carolus Archidux, obijt anno 1590.

Anna Austriaca maritus—Albertus Dux Bavar. ob. an. 1579.

Maria Ux. Caroli Austriæ Archiduc. qui ob. an. 1590.

Ferdinandus II. Imp. Ux.—Maria Anna

Wilhelmus II. Dux Bavariæ, Ux. Renata Lotharinga, ipse obijt anno 1626.

Maria Anna, cujus Maritus—Maximilianus Dux Bavariæ, Elector obijt anno 1651.

Ferdinandus Maria Dux Bavariæ Elector, obijt anno 1679.

Maximilianus Emanuel modernus Dux & Elector Bavariæ.

Josephus Clemens Episcopus Frising. & Ratisponensis, Archi-Episcopus & Elector Coloniensis.

§. IX.

Origo Palatinorum Rheni Electorum ex Habspurgo-Austriacis.

Schema Geminum.

Rudolphus I. Habspurgicus, Imperator obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens Dux Austriæ, obijt anno 1358.

Albertus III. cum Trica Dux, obijt anno 1395.

Albertus IV. Archi-Dux Austr. obijt anno 1404.

Albertus II. Imperator, obijt anno 1439.

*

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ, qui obijt an. 1294.

Rudolphus Palatinus Rheni Elector, obijt anno 1319.

Adolphus Palatinus Rheni Elector, obijt anno 1389.

Rupertus Palatinus Rheni Elector, obijt anno 1398.

Rupertus Romanorum Imperator, obijt anno 1410.

)(

Anna

Anna Uxor Wilhelmi Ducis Saxon. qui obijt anno 1483.	Stephanus Palatinus Rheni, obijt anno 1444.	
Margarita Uxor Joan. Marchionis Brandenburgici, qui obijt anno 1499.	Fridericus Simerensis Palatinus Rheni ob. an. 1480.	Ludovicus Niger, à quo præter Neoburgicos, Bipontini, Lucelsteinij & Birckenfeldenses Palatini descendunt, ob. an. 1489.
Anna Ux. Friderici I. Regis Daniæ, qui obijt anno 1533.	Joannes Palatinus Rheni, obijt anno 1557.	
Christianus II. Rex Daniæ, qui obijt anno 1559.	Fridericus III. Palat. Rheni, obijt anno 1575.	Alexander ob. an. 1514.
Fridericus II. Rex Daniæ, obij anno 1588.	Ludovicus Palatinus Rheni Elector, ob. an. 1583.	Ludovicus, obijt anno 1532.
Anna Ux. Jacobi VI. Regis Angliæ, qui obijt an. 1625.	Fridericus IV. Palatinus Rheni, ob. an. 1610.	Wolfgangus Dux Neoburgicus, obijt 1569.
Elisabetha, cujus Maritus	Fridericus V. Palatinus Rheni exauctoratus, obijt anno 1632.	Philippus Ludovicus Palatinus Rheni Dux Neoburgicus, obijt anno 1614.
Carolus Ludovicus per instrumentum pacis restitutus ad Palatinatum inferiorem, obijt anno 1680.		Wolfgangus Wilhelmus, obijt anno 1653.
Carolus qui obijt anno 1685. & lineam hanc Electoralem terminavit electoratu ad Domum Neoburgicam devoluto.		Philippus Wilhelmus modernus Elector Palatinus.
		Eleonora Magdalena Theresia Uxor August. Imperat. Leopoldi I.

Ab una radice hi pullulârunt cum Ducibus Bavariæ, & in plures ramos divisi appellantur Palatini Rheni Bipontini, Lucelsteinij, Birckenfeldenses, Neoburgici, Sultzbacenses, Lautereckij, &c, omnes ab hac origine propagati, de quibus speciales contexere nexus Genealogicos nimis operosum esset; De Neoburgicis tamen speciale libet præmisso adjungere.

Schema II. Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt ann 1291.

Albertus I. Imperator Austriacus, obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens Dux Austriæ, obijt anno 1358.

Albertus III. cum Trica Dux, obijt anno 1395.	Leopoldus III. Probus Dux, obijt anno 1386.

Albertus IV. Mirabilia Mundi Archi-Dux, obijt anno 1404.

Albertus II. Imperator, obijt anno 1439.

Elisabetha Uxor Casimiri III. Regis Poloniæ, qui ob. an. 1492.

Barbara Uxor Georgij Barbati Ducis Saxoniæ, qui obijt anno 1539.

Christiana Uxor Philippi Landgravij Hassiæ, qui obijt anno 1567.

Anna Ux. Wolfgangi Palatini Rheni Bipontini, obijt anno 1569.

Philippus Ludovicus Palatinus Rheni, Dux Neoburgicus, qui obijt anno 1614. cujus Uxor

Ernestus Ferreus Archi-Dux, obijt anno 1424.

Fridericus V. Imperator, obijt anno 1493.

Maximilianus I. Imperator, obijt anno 1519.

Philippus Archi-Dux Rex Hispaniæ, obijt anno 1506.

Ferdinandus I. Imperator, obijt anno 1564.

Maria Ux. Guilielmi Ducis Cliviæ, & Juliaci,

Anna Ducissa Cliviæ, & Juliacensis.

Wolfgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni Dux Neoburgicus, obijt anno 1653.
Cujus prima Uxor, Magdalena Ducissa Bavariæ, neptis Annæ Ferdinandi I. Imperat. filiæ. 2. Catharina Charlotta Bipontina.

Philippus Wilhelmus Dux Neoburgicus, natus ex I. thoro cujus prima Uxor Anna Catharina Constantia filia Sigismundi III. Regis Poloniæ ex Constantia Austriaca Caroli Archi-Ducis filia. 2. Elisabetha Amalia Landgravia Hassiæ Darmstadiana.

Eleonora Magdalena Theresia. Conjux LEOPOLDI I. Imperat.

Schema III. cui annectuntur fratres & sorores Augustissimæ Imperatricis.

Ferdinandus I. Imperator Austriacus.

Maria Uxor Guilielmi Ducis Cliviæ.

Anna Uxor Philippi Ludovici Neoburgici.

Wolfgangus Wilhelmus Neoburgicus, cujus I. Uxor

Anna Uxor Alberti Ducis Bavariæ.

Wilhelmus Dux Bavariæ.

Magdalena Ducissa.

Philippus Wilhelmus Palatinus Rheni Dux Neoburgicus, cujus II. Uxor Elisabetha Amalia Landgravia Hassiæ.

Filij & Filiæ Philippi Wilhelmi Electoris Palatini.

Eleonora Magdalena Theresia nata 6. Januarij anno 1655. Augustissima Uxor Leopoldi I. Imperatoris.

Joannes Wilhelmus Josephus Ignatius natus anno 1658. 19. April. II. Elector Palatinus ex Domo Neoburgica &c. cujus Uxor Maria Anna Ferdinandi III. Imperatoris filia Archi-Ducissa Austriæ, obijt anno 1689.

Maria

Maria Adelheidis Anna nata 6. Januarij 1656. obijt eodem anno.

Wolfgangus Georgius Fridericus Franciscus Præpositus Coloniæ ad S. Gereonem, &c. Româ redux obijt Neostadij in Austria 1683. ibidem apud Religiosos S. Pauli I. Eremitæ sepultus.

Sophia Amalia Eleonora Elisabetha nata 1657. 25. Maij, obijt an. 1658.

Ludovicus Antonius natus 9. Junij 1660. Ordinis Equestris militiæ Tevtonicæ Magnus Magister, Coadjutor Moguntinensis.

Maria Sophia Elisabeth nata 6. Augusti 1666. Petri II. Regis Lusitaniæ anno 1687. Conjux.

Carolus Philippus natus 4. Novembris 1661. Generalis Vigiliarum Præfectus in exercitu Cæsareo. Desponsavit sibi Franciscam Carlottam Principissam Radzivilianam Viduam Ludovici Leopoldi Marchionis Brandeburgici Electoralis Principis.

Maria Anna nata 1667. 28. Octobr. (malè suprà (*) 52. positum videtur 26. Octob.) nupsit Carolo II. Hispaniarum Monarchæ.

Alexander Sigismundus natus 16. Aprilis 1663. Episcopus Augustanus.

Dorothea Sophia nata 5. Julij 1670. Odoardi Ducis & Principis Hæreditarij Parmensis uxor.

Franciscus Ludovicus natus 24. Julij 1664. Episcopus Wratislaviensis & Supremus Silesiæ Præfectus.

Hedvigis Elisabetha Amalia nata 18. Julij an. 1673. nupsit an. 1691. Jacobo, Serenissimi Joannis III. Regis Poloniæ Primogenito.

Fridericus Wilhelmus natus 20. Julij 1665. in obsidione Moguntiæ occubuit an. 1689.

Leopoldina Eleonora Josepha nata 27. Maij 1679.

Philippus Wilhelmus Augustus 16. Novemb. 1668. natus. Uxor Anna Maria Francisca filia Julij Francisci Ducis Saxo-Lavenburgici, qui sine filijs defunctus, lineam finivit 1689. 30. Septembris.

Joannes natus & denatus 18. Julij an. 1675.

Ab hac fructifera Neoburgicæ domûs arbore, uti ætate nostra vidimus, Nobilissima & amœnissima totius Christiani orbis Regna ne dixerim, an Tempe desumptos surculos, non solùm amore sibi inoculârunt, quàm connubio incorporârunt, quibus ut ea Regna in finem usque mundi germinent, reverentissimè & cordialissimè exoptat Author & optando auguratur: nam arbor hæc, seu domus serenissima Neoburgica

Si fortuna rotabilis *Avancin. l. 2. & 4. Od. 23. & 4.*
fatum difficili verterit alea,
Spem (in Deum) non projicit
sed æqua fronte favonios,
& tristes pariter excipit Africos.

Crescat utrisque & si adversitatum turbines in hac vita ferre oportet, altiùs semper radices agat.

§. X.

Origo Ducum Saxoniæ Electorum ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema Tergeminum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.	Agnes Uxor Alberti II. Electoris Saxoniæ.	
Albertus II. Sapiens Dux Auſtriæ, obijt anno 1358.	Rudolphus I. Elector Saxoniæ, obijt anno 1356.	
Leopoldus Probus Dux Auſtriæ, obijt anno 1386.	Wenceslaus I. Elector Saxon. ob. an 1388.	
Erneſtus Ferreus Archi-Dux, obijt anno 1424.	Rudolphus Elector, obijt anno 1418.	Albertus Elector obijt anno 1422. ambo ſinè liberis.
Fridericus V. Imperator, obijt anno 1493.	Margareta Uxor Friderici Placidi, qui ob. an. 1464. ex Landgravijs Thuringiæ ſecundi Electoris Saxoniæ.	
Maximilianus I. Imperator, obijt anno 1519.	Albertus Dux Saxoniæ, obijt anno 1500.	Erneſtus Dux Saxoniæ, Elector, obijt anno 1486.
Philippus Rex Hiſpaniæ, obijt anno 1506.	Henricus Dux Saxoniæ, obijt anno 1541.	Joannes Dux Saxoniæ Elector, obijt anno 1532.
Ferdinandus I. Imperator, obijt anno 1564.	Auguſtus Dux Saxoniæ Elector, obijt an. 1586.	Joannes Fridericus Dux exauctoratus, ob. an. 1554. Ab hoc deinde Duces Altenburgici; & Weinmarienſes.
Maria Uxor Gulielmi Ducis Cliviæ, qui ob. an. 1585.	Chriſtianus I. Dux Saxoniæ, obijt an. 1591.	
Maria Eleonora Uxor Alberti Frider. March. Brandenburg.		
Magdalena Sibilla maritus	Joannes Georgius Dux Saxoniæ Elector, obijt anno 1656.	

Joannes Georgius II. Dux Saxoniæ Elector, obijt anno 1680.	Et fratres Auguſtus Dux Saxoniæ Hallenſis, Chriſtianus Mersburgenſis, Mauritius Naumburgenſis.
Joannes Georgius III. Dux Saxoniæ natus an. 1647. die 20. Junij, modernus Elector.	

§. XI.

Origo Marchionum Brandeburgi Electorum.

Schema Geminum.

Albertus Sapiens Landgravius Alſatiæ, & Comes Habſpurgicus.

Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus,	Eliſabetha (alijs Clementia) Uxor Eitelfriderici Comitis à Zollern.

)(Mechtil-

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ, qui ob. an. 1294.

Ludovicus IV. Imperator Bavarus obijt anno 1347.

Stephanus Dux Bavariæ, obijt anno 1375.

Fridericus Dux Bavariæ, obijt anno 1393.

Elisabetha, cujus Maritus —

Fridericus Burggravius Norimbergensis, obijt anno 1290.

Fridericus II. Burggravius Norimbergensis, obijt anno 1330.

Albertus Burggravius Norimbergensis, obijt anno 1361.

Fridericus IV. Burggravius Norimbergensis, obijt anno 1371.

Fridericus IV. Burggravius, primus Elector Brandeburgicus, obijt anno 1441.

Fridericus Crassus, à quo Principes ab Hochenzollern.

Albertus Achilles Elector Brandeburgicus, obijt anno 1486.

Joannes Elector Brandeburgicus, obijt an. 1499.

Joachimus I. Elector Brandeburg. obijt an. 1535.

Joachimus II. Elector Brandeburg. obijt an. 1571.

Joannes Georgius Elector Brandeburg. ob. an. 1598.

Christianus Marchio Brandeburgicus, obijt anno 1611.

Magdalena Sibylla Ux. Joan. Georgij Duc. Saxoniæ.

Anna Maria Ux. Joan. Anton. Princ. ab Eggenberg.

Erdmanus Augustus Uxor Sophia Brandeburg.

Joachimus Fridericus Elector, obijt anno 1608.

Joannes Sigismundus Elector Brandeb. ob. an. 1619.

Georgius Wilhelmus Elector Brandenburg, ob. an. 1640.

Fridericus Wilhelmus Elector Brandeburg. ob. an. 1688.

Fridericus III. modernus Elector Brandeburgicus.

Carolus Philippus Marchio, & fratres alij.

Joachimus Ernestus Marchio, ob. an. 1625.

Albertus Marchio Brandeburg. Onspacensis.

Brandeburgici Marchiones primæ stirpis fuerunt Comites Wethinenses ex posteritate Widekindi Ducis Saxonum primi Christiani: quorum Hugo primus Elector sine prole defunctus, patrueli Theodorico Electoratum reliquit, qui anno 1020. in exilium actus mascula sobole destitutus, ut refert Henninges P. 2. fol. 10. Atverò alibi primam Brandeburgicorum Marchionum familiam (& meliùs) deducit ex Comitibus Mersburgicis, & Ringelheimensibus, quos defecisse tradit anno 965. translato Marchionatu ad Wittinenses, de quibus suprà. Pulso verò in exilium Theodorico ad Burggravios Soraborum Marchiones Landspergenses ejusdem radicis devolutus est titulus Marchionum, & Electo-

Electorum Brandeburgenſium, mox ad Marchiones Stadenſes, & Dominos Ditmarſiæ, qui anno 1142. extincti ſunt. Tertia porrò Marchionum Brandeburgicorum familia cœpit eodem anno 1142. ex Comitibus Aſcaniæ & Ballenſtedij, primuſque Elector renuntiatus eſt à Friderico I. Imp. Albertus Urſus Comes Aſcaniæ & Ballenſtedij, Dominus Bernburgi & Marchio Salisquellenſis, cujus duo filij alter Otto ſucceſſit in Electoratu Brandeburgico, alter Bernardus creatus eſt Elector Saxoniæ. Poſtremus hujus familiæ Brandeburgicus Elector obijt anno 1322. Woldemarus II. cui mox ſucceſſorem in Electoratu & Marchia ſubrogavit Ludovicus Bavarus Imperator Ludovicum ſeniorem filium ſuum, dein juniorem Ludovicum Romanum, demum Otto fratrum tertius Marchionatum vendidit Carolo IV. Imperatori, hic filio Sigiſmundo eum contulit. Tandem anno 1417. Sigiſmundus jam Imperator ob inſignia belli domíque præſtita ſervitia Friderico IV. Burggravio Norimbergenſi, Marchionatum ſimul cum Electoris dignitate contulit, in cujus familia adhuc perſeverat.

Schema II. Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus, obijt anno 1291.

Albertus Imperator, obijt anno 1308. — Mechtildis Uxor Ludovici Severi, qui obijt anno 1294.

Albertus II. Sapiens Dux Auſtr. obijt anno 1358. — Ludovicus Bavarus Imperator, obijt anno 1347.

Albertus III. Dux Auſtriæ, obijt anno 1395. — Stephanus Fibulatus Dux Bavariæ, obijt anno 1375.

Albertus IV. Archi-Dux Auſtriæ, obijt anno 1404. — Fridericus Landshutanus Dux Bav. obijt anno 1393.

Albertus I. Imperator II. obijt anno 1439. — Eliſabetha Uxor Friderici Marchionis Brandenburg. qui obijt an. 1441.

Eliſabetha Ux. Caſimiri Regis Poloniæ, qui obijt anno 1492. — Anna Ux. Wilhelmi Ducis Saxoniæ. — Albertus Achilles Marchio Brandeburg. obijt anno 1486.

Sigiſmundus Rex Poloniæ, obijt anno 1548. — Margareta cujus Maritus — Joannes III. Marchio Elector Brandeburg. obijt anno 1499. — Fridericus V. March. Brandeburgicus, ob. an. 1536.

Joachimus I. Elector Brandeburg. obijt anno 1535. — Georgius II. Pius Marchio Brandeburgicus, obijt anno 1543.

** — * —)(

Hedwi-

** *

Hedwigis Polona cujus Maritus — Joachimus II. Elector Brandeb. obijt anno 1571.

Joannes Georgius Elector, Brandeburgicus, obijt anno 1598. Uxor ejus — Sabina Brandeburgica

Joachimus Fridericus Elector Brandeburg. ob. an. 1608.

Joannes Sigismundus Elector Brandeburg. ob. an. 1619.

Georgius Wilhelmus Elector Brandeburg. ob. an. 1640.

Fridericus Wilhelmus Elector Brandeburgicus, ob. an. 1688.

Fridericus III. modernus Elector Brandeburgicus.	Carolus Philippus Marchio, & fratres alij.

Schema III. triplex

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, ob. an. 1291.

Albertus I. Imperator Austriacus, obijt an. 1308.

Albertus II. Sapiens Dux Austriæ, obijt anno 1358.

Albertus III. cum Trica, Dux, obijt anno 1395.		Leopoldus III. Dux Austriæ, obijt anno 1386.
Albertus IV. Mirabilia Mundi, obijt anno 1404.		Ernestus Archi-Dux Austriæ, obijt anno 1424.
Albertus II. Imperator ob. an. 1439.	Fridericus IV. Imperator, obijt anno 1493.	Margareta Uxor Friderici Placidi Elect. Saxon. qui obijt anno 1464.
Elisabetha Uxor Casimiri Regis Poloniæ, qui obijt anno 1492.	Maximilianus I. Imperator, obijt anno 1519.	Ernestus Dux Saxoniæ Elector obijt anno 1486.
Sophia Uxor Friderici V. Marchio: Brandeburgici, qui obijt anno 1536.	Philippus I. Rex Hispaniæ Archi-Dux Austriæ, obijt anno 1506.	Christina Uxor Joannis Regis Daniæ, qui ob. an. 1513.
Albertus Marchio Brandeburgicus Dux Borussiæ, obijt anno 1568.	Ferdinandus I. Imperator obijt anno 1564.	Elisabetha Uxor Joachimi I. Electoris Brandeburgici, qui obijt anno 1535.
	Maria Uxor Gulielmi Ducis Juliacensis, qui obijt anno 1585.	Joannes Prudens Marchio Brandeburgicus, ob. an. 1571.
Albertus Fridericus Marchio Brandeburg. qui ob. an. 1600. Uxor —	Eleonora Juliacensis.	Catharina Ux. Joachimi Friderici Marchion. Brandeburg. qui obijt anno 1608.

Anna Brandeburgica, cujus Maritus — Joannes Sigismundus Elector Brandeburg. ob. an. 1619.

Georgius Wilhelmus Elector Brandeburgicus, ob. an. 1640.

Fridericus Wilhelmus Elector Brandeburgicus, ob. an. 1688.

Fridericus III. modernus Elector Brandeburgicus. — Carolus Philippus Marchio, & fratres alij.

§. XII.

Origo Principum Anhaltinorum ex Habspurgo-Austriacis.

Schema ter Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.

Albertus I. Imperator. — Agnes Uxor Alberti II. Electoris Saxoniæ, qui obijt anno 1312.

Albertus II. Sapiens Dux. — Rudolphus I. Elector Saxoniæ, qui obijt anno 1356.

Albertus III. cum Trica. — Leopoldus probus Dux — Beatrix Uxor Alberti junioris Principis ab Anhalt cognati, qui obijt post annum 1362.

Albertus IV. Archi-Dux — Ernestus Ferreus Archid. — Joannes Princeps ab Anhalt.

Albertus II. Imperator. — Margareta Uxor Friderici II. Electoris Saxoniæ — Sigismundus Princeps ab Anhalt, ob. post an. 1405.

Anna Uxor Wilhelmi Ducis Saxoniæ. — Anna Uxor Alberti Achillis Electoris Brandeburg. — Georgius Princeps ab Anhalt, obijt anno 1474.

Margareta Uxor Joannis Electoris Brandeburg. qui obijt anno 1499. — Ursula Uxor Henrici D. in Münsterberg.

Joachimus Elector Brand. obijt anno 1535. — Margareta cujus maritus — Ernestus Princeps ab Anhalt obijt anno 1516.

Margareta cujus Maritus — Joannes Princeps ab Anhalt, obijt anno 1551.

Joachimus Ernestus Princeps Anhaltinus ob. anno 1586.

Joannes Georgius — Rudolphus — Augustus Princ. Anhalt. — Ludovicus — Christianus.

Joannes Casimirus — Joan. Princ. in Zerbst. — Lebrecht cum fratribus in Plotzgau. — Wilhelmus Ludovic. in Cœten. — Christianus — Fridericus

Joan. Georg. Mauritius & Ludovicus, Dessavienses. — Erdmannus Gedeon. Carolus Ursinus, & fratres & plures alij. — Wilhelmus. Victor Amadæus.

Radix

Radix Principum Anhaltinorum ſunt Duces Saxoniæ. Primus eorum fuit Henricus filius Bernardi Ducis Saxoniæ ex Jutta filia Canuti Regis Daniæ, Princeps Harciniæ in Anhalt à Friderico I. Imperatore inſtitutus, Comes Aſcaniæ, Ballenſtedij, & Wœlpæ, Dynaſta Bernburgenſis, floruit anno 1230. obijt 1257. Reliquit copioſam prolem, Sigiſmundus filius fuit Alberti ſenioris pater, junioris avus, quem in tabula repoſuimus maritum Beatricis, quæ fuit proneptis Rudolphi Imperatoris. *Henning. P. 3. Germ. fol. 186.*

§. XIII.

Origo Marchionum Badenſium, & Durlacenſium ex Habſpurgo-Auſtriacis.

DIſputant Geneographi de prima origine Marchionum Badenſium, cùm alij à Veronenſibus ortos ſuſpicantur, alij ab Habſpurgicis immediatè. Henninges ità orditur illorum Geneſim: *Hermannus Marchio Veronenſis, qui Imperatori Fr.d.rico Barbaroſſæ militans, cum ipſo Italiâ relictâ Germaniam ingreſſus eſt circa annum 1155.* ubi ductâ in Uxorem Imuthâ, vel Judithâ poſtremi Badenſis Marchionis filiâ conſedit, & inveſtitus eſt S. R. I. Marchio Badenſis. At verò Pieſpordius, & poſt eum Bucelinus Hermannum authorem Badenſium non Italum Veronenſem, ſed Germanum Habſpurgicum fuiſſe affirmat; quod & mihi credibilius eſt: quia nec conſtat de ullis Marchionibus Veronæ ante tempora Friderici I. Imperat. nec conſtat de ullis anterioribus Marchionibus Badenſibus. Si qui tamen fuerunt, ij potiùs Germani, quàm Itali fuiſſe cenſendi. Damus hìc utramque originem.

Schema I.

Ad mentem Pieſpordij, Bucelini, &c.

Betzo Comes Habſpurgicus, Anno 992. dictus alijs Lancelinus, & Landolus.

Landolus II. ſeu Betzelinus Comes Habſpurgi & Briſgoæ. | **Radepoto Comes Habſpurgicus à quo recta ſerie hodierni Habſpurgo-Auſtriaci.**

Bertholdus Barbatus Comes Habſpurg. Zaringiæ conditor, anno 1078.

Hermannus Marchio de Zaringen obijt anno 1074. | **Bertholdus II. Dux Zaringiæ & Burgundiæ, Zaringenſium propagator.**

Hermannus II. per Juditham hæredem Comitatûs Badenſis, & Hochbergenſis, Marchio Badenſis: obijt an. 1130. Ab hoc per duodecimam generationem deſcendit Carolus & cæteri uſque ad hodiernos continuatâ ſerie ùt II. Schema exhibet.

Schema II. indubitatum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens Dux obijt anno 1358.

Leopoldus Probus Dux obijt anno 1386.

Ernestus Ferreus Archi-Dux obijt anno 1424.

Catharina Austriaca Uxor Caroli Marchionis Badensis, qui obijt anno 1475.

Christophorus Marchio Badensis ob. an. 1527.

Bernardus Marchio Badensis obijt anno 1566.	Ernestus Marchio Durlacensis obijt anno 1552.
Christophorus Marchio Badensis obijt anno 1575.	Carolus Marchio Durlacensis obijt anno 1577.
Eduardus Fortunatus Marchio Badensis, obijt anno 1600.	Georgius Fridericus Durlacensis obijt anno 1538.
Wilhelmus Marchio Badensis natus anno 1593. obijt anno 1678.	Fridericus Marchio Durlacensis obijt anno 1659.
	Fidericus Carolus Gustavus Adolphus

Ferdinandus Maximilianus Marchio Badensis & Hochburgensis.	Hermannus Consilij Cæsarei Bellici ac Comitiorum Imperialium Ratisbonæ Præses, & Philippus Sigismundus & alij fratres.	Leopoldus Wilhelmus Marchio Badensis.
Ludovicus Guilielmus Marchio Badensis ac Hochburgensis Cæsareæ militiæ supremus Præfectus, Turcarum Domitor.		Leopoldus M. Badens. Dominus in Lowosiz,

§. XIV.

Origo Ducum Brigensium, & Lignicensium ex Babspurgo-Austriacis.

Schema unicum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.

Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ.

Marga-

Margareta Vx. Boleslai Ducis Brigensis & Lignic.

Ludovicus Dux Brigensis & Lignicensis.

Henricus Stigmaticus Dux Lignicens.

Henricus Dux Lubensis.

Ludovicus Dux Lubensis.

Joannes Dux Lignicensis.

Fridericus I. Dux Lignicensis.

Fridericus II. Dux Lignicensis.

Georgius Dux Lignicensis obijt anno 1586.

Joannes Fridericus Dux Lignicensis obijt anno 1596.

Joannes Christianus Dux Lignicensis, natus anno 1591.

Georgius Dux.

Dorothea Uxor N. Principis Nassovij de Dillenberg.

Joannes Georgius Dux Lignicensis.

Georgius Christophorus Dux Lignicensis, natus anno 1583.

§. XV.

Origo Ducum Brunsuicensium, & Lunæburgensium ex Habspurgo-Austriacis.

Schema Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens Dux Austriæ, obijt anno 1358.

Leopoldus Dux Austriæ, obijt anno 1386.

Ernestus Archidux Austriæ, obijt anno 1424.

Margareta Uxor Friderici Elect. Saxon. qui ob. an. 1464.

Ernestus Elector Saxoniæ obijt anno 1486.

**

Anna Uxor Hermanni Longi Marchio: Brandeburgici, qui obijt anno 1308.

Agnes Uxor Waldemari Electoris Brandeburg. qui obijt anno 1319.

Catharina Uxor Torquati Magni Ducis Brunsuicensis, qui obijt anno 1373.

Bernardus Dux Luneburg. obijt anno 1434.

Fridericus Dux Lunæburg. obijt anno 1478.

Otto Dux Lunæburgicus, obijt anno 1471.

*

Henricus Dux Brunsuic. obijt anno 1416.

Wilhelmus victorios. Dux Brunsuic. obijt an. 1482.

Wilhelmus Junior Dux Brunsuic. ob. an. 1495.

)(

Marga-

** Margareta cujus maritus —— * Henricus Dux Luneburgicus, ob. anno 1532.

Ernestus Dux Luneburgicus, ob. an. 1546.

Henricus Dux de Danneberg. obijt anno 1598.

Augustus Dux Lunæburg. in Danneberg, & Wolfenbittel.

Rudolphus Augustus, Antonius Ulricus, Ferdinand. Albert. } Fratres.

Wilhelmus Dux Lunæburg. obijt anno 1592.

Georgius Dux Lunæburg. obijt anno 1640.

Georgius Wilhelmus Dux Luneb. in Zell. Joannes Fridericus in Hannover. } Fratres.

)(Henricus Senior Dux Brunsuic. ob. an. 1514.

Henricus Junior Dux Brunsuic. obijt an. 1568.

Julius Dux Brunsuic. obijt anno 1589.

Henricus Julius Dux Brunsuic. ob. an. 1613.

Fridericus Ulricus Dux Brunsuic. ob. an. 1634. & fratres, Henricus Julius ob. an. 1606. Christian. obijt anno 1626. Rudolphus.

§. XVI.

Origo Hassiæ Landgraviorum ex Habspurgo-Austriacis.

Schema I. Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens Dux ob. an. 1358.

Albertus III. cum Trica, Dux obijt anno 1395.

Albertus IV. Mirabilia Mundi Archi-Dux obijt anno 1404.

Albertus II. Imperator Austriacus, obijt anno 1439.

Elisabetha Ux. Casimiri Regis Poloniæ, qui ob. an. 1492.

Barbara Ux. Georgij Ducis Saxoniæ, qui obijt anno 1539.

Christina Saxonica, cujus Maritus ——

Mechtildis Uxor Ludovici Severi, Ducis Bavariæ.

Ludovicus IV. Imperator, Bavarus

Mechtildis Uxor Friderici Severi Marchionis Misniæ.

Fridericus Bellicosus Marchio Misniæ.

Anna Ux. Ludovici Pacifici Landgr. Hassiæ, qui obijt an. 1462.

Ludovicus Landgravius Hassiæ obijt anno 1471.

Wilhelmus Landgravius Hassiæ, obijt anno 1509.

Philippus Landgravius Hassiæ ob. an. 1567.

Wilhelmus Landgravius Hassiæ in Cassel. obijt an. 1592.

Mauritius Landgr. Hassiæ Cassel obijt anno 1632.

Wilhelmus Landgrav. Hass. Cassel. Hermannus. Fridericus & alij fratres.

Georgius Landgravius Hassiæ in Darmstatt, ob. an. 1596.

Fridericus & plures fratres.

Wilhelmus in Homburg.

Ludovicus Fidelis obijt anno 1626.

Georgius Landgr. Hass. Darmstatt.

Ludovicus, & Georgius.

Fridericus S. R. E. Cardinalis Episcop. Wratislaviensis.

Philippus natus anno 1582. ob. an. 1643.

Schema

Schema II. Geminum.

Landgraviorum in Cassel.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, ob. an. 1291.

Albertus I. Imperator Austriacus, obijt an. 1308.

Albertus II. Sapiens Dux, obijt anno 1358.

Albertus III. cum Trica Dux Austr. obijt anno 1395.

Albertus IV. Archi-Dux obijt anno 1404.

Albertus II. Imperator obijt anno 1439.

Elisabetha Uxor Casimiri Regis Poloniæ, qui obijt anno 1492.

Barbara Uxor Georgij Ducis Saxoniæ, qui obijt anno 1539.

Christina Uxor Philippi Landgravij Hassiæ, qui obijt anno 1567.

Leopoldus Dux Austriæ obijt anno 1386.

Ernestus Ferreus Archi-Dux, obijt anno 1424.

Fridericus IV. Imperat. ob. an. 1493.

Chunegundis Uxor Alberti D. Bavariæ, qui obijt anno 1508.

Sabina Uxor Ulrici Ducis Wirtenberg. qui obijt anno 1550.

Christoph. Dux Wirtenbergiæ, obijt anno 1568.

Wilhelmus Landgrav. in Cassel. Uxor — Sabina Wirtenbergica, ob. an. 1592.

Mauritius Landgravius Hassiæ, obijt anno 1632.

Wilhelmus Landgravius Hassiæ, natus anno 1602.

Ernestus Landgravius Hassiæ Reinfels.

Wilhelmus Landgravius Hassiæ Cassel.

Charlotta Uxor Caroli Ludovici Palatini Rheni Electoris.

Schema III.

Landgraviorum in Darmstatt.

Ferdinandus I. Imperator Austriacus.

Maria Uxor Gulielmi Ducis Cliviæ, qui obijt anno 1585.

Leonora Uxor Alberti Friderici Marchionis Brandeburgici, qui ob. an. 1600.

Magdalena Sybilla Uxor Joannis Georgij Electoris Saxoniæ, qui ob. an. 1656.

Sophia Eleonora Uxor Georgij Landgravij Hassiæ Darmstadensis.

Ludovicus Georgius Landgr. Hassiæ Darmstadij.

§. XVII.

Origo Ducum Hetruriæ ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema Geminum.

Maximilianus I. Imperator Auſtriacus, obijt anno 1519.

Philippus I. Rex Auſtriacus, obijt anno 1506.

Ferdinandus I. Imperator Auſtriacus, obijt anno 1564.

Carolus Archidux, obijt anno 1590.

Joanna Uxor Franciſci II. Magni Ducis Hetruriæ filij Coſmi, ille ob. an. 1587.

Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ Franciſci frater cujus Uxor — Lotharinga.

Iſabella Uxor Chriſtiani II. Regis Daniæ.

Chriſtina Uxor Franciſci I. Ducis Lotharingiæ, qui ob. anno 1590.

Carolus Dux Lotharingiæ

Chriſtina (alijs Catharina) Lotharinga.

Magdalena Archi-Dux Auſtriæ, cujus maritus — Coſmus II. Dux Magnus Hetruriæ,

Ferdinandus II. Magnus Dux Hetruriæ Uxor Victoria de Rovere ſoror uterina Ferdinandi Caroli Archi-Ducis Tyrolenſis ex eadem matre Claudia.

Coſmus III. Magnus Dux Hetruriæ.

§. XVIII.

Origo Ducum Holſatiæ ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ, qui obijt anno 1294.

Ludovicus Bavarus Imperator, obijt anno 1347.

Stephanus Dux Bavariæ, obijt anno 1375.

Fridericus Dux Bavariæ obijt anno 1393.

Eliſabetha Uxor Friderici I. Electoris Brandeburgici, qui ob. an. 1441.

Dorothea Brandeburgica, maritus ejus — Chriſtianus I. Rex Daniæ ob. an. 1482.

Agnes Uxor Alberti II. Ducis Saxoniæ, qui obijt anno 1311.

Anna Uxor Henrici Leonis D. Mechelburgici, qui obijt anno 1329.

Anna Uxor Henrici Ferrei Comitis Holſatiæ, qui obijt anno 1381.

Gerardus Comes Holſatiæ, Dux Sleſwicenſis, obijt anno 1404.

Hedwigis Uxor Theodorici Comitis Oldenburgici, obijt anno 1440.

Fridericus I. Rex Daniæ obijt anno 1533.

- Christianus III. Rex Daniæ
 - Joannes Dux Holsatiæ in Sunderburg.
 - Philippus
 - Christianus in Glükhsburg & fratres.
 - Fridericus
 - Joannes Bugislaus.
 - Alexander
 - Christianus & fratres.
 - Christianus Adolphus.
 - Philippus Ludovicus
- Adolphus Dux Holsatiæ in Gottorp. obijt anno 1586.
 - Joannes Adolphus Dux Holsat. in Gottorp.
 - Fridericus Dux Holsat. in Gottorp.
 - Christianus Albertus.
 - Joannes.
 - Joannes Augustus.

§. XIX.

Origo Ducum Saxoniæ Lavenburgicorum ex Habspurgo-Austriacis.

Schema Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator Austriacus, obijt anno 1308.

- Albertus II. Sapiens Dux Austriæ obijt anno 1358.
 - Leopoldus Probus Dux Austriæ obijt anno 1385.
 - Ernestus Ferreus Archidux Austriæ, obijt anno 1424.
 - Margareta Uxor Friderici II. Electoris Saxoniæ, qui obijt anno 1464.
 - Albertus Dux Saxoniæ, qui obijt anno 1500.
 - Henricus Pius Dux Saxoniæ obijt anno 1541.
 - Sibylla Ducissa Saxoniæ, cujus maritus —— Franciscus I. Dux Saxoniæ infer. Lavenburgici, ob. an. 1544.
- Anna Uxor Hermanni Longi Marchionis Brandeburgici, qui ob. anno 1308.
 - Agnes Uxor Woldemari Electoris Brandeburg. qui obijt anno 1319.
 - Catharina Uxor Magni Torquati Ducis Brunsuicensis, qui obijt anno 1371.
 - Catharina Uxor Erici III. Ducis Saxon. Infer Lauenburgici, qui obijt an. 1419.
 - Bernardus Dux Saxoniæ Infer. Lavenburg. obijt anno 1463.
 - Joannes Dux Saxoniæ infer. Lauenburg. obijt anno 1507.
 - Magnus Dux Saxoniæ infer Lauenburg. obijt anno 1543.
 - Franciscus I. Dux Saxoniæ infer. Lavenburgici, ob. an. 1544.

Franciscus II. Dux Saxoniæ infer. Lauenburgicus, ob. an. 1543.

- Augustus Dux Sax. infer. Lauenburg.
 - Joannes Adolphus Dux Saxoniæ infer. Lauenburg.
- Julius Henricus Dux Saxo-Lauenburg. ob. an. 1665. 11. Novemb.
 - Franciscus Erdmannus Dux Lavenburgicus obijt an. 1666. 31. Julij.
 - Julius Franciscus Dux Saxo-Lauenburg. Militiæ Cæsareæ Generalis Campi Mareschallus sine filijs defunctus lineam finivit 1689. 30. Septemb.
- Franciscus Carolus, alij plures.

§. XX.

Origo Landgraviorum Leuchtenbergicorum ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Albertus I. Imperator.

Gutta Uxor Ludovici VIII. Comitis ab Oetting, qui obijt an. 1316.	Albertus II. Sapiens Dux Auſtriæ obijt anno 1358.	
Albertus I. ab Oetting Comes obijt anno 1337.	Albertus III. cum Trica Dux Auſtr. ob. an. 1395.	Leopoldus Probus Dux Auſtriæ obijt an. 1386.
Ludovicus X. Comes ab Oetting, obijt anno 1354.	Albertus IV. Archidux obijt anno 1404.	Erneſtus Archidux obijt anno 1424.
Imagina Uxor Alberti Landgravij Leuchtenb. flo. an. 1396.	Albertus II. Imperator obijt anno 1439.	Catharina Uxor Caroli Marchion. Badenſ. qui ob. anno 1475.
Leopoldus Landgrav. Leuchtenbergicus ob. an. 1436.	Eliſabetha Uxor Caſimiri Regis Polon. ob an. 1492.	Chriſtophorus Marchio Badenſis, obijt an. 1527.
Fridericus Landgr. Leuchtenbergicus.	Sophia Uxor Friderici V. Marchion. Brandeburg. qui obijt anno 1536.	Bernardus Marchio Badenſis, ob. an. 1566.
Joannes Landgr. Leuchtenberg. obijt anno 1531.		
Georgius Landgr. Leuchtenberg. obijt an. 1555. Uxor ——	Barbara Brandeburgica	Philibertus Marchio Badenſis obijt anno 1569.

Ludovicus Henricus Landgr. Leuchtenberg. ob. an. 1587.

Georgius Ludovicus Landgrav. Leuchtenberg. obijt anno 1613. Uxor —— Maria Salome Badenſis.

Georgius Fridericus Landgr. Leuchtenb.	Wilhelmus Landgr. Leuchtenberg.	Rudolphus Landgrav. Leuchtenberg.
	Maximilianus Adamus Landgrav. Leuchtenberg.	

§. XXI.

Origo Ducum Lotharingiæ ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema I. Tergeminum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Albertus I. Imperator.	Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.
*	)(

Albertus

* **)(

Albertus II. Sapiens Dux Auſtriæ. | Eliſabetha Uxor Friderici Athletæ Ducis Lotharing. | Rudolphus Bavarus Elector Palatinus.

Leopoldus Dux Auſtriæ. | Rudolphus Dux Lotharing. | Adolphus Palatinus Rheni.

Erneſtus Archidux. | Joannes Dux Lotharingiæ. | Rupertus Palatinus Rheni.

Rupertus Imperator.

Fridericus IV. Imperator. | Carolus Dux Lotharingiæ, Uxor—Margareta Palatina.

Maximilianus I. Imperator. | Iſabella Uxor Renati I. Andegavenſis Ducis.

Philippus I. Rex Hiſpaniæ. | Jolanthe Uxor Friderici Ducis Guiſiæ & Vaudemont.

Ferdinanus I. Imperator. | Renatus II. Dux Lotharingiæ.

Carolus Archi-Dux. | Antonius II. Dux Lotharingiæ. | Claudius Dux Guiſius.

Franciſcus I. Dux Lotharing. | Franciſcus Dux Guiſius.

Ferdinandus II. Imp. | Carolus II. Dux Lotharingiæ. | Henricus Dux Guiſius.

Franciſcus II. Dux Lotharing. | Carolus Dux Guiſius, familia extincta.

Ferdinandus III. Imp. | Nicolaus Franciſcus Lotharing. Dux.

Eleonora Maria, cujus maritus—Carolus Nicolaus Dux Lotharingiæ.

Schema II. Tergeminum.

Maximilianus I. Imperator Auſtriacus.

Philippus I. Rex Hiſpaniæ.

Ferdinandus I. Imperator Auſtriacus. | Iſabella Uxor Chriſtiani II. Regis Daniæ.

Carolus Archi-Dux. | Leonora Uxor Gulielmi Ducis Mantuæ. | Chriſtina Uxor Franciſci I. Ducis Lotharingiæ.

Ferdinandus II. Imper. | Vincent. Dux Mant. | Carolus II. Dux Lotharingiæ.

Ferdinand. III. Imp. | Margareta cujus maritus---Henricus Dux Loth. | Franciſcus II. Dux Lothar.

Claudia cujus maritus———Nicolaus Franciſcus Dux Lothar obijt anno 1670.

Eleonora Maria Vidua Michaëlis Regis Poloniæ, cujus maritus———Carolus Leopoldus Nicolaus Sixtus, natus 6. Aprilis 1643. obijt 18. Apr. 1690. Welſij in Auſtria.

Leopoldus, Joſephus Dominicus, Agapitus, Hyacinthus, natus 11. Sept. 1679.	Carolus Joſephus Joannes Antonius Ignatius, Feliciſſimus, natus 24. Novemb. 1680.	Ferdinandus, Joſephus, Philippus, Romanus, Laurentius, natus 17. Auguſt. 1683. obijt.	Joſephus, Emanuel, Innocentius, Felix, Conſtant. natus 20. Oct. 1685.	Franciſcus, Antonius, Maria, Nicolaus, Ambroſius, natus 8. Decemb. 1689.

§. XXII.

Origo Ducum Mantuæ ex Habspurgo-Austriacis.

Schema multiplex.

Albertus Comes Habspurgi, Landgravius Alsatiæ.

Elisabetha, alijs Agnes Uxor Eitel-friderici Comitis Zollerani.

Fridericus I. Burggrav. Norimberg. ob. an. 1290.

Fridericus II. Burggrav. Norimberg. ob. an. 1330.

Albertus Burggrav. Norimb. obijt anno 1357.

Fridericus IV. Burggrav. Norimb. ob. an. 1371.

Fridericus V. Burggrav. primus Marchio Brandeburg Elect. ob. an. 1441.

Joan. I. Alchimista Marchio Brandeburg. obijt anno 1464.

Barbara Brandeburgica Maritus——Ludovicus Gonz. March. II. Mantuæ, ob. an. 1478.

Rudolphus I. Comes Habspurgi, Imperator obijt anno 1291.

Agnes Uxor Alberti II. Ducis Saxoniæ, qui ob. an. 1312.

Elisabetha Uxor Obizonis VIII. Marchionis Estensis.

Alda Estensis Uxor Ludovici Gonzagæ Capitanei Mant. III. qui ob. an. 1382.

Franciscus Gonz. Capitan. Mant. IV. qui ob. an. 1407.

Joannes Franciscus Gonz. Marchio I. Mantuæ obijt anno 1444.

Ludovicus Gonz. March. II. Mantuæ, ob. an. 1478.

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ, qui obijt anno 1294.

Ludovicus IV. Imperator. Dux Bavar. ob. an. 1347.

Stephanus Fibulatus Dux Bavariæ, ob. an. 1375.

Joannes Dux Bavariæ, ob. an. 1397.

Ernestus Dux Bavariæ, ob. anno 1438.

Albertus III. Pius Dux Bavariæ, ob. an. 1460.

Rudolphus Gonzaga Princeps Castilionis.

Ludovicus Marchio Castilionis.

Ferrantes seu Ferdinandus Marchio Castilion.

B. Aloysius Soc. Jesu. Christernus Marchio Castilionis, & poster.

Fridericus Gonzaga Marchio III. Mantuæ, ob. an. 1484. Ux.——Margareta Bavara.

Albertus Sapiens Dux Bavariæ. Uxor Chunegundis Austriaca, filia Friderici IV. Imperat.

Franciscus Gonzaga Marchio IV. Mantuæ, obijt anno 1519.

Fridericus Gonzaga Dux I. Mant. ob. an. 1540. die 28. Junij.

Franciscus Gonzaga Dux II. Mantuæ. Uxor Catharina filia Ferdinandi I Imperat. sine prole.

Ludovicus Gonzaga Dux Nivernensis per Uxorem.

Guilielmus Gonzaga Dux III. Mantuæ, ob. an. 1587. Uxor Eleonora filia Ferdinandi I. Imperatoris.

Carolus I. Dux Mantuæ VI. post Franciscum V. Uxor Catharina Lotharinga.

**

Vincentius Dux Mantuæ IV. & Montis ferrati.

*

Anna (alijs Margareta, Uxor Alphonsi Ducis Ferrariæ.

)(

Caro-

Carolus II. Princeps Mantuæ mortuus ante patrem, cujus Uxor fuit — Maria hæres Ducatus Mantuæ.

Leonora Uxor Ferdinandi II. Imperatoris.

Franciſcus Gonzaga Dux V. Mantuæ.

Ferdinandus Dux Mant. ſine prole.

Vincentius Princeps Mantuæ ſine prole.

Ludovicus ob. infans.

Leonora Uxor Eerdinandi III. Imperatoris.

Carolus III. Dux Mantuæ VII. Uxor Clara Iſabella Archidux Auſtriæ, filia Leopoldi Princicipis Tyrolenſis.

Franciſcus Dux Niverſius ſine prole.

Carolus IV. Gonzaga Dux Mantuæ VIII.

Schema II.

Ferdinandus Juſtus Rex Aragoniæ & Siciliæ, obijt anno 1416.

Alphonſus Rex Aragoniæ & Siciliæ obijt anno 1458.

Ferdinandus Rex Neapolis & Siciliæ, obijt anno 1494.

Leonora Uxor Herculis I. Ducis Ferrariæ, qui obijt anno 1505.

Iſabella Uxor Franciſci Gonzagæ Marchionis IV. Mantuæ

Fridericus Dux I. Mantuæ, obijt anno 1540.

Joannes II. Rex Navarræ obijt anno 1479.

Ferdinandus Catholicus Rex Aragoniæ, dein totius Hiſpaniæ, obijt anno 1516.

Joanna Uxor Philippi Archiducis Auſtriæ, Regis Hiſpaniæ, qui obijt anno 1505.

Ferdinandus I. Imperator Auſtriacus, obijt anno 1564.

Guilielmus Gonz. Dux Mantuæ cujus Uxor — Leonora Auſtriaca

Joanna Auſtriaca Ux. Franc. Magni Ducis Hetruriæ.

Carolus Archidux Princeps Styriæ, &c.

Vincentius Dux Mantuæ & Montisferrati cujus Uxor — Leonora Florentina.

Franciſcus Gonzaga Dux Mantuæ Uxor Margareta Ducifſa Sabaudiæ.

Leonora Mantuana Uxor Ferdinandi II. Imperatoris.

Leopoldus Archidux Tyrolenſis Princeps.

Maria hæres Mantuæ Uxor Caroli Ducis Nivernenſis.

Leonora Mantuana Uxor Ferdinandi III. Imperat.

Carolus III. Dux Mantuæ VII. Uxor — Clara Iſabella Auſtr.

Carolus IV. Dux Mantuæ.

§. XXIII.

Origo Ducum Megapolenſium ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt an. 1308.	Agnes Uxor Alberti II. Electoris Saxoniæ.
Albertus II. Sapiens Dux obijt anno 1358.	Anna Uxor Henrici Leonis Ducis Megapolitani ſeu Mechelburgici.
Albertus III. Dux Auſtriæ, obijt anno 1395.	Albertus Dux Megapolitanus obijt anno 1380
Albertus IV. Archidux, obijt anno 1404.	Magnus Dux Megapolitanus, obijt anno 1384.
Albertus II. Imperator, obijt anno 1439.	Joannes Dux Megapolitanus, obijt anno 1419.
Eliſabetha Uxor Caſimiri Regis Poloniæ, qui obijt anno 1492.	Henricus Pinguis Dux Megapolitanus obijt anno 1447.
Sophia Uxor Friderici Burggravij Norimbergenſ. March. Brandeb. ob. an. 1536.	Magnus III. Dux Megapolitanus, obijt anno 1507.
Albertus Marchio Brandeburg. obijt anno 1563.	Albertus Dux Megapolitanus, obijt anno 1567.
Anna Sophia, cujus maritus —	— Joannes Albertus Dux Megapolitanus, obijt anno 1476.

Joannes Dux Megapolitanus, obijt anno 1593.

Adolphus Fridericus Dux Mechelburgicus Schwerinenſis natus an. 1589.	Joannes Albertus Dux Mechelburg. Guſtravienſis natus an. 1590. ob. 1636.
Chriſtianus Carolus. Joan.—Georg. Guſtavus—Adolphus, & ſorores.	Joannes—Chriſtoph. Carolus—Henric. Joann.—Chriſtian. Guſtavus-Adolph. &c.

§. XXIV.

Origo Ducum Sabaudiæ ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Schema Tergeminum.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator obijt anno 1308.	Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ, qui obijt anno 1305.
Albertus II. Sapiens Dux Auſtriæ, obijt anno 1358.	Eliſabetha Uxor Joannis Cæci Regis Bohemiæ, qui obijt anno 1346.
*	)(

Leopol-

*

Leopoldus Probus Dux Austriæ obijt anno 1386.

Ernestus Archidux Austriæ obijt anno 1424.

Fridericus IV. Imperator, obijt anno 1493.

Maximilianus I. Imperator, obijt anno 1519.

Philippus I. Rex Hispaniæ, obijt anno 1505.

Carolus V. Imperator, obijt anno 1558.

Philippus II. Rex Hispaniæ, obijt anno 1598.

)(

Gutta Ux. Joan. Regis Franciæ, qui obijt an. 1364.

Joannes Dux Bituricensis, obijt anno 1416.

Carolus IV. Lucelburgicus Imperat. obijt anno 1378.

Margareta Uxor Amadæi VI. Comitis Sabaudiæ, ob. an. 1373. *Henn. P. 1. fol. 161.*

Gutta Bituricensis, ejus maritus—Amadæus VII. Comes Sabaudiæ obijt anno 1388.

Amadæus VIII. Dux I. Sabaudiæ, idem Felix Papa V. in Schismate, obijt anno 1452.

Ludovicus Dux Sabaudiæ, obijt anno 1462.

Philippus Bressæus Dux Sabaudiæ obijt anno 1498.

Carolus Dux Sabaudiæ, obijt anno 1554.

Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, obijt anno 1580.

Catharina Austriaca, cujus maritus——Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ, obijt anno 1630.

Victor Amadæus Dux Sabaudiæ, obijt anno----

Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ. | Henrietta Adelheidis Uxor Ferdinandi Mariæ Ducis Bavariæ.

§. XXV.

Origo Ducum Vinariensium seu Weinmariensium ex Habspurgo-Austriacis.

Schema Geminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens Dux, obijt anno 1358.

Leopoldus Probus Dux obijt anno 1386.

Ernestus Ferreus Dux, obijt anno 1424.

Margareta Uxor Friderici II. Electoris Saxoniæ, qui obijt anno 1464.

*

Margareta Uxor Theodorici IX. Cliviæ Comitis obijt circa annum 1290.

Theodoricus X. Cliviæ Comes, obijt anno 1325.

Margareta Uxor Adolphi IX. Marcani qui obijt anno

Adolphus Marcanus Comes Cliviæ, obijt anno 1389.

Adolphus Dux Cliviæ I. obijt anno 1443.

)(

Ernestus Elector Saxoniæ obijt anno 1486.

Joannes Elector Saxoniæ, obijt anno 1532.

Joannes Fridericus Elector Saxoniæ Exauctoratus, Uxor —— Sibylla Clivia, ob. an. 1554.

Joannes I. Dux Cliviæ, obijt anno 1481.

Joannes II. Dux Cliviæ obijt anno 1521.

Joannes III. Dux Cliviæ, ob. an. 1539.

Joannes Wilhelmus Dux Saxoniæ, obijt anno 1573.

Joannes Dux Saxoniæ Weinmariensis, obijt anno 1605.

Ernestus Dux Saxoniæ Weinmariensis.

Bernardus Dux Saxon: Weinmariensis obijt anno 1639.

Fridericus natus 1646. — Joannes Ernestus Dux Vinariensis.

§. XXVI.

Origo Ducum Wirtenbergiæ ex Habspurgo-Austriacis.

Schema Tergeminum.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus, obijt anno 1291.

Albertus I. Imperator, obijt anno 1308.

Albertus II. Sapiens obijt anno 1358.

Albertus III. cum Trica obijt anno 1395.

Albertus IV. Mirabilia ob. an. 1404.

Albertus II. Imperator obijt anno 1439.

Elisabetha Uxor Casimiri Regis Poloniæ ob. anno 1492.

Barbara Uxor Georgij Ducis Saxoniæ, qui ob. anno 1539.

Christina Uxor Philippi Landgravij Hassiæ, qui obijt anno 1567.

Barbara Hassa cujus maritus —— Georgius Comes Montisbelicardi obijt anno 1558.

Leopoldus Probus D.

Ernestus Ferreus Arch.

Fridericus IV. Imp.

Chunegundis Uxor Alberti Ducis Bavariæ.

Sabina, maritus —— Ulricus Comes Wirtenbergicus, obijt anno 1450.

Anna Uxor Hermanni Longi March. Brandeburgici, qui obijt anno 1398.

Brigitta Uxor Henrici Com. Hennenbergici, qui obijt anno 1347.

Elisabetha Uxor Eberhardi Com. Wirtenbergici, qui ob. an. 1393.

Ulricus Comes Wirtenbergicus, qui obijt anno 1377.

Eberhardus Comes Wirtenbergicus, obijt an. 1417.

Eberhardus Comes Wirtenberg. obijt anno 1431.

Ulricus Comes Wirtenbergicus, obijt anno 1450.

Henricus Dux Wirtenbergiæ, obijt anno 1519.

Georgius Comes Montisbelicardi obijt anno 1558.

Fridericus Dux Wirtenbergiæ, obijt anno 1608.

Ludovicus--Fridericus. Joannes--Fridericus Dux, ob.an. 1628. Julius--Frideric.

Georgius Dux. in Mompelgar. | Joan. Frideric. Dux in Neustatt. | Joan. Eberhardus natus an. 1614. | Ulric. Dux. | Sylivus Nimrod. | Manfredus.

Joannes Fridericus. | Wilhelmus--Ludovic. | Carolus Dux Wirtenber. in Münsterberg. | Frideric. Dux Wirtenberg. in Weilding.

Atque hæ sunt Principales in Europa familiæ, quæ omnes ex Habspurgo-Austriacis originem suam trahunt, ut hactenus ostensum est. Si quæ aliæ sub alijs nomenclaturis supersunt, vel ad has spectant, vel pari ratione possent ab eadem radice deduci. De singulis relatis plura possent schemata confici, sed nolumus omnem alijs laborem præcerpere. Signamus digito viam, quam posteri premant. Interim ex his perspicuè elucescit quàm verè de sua familia Austriaca olim dixerit Fridericus V. Imperator Ernesti Ferrei filius: *Nulla Germaniæ domus illustris est, quæ nostram familiam sanguine non attingat.*

Frider. V. ap. Freher. To. 2. pag. 21. & Chifflet. in Lumin. Prærogat. f. 330.

Hæc scripsisse de Rudolpho sufficiat. Jam ad Librum II. calamum convertamus.

ANNALIUM
AUGUSTISSIMÆ
ET
SERENISSIMÆ DOMUS
HABSPURGO-AUSTRIACÆ.
LIBER II.
ALBERTI I. CÆSARIS EJUSQUE FILIORUM PIETATEM COMPLECTENS.

PRiusquam de Pietate Alberti filij Cæsaris Rudolphi agamus, operæ pretium futurum arbitror, (si non necessariâ, saltem non ingratâ Lectoribus narratione) originem veterum Ducum Austriæ ac ipsius Austriacæ Provinciæ ex Nicolai Vernulæi Historia de Augustissima & Serenissima Domo Habspurgo-Austriaca hìc referre. Si quæ tamen probatis Scriptoribus minùs arrident, & mihi licebit, si non emendare, saltem à sententia eorundem cum alijs recedere. De his sit:

§. I. Austriæ descriptio.

AUstria unicus totiùs Europæ *Archiducatus*, ab Oriente Hungariam habet, à Meridie Styriam, ab Occidente Bavariam, à Septentrione Moraviam. Dividitur in Superiorem & Inferiorem. Superior est, quæ inter Danubium & Styriam, seu, quæ cis Danubium est. Inferior est, quæ inter Danubium, Bohemiam & Tesam flumen, seu, quæ ultra Danubium. Fuit olim tota hæc regio superioris Pannoniæ pars: ab ea deinde divulsa novum nomen

Austriæ Regionis descriptio.

men accepit. Nomen illi non ab auctore aliquo, sed ab Orientali mundi cardine. Quippe tempore Caroli Magni Cæsaris, dici cœpta est Oostenreichia, quod orientale Regnum sonat, seu Marchia finis nimirum Orientalis. Vulgò tandem Austria, quod nomen ei mansit, manétque. Latitudo ejus trium dierum itinere pedestri patet, longitudo sex. Mediam secat Danubius, & quidem Superiorem ad Meridiem, Inferiorem ad Septentrionem relinquens. Alij plures fluvij ab utraque parte in Danubium influentes eam irrigant. In ea vinum generosum, frumenta ac legumina omnis generis; ligna, pisces, majora, minoráque pecora; ac denique tanta rerum pænè omnium abundantia, ut vicinis provincijs largè suppeditet, suos incolas divites efficiat. Nec immeritò quidam Austriam alterum Adami primi hominum conditoris hortum appellant; etiam olim Romani Imperij *Cor* & *Clypeus* est appellata. Austria Rom. Imperij cor & Clype°.

§. II.

Primi incolæ seu habitatores Austriæ.

PRiscis temporibus Austriæ regionem inhabitârunt Pannones & Sarmatæ, à Pœnonibus Græcis, ùt quidam existimant, oriundi. Deinde eam Romani tenuerunt, qui fines sui Imperij hìc habuerunt. Tum Hunni, qui pulsis Romanis maximam Pannoniæ & Sarmatiæ partem occupârunt, in eáque novum regnum condiderunt. Hos denique Carolus Magnus Imperator Occidentis devicit, domuítque, ac superiore Pannoniâ exuit, ibidémque Orientalis Regni limitum custodes seu præfectos constituit. Verùm exstincto Carolo Magno, cùm Hunni partem adhuc Pannoniæ retinentes in Germaniam excurrerent sævirentque, factâ tandem cum sequentibus Cæsaribus pace, Regnum, quod nunc Hungaria dicitur, ijs relictum est, & ipsi Oostenreichiâ seu Austriâ cesserunt. In eam verò missæ Germanorũ Christianorum coloniæ, ijsque permissum oppida Hunnorum inhabitare, agros colere, arces erigere, civitates condere; quod jam antea Carolus Magnus concesserat. At Hunni non diu pacem servârunt. CúmqueGermani vel inter se, vel cum Italis de summâ rerum dimicarent, in Austriam rursus involârunt, donec ab Ottone Primo Cæsare, ejusque successoribus, cladibus ingentibus sæpius affecti in suam Pannoniæ partem sese receperunt. Quæ deinde in Austria gesta sunt, legi possunt in Ungariæ & Austriæ Scriptoribus. Primi ejus habitatores.

§. III.

Præfecti Austriæ.

Præfecti Austriæ olim Comites à Buchorn, Scala, ac Blosia.

QUæ series Præfectorum Austriæ fuerit, difficile est in re tam antiqua aliquid certi statuere. Historia Cœnobij Melicensis M.S. ùt apud Lambecium Comment. de Biblioth. Cæsar. Lib. II. Cap. VIII. pap. 627. videre est, circa annum 928. memorat Præfectorum quempiam extitisse nomine Rudigerum de Pechlarn, qui sinè hæredibus obijt, per cujus mortem non tam Præfectura quàm absolutum dominium sub nomine Marchionis ad familiam Babenbergicam pervenit. Nam dum Leopoldus stirpis Babenbergicæ adhuc adolescens die quâdam in venatione per avia secutus fuisset Imperatorē, (a) qui tunc temporis Rempublicam Romanorum administrabat, solum scilicet solus, & ille feram percussurus, arcum fortiùs attrahens comminuisset, juvenis arcum suum, ut erat contentus manui cunctantis promptissimè inseruit, sicque Princeps, ferâ percusâ, super alacritate adolescentis delectatus, sub authoritate Regia promisit ei terram, quàm sibi proximò vacare contingeret, ipsique competeret, atque pro memoria & confirmatione promissi, quia nullus interfuit, dedit ei arcum contritum. Non multo autem pòst tempore, mortuo Præfecto Austriæ sine hæredibus, cùm multi Procerum instarent Imperatori, petentes sibi conferri Marchiā, (b) prorumpens in medium juvenis cum attestatione fracti arcûs, Regalis promissionis petijt executionem. Cui Princeps nihil moratus, industriam suam commemorans, auctoritate Regiâ Marchiam promissam confirmavit. Ab hoc igitur Marchionū Babenbergicorum initium ducemus, & ei reliquos subjungemus.

(a) erat is Henricus Auceps.

(b) Marchia & Præfectura idē apud quosdam historicos denotat.

Notæ in superiores paragraphos.

NOtet Lector malè poni à Vernulæo Superiorem Austriam esse, quæ inter Danubium & Styriam sita est, & vicissim eam inferiorem quæ Moraviam Bohemiamque respicit: verùm eam superiorem dici, quam Danubius primò alluit, reliquam inferiorem. Notet secundò Ottonem I. Henrico Aucupi præferri, qui A. C. 919. cœpit imperare & 936. obijt. Otto Henrico successit & obijt 973. Item quòd regimen Præfectorum ad annos trecentos & ultra absque fundamento producat.

§. IV.

Marchiones Auſtriæ.

LEOPOLDUS igitur primus Auſtriæ Marchio cognomento *Illuſtris*. Hic cum Alberto patre inſignes de Hungaris victorias, ut erat vir bellicoſiſſimus, reportavit, atque inde *Illuſtris* dictus. Arcem Melcanam, quam Cuſpinianus Melicum vocat, Hungaris eripuit, in eáque Canonicorum duodecim Collegium erexit. Duxit Richardam uxorem Henrici Aucupis Imperatoris ſororem, propter quam gratiâ & auctoritate apud eum plurimum valuit. Præfuit Auſtriæ annis quinquaginta quinque, ac ſuperato interfectóque Giſone Hungarorum Duce tandem obijt. Sepultus eſt in Arce Melcana cum Uxore. Ejus tempore Auſtriaci pro gentilitio in Clypeis ſigno tres aurei coloris alaudas ferebant, idque à decima Legione Romanorum, quæ alaudarum dicebatur, fortè ut virtutis illius, qua Romanos ijs in locis ſuperaverant, memoria exſtaret. Filios duos reliquit, Henricum ſibi in Marchionatu ſucceſſorem & Popponem apud Treviros Epiſcopum.

March. Auſtriæ.

Primus Marchio Leopold. Illuſtris.

HENRICUS I. Marchio Auſtriæ ſecundus, cognomento *Rebellis* appellatus, quòd obedire Imperio Romano recuſaret, donec eum Henricus ſecundus Cæſar ad obedientiam præſtandam redegit. Uxorem habuit Swenhildem Nobiliſſimæ ſtirpis matronam, ex qua Albertum ſucceſſorem ſuum, & Erneſtum Sueviæ Ducem ſuſcepit. Fuit vir juſtus, ſeverus & religioſus. Ejus tempore Divus Colomannus, ex ſanguine Regum Hiberniæ, dum in Terram Sanctam contenderet, Ripenſi in oppido martyrio affectus eſt, cujus corpus, cùm Henricus Marchio intellexiſſet octodecim menſibus ex arbore ſuſpenſum manſiſſe incorruptum, ac pari temporis ſpatio in terra conditum nequaquam tabefactum, juſſit effodi, & in Arcem ſuam Melcanam transferri, ſplendidóque & eleganti ſepulchro condecorari ubi à vicinis incolis magnâ religione colitur. Caput tamen ejus in Alba Regali traditur adſervari. Obijt Henricus Marchio immaturâ morte, cùm præfuiſſet Auſtriæ annis triginta quinque, ſepultus cum uxore apud parentes in Arce Melcana.

II. Henric. Rebellis.

ALBERTUS Auſtriæ Marchio tertius, quem alij Adalbertum vocant, patri Henrico ſucceſſit. Uxorem duxit Adelheidem, Petri Hungarorum Regis ſororem, ex ſtirpe Caroli Magni oriundam; ex quâ duos filios habuit, Leopoldum, qui propter multa

III. Albertus Fortis.

singularis fortitudinis facinora cognomen *Fortis* obtinuit; sed inopinatâ morte in Ingelhaim in nuptijs Henrici tertij, magno Nobilium omnium luctu, è vivis excessit. Poppo ejus patruus cadaver Treviros transtulit. Ernestum alterum filium successorem habuit. Bellum Albertus Hungaris movit propter socerum suum Petrum Regem ab ijs Regno ejectum, postea verò receptum, sed excæcatum. Et quoniam multas de Hungaris victorias retulit, dictus est *Victoriosus*. Rexit annos sex, sepultus in Arce Melcana, cum conjuge, anno millesimo quinquagesimo sexto. Duxerat secundam uxorem Fresvillam, ex quâ liberos nullos suscepit.

IV. Ernestus Strenuus.

ERNESTUS cognomento *Strenuus*, quartus Austriæ Marchio, Alberti filius. Hungaros in Austriam incurrentes, & in vicinas ultra regiones, fortiter repulit, & strenuè multis cladibus affecit. Inde illi *Strenui* nomen. Ob id etiam Henricus quartus Imperator eum Romani Imperij Priorem appellavit, & multis privilegijs donavit: inter quæ illud fuit, teste Cuspiniano, ut illi ejúsque successoribus vacuus vaginâ gladius per totum Imperium præferretur. Ferunt eum in suam Arcem Melcanam intulisse ferrum lanceæ Divi Mauritij, cum aliquo Crucis sanctæ Ligno, & paterâ Divi Vdalrici, Episcopi Augustani. Cùm autem Henricum Imperatorem ad bellum Saxonicum comitatus esset, apud fluvium Mistrau occubuit anno millesimo septuagesimo quinto. Reliquit duos filios, Leopoldum & Albertum. Rexit annis novemdecim admodum feliciter. Uxor illi fuit Agnes, filia Rudolphi Habspurgi Comitis Rhynfeldij, quam Cuspinianus, Mechtildim appellat. Cum ea sepultus ipse in Arce Melcana.

V. Leopoldus Pulcher.

LEOPOLDUS quintus Austriæ Marchio Ernesti filius, ob corporis elegantiam & proceritatem cognomento *Pulcher*, patri successit. Cùm Austriam infestarent Uratislaus Bohemiæ Rex & ejus frater Chunradus Moraviæ Marchio, eos, obviam progressus, fortiter cecidit. Iterum cùm Bohemi Bavaríque inito fœdere ad vastandam Austriam progrederentur, consertis ad Danubium manibus eos profligavit, in eóque prælio Cononis Palatini Comitis filius cæsus fuit. In ejus auxilium Poppo Trevirensis Azonem cùm ingentibus copijs miserat, quem apud se Leopoldus propter res præclarè gestas retinuit. Fuit & illi magna cum Alberto fratre contentio, quæ cùm in arma prorupisset, ab Imperatore Henrico composita fuit, concordiáque inter fratres constituta. Hic Leopoldus Canonicis Melcanæ Arcis propter lasciviorem vitæ modum ejectis, Religiosos Benedictinos instituit.

Vxor

Uxor illi fuit Ida Henrici Tertij Cæſaris filia, ex qua filios duos ſuſcepit, ac poſtquam Auſtriæ annis uno & viginti præfuit, in tumulum Majorum ſuorum illatus eſt, anno milleſimo nonageſimo ſexto.

LEOPOLDUS AuſtriæMarchio ſextus, filius Leopoldi quinti Marchionis, quem *Pium* ob ſingularem in egenos liberalitatem dixēre: quippe à primis annis in virtutē hanc incubuit; poſtea in oppreſſos ſemper clementiſſimus, in feroces juſtiſſimus fuit. Adeò ut ex omnium votis Marchionatum ſuſceperit, & pauperum pater ſit dictus. Hæc Vernulæus. Quæ ſequuntur, nonnulla correctione & emendatione egent, atque imprimis ſciendum eſt Agnetem conjugem S. Leopoldi non fuiſſe filiam Henrici V. Imperatoris, ſed ſororem. Neque Monaſterium Clauſtro-Neoburgenſe primitus fundatum pro Canonicis Regularibus S. Auguſtini, ſed pro ſtatu Eccleſiaſtico. Neque primus ejus loci Præpoſitus fuit Otto filius S Leopoldi, ſed alius Otto hoc nomine quidem appellatus. Ad hæc emendanda nobis lumen dedit Bibliotheca Cæſarea Viennenſis, in qua præter alia, quæ nobis ſerviunt, oblatum fuit M.S. Chronicon, cujus titulus: *Chronicon Auſtriæ Florianenſe*, cui vita S. Leopoldi ſub finem eſt inſerta. Chronici verba ipſa ad firmandam fidem damus. *Cùm à Leopoldo tanquam à Fundatore à cunctis coram adſtantibus exigeretur, ut fundamento Neüburgenſis Baſilicæ primum lapidem poneret, ipſe, ùt erat vir pijſſimus, omnino contradixit, & boc à Clerico debere fieri dignum & juſtum affirmavit. Itaque ipſo jubente & præſente Otho primus ejuſdem loci Præpoſitus anno Dominicæ Incarnationis M. C. XI. 5. Idus Junij primum lapidem impoſuit in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti & glorioſæ Virginis Mariæ, & poſuit illic Canonicos ſæculares. Cùm autem Otho Præpoſitus Collegij Neüburgenſis Eccleſiæ obijſſet, pius Marchio filium ſuum Othonem adhuc Scholarem dictæ Eccleſiæ præfecit Præpoſitum, ſubſtituens ei Vicarium Opaldum nomine. Dum verò idem Otho ex Pariſijs ſecundò reverteretur, in Cœnobio Morimontenſi Monachum ſe fieri fecit, Sanctus Marchio pater ejus, cùm jam videret locum filij vacare, invitavit in Domum ſuam Venerabiles Viros Archi-Epiſcopum Saltzburgenſem Conradum de Abenſperg, Raimarum Patavienſem, Romanum Epiſcopum Gurcenſem & alias quàm plures Religioſas perſonas. Horum ordinatiſſimum ad Dei voluntatem conſilium ſecutus, Canonicos ſæculares, qui ſibi videbantur negligenter & nimis remiſsè agere, commutavit in Regulares Beati Auguſtini. Anno 1130. eundem locum eis perpetuò tenendum poteſtativâ manu tradidit, Præpoſitum ejus præponens eorundem Venerabilium conſilio*

Præpoſitum Chimenſem Hartmannum nomine, Virum ſanctiſſimæ vitæ, ſed poſt aliquot annos in Brixinenſem Epiſcopum aſſumptum. Hic primus Præpoſitus regularem conſtitutionem omninò congruam ſcripſit, & ſcriptam legendam & imitandam ſuis Canonicis Regularibus reliquit, Hæc ex manu-ſcripta Vita S. Leopoldi contra Vernulæum. Ob virtutem militarem & ſingularem fortitudinem militari Baltheo Sanctus Marchio donatus eſt, & titulo Ducis donandus, niſi modeſtiæ causâ, ùt alibi inſinuavimus, reſpuiſſet. Ex Agnete uxore liberos octodecim ſuſcepit, ex quibus undecim poſt ejus mortem ſuperſtites fuêre. Cùm regnâſſet annos quadraginta, ſummâ integritate, clementiâ & pietate ultimum vitæ diem XVII. Cal. Decembris anno M. C. XXXVI. clauſit, Neoburgi ſepultus. Plura de Sancto Marchione referemus parte ſubſequente deſcripturi Pietatem Rudolphi IV. primi Archi Ducis Auſtriæ, qui primordiô ſtatim ſui regiminis pro Canonizatione apud Sedem Apoſtolicam primus ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca egit.

VII. Leopoldus Largus. Leopoldus Divi Leopoldi & Agnetis tertius filius, Auſtriæ Marchio ſeptimus, cgnomento *Largus*, parentis teſtamentô Auſtriam accepit, ſenioribus fratribus ſuis antepoſitus. Hunc Conradus tertius Cæſar Bavariæ Ducem renuntiavit, cùm Bavariam eripuiſſet Henrico *Superbo* Duci propter rebellionem. Inde longum Leopoldo bellum & atrox fuit cum Guelphone Henrici *Superbi* fratre, qui eo mortuo Bavariam jure hæreditario repetebat. Ab utróque vaſtata ea provincia miſerè fuit. In ea verò cùm ægrotare cœpiſſet Leopoldus, ibidem obijt anno M. C. XLII. Relatum in Auſtriam corpus, in Cœnobio S. Crucis, quod ipſe auxerat locupletârátque, conditum eſt. Uxorem duxerat Mariam Sobieslai Ducis Bohemiæ ſororem & Uladislai Regis filiam, quæ nullos illi liberos peperit.

§. V.

Duces Auſtriæ.

Henric. I. HENRICUS II. Divi Leopoldi filius ſecundò genitus Leopoldo Largo fratri ſuo juniori in Marchionatu Auſtriæ & Ducatu Bavariæ ſucceſſit, dictus Ja Sommer-Gott ita me Deus amet, quòd hæc verba illi frequenter in ore eſſent. Huic Ducatum Bavariæ poſt fratris obitum confirmavit Conradus III. Cæſar, & quia illum in Saxoniam comitatus fuerat, uxorem illi adjunxit Gertrudem Lotharij Imperatoris, Saxonum Ducis filiam, Henrici *Superbi* viduam, quæ ſecundo poſt nuptias anno ſine liberis

ris è vita excessit. Cùm autem cum eodem Conrado & Ludovico Franciæ Rege aliisque Christianis Principibus, in Terram Sanctam profectus esset, inde reversus Theodoram Emanuelis Imperatoris consanguineam Uxorem accepit. Verùm, cùm tunc iterum Henricus Junior Saxoniæ Dux Bavariam hæreditario jure repeteret, Fridericus I. Imperator Barbarossa dictus, qui Conrado successerat, ut controversiam istam dirimeret, consilio & assensu congregatorum Ratisbonæ Imperij Principum, Bavariam Henrico Saxoniæ Duci eâ lege adjudicavit, ut provinciam suprâ Onasum fluvium Henrico Austriæ Marchioni cederet. Hunc insuper, nè quam honoris sui jacturam pateretur, Austriæ Ducem renuntiavit. multis privilegijs & immunitatibus donavit, pileóque Ducali rostrato insigniri voluit. Erat ipse bellicosissimus, fortiterque Hungaris, Bavaris, Bohemis sæpè restitit, & congrediendo cum illis victor evasit. In obsidione Mediolanensi multas rebellibus clades intulit. Geysæ secundi Hungarorum Regis exercitum bis ad Leitam profligavit: Guelphonem Bavarum aliquoties in fugam vertit: Sobeslaum Bohemiæ Regem bello attrivit. Ut ditionem suam extenderet, in Ottogarum Styriæ Marchionem arma convertit. Plura alia bello summa cum laude patravit. Aulam suam eo in loco Viennæ constituit, ubi hoc tempore Carmelitæ Religiosi: unde adhuc illi loco nomen Curia. Sed & nominis sui famam pijs operibus extendit: Parentis enim fundationem ad S. Crucem auxit, Cœnobium Scotorum Divæ Mariæ & S. Gregorio Viennæ dicavit, & vectigalibus locupletavit. Obijt ex vulnere, cùm ex equo in glacie improvidè delapsus esset, Cal. Febr. anno M.C.LXXII. Ex Theodora conjuge duos reliquit filios, Leopoldum successorem suum, & Henricum: filiam unam Agnetem, quæ Stephano Hungarorum Regi nupsit, Sepultus ipse apud Scotos Viennæ.

II. Leopoldus Virtuosus.

Leopoldus Austriæ Dux secundus post patris obitum in Ducatum successit, dictus *Virtuosus*. Erat annos tantùm viginti natus, sed tantà felicitate rexit, ut Patriæ pater sit appellatus. In Italiam ad Fridericum Imperat. anno M.C.LXXVII. contendit. & in arce non procul à Pisauro Ducatûs Austriæ feudum adstantibus Italis & Germanis ab eodem accepit. Reversus in Austriam Bohemos, qui Austriam Trans-Danubianā infestabant, suis copijs in fugam convertit. Porrò quia Princeps erat admodùm Religiosus, in Terram Sanctam cum multis Principibus alijs sub Clemente III. Pontifice profectus fuit, indéque magnam S. Crucis partem

ſecum retulit,quam in Cœnobio S.Crucis depoſuit. Nec contentus unâ illâ expeditione, cùm Chriſtiani Urbem Acconem in Syriâ obſiderent, eò rurſus contendit, & obſeſſos tantâ virtute cum ſuis invaſit,ut totum ejus corpus, Cuſpiniano teſte, ſanguine maduerit, unâ exceptâ parte, quâ militare cingulum latera ejus tegebat, vel, ut alij volunt, ſericum inſigne, quod ſiniſtrâ cùm Clypeo tenebat, tum ipſius, tum hoſtili ſanguine ita infectum fuerit, ut nihil purum, niſi quod manu tenebat, permanſerit. Ut hujus rei memoria exſtaret, conſentiente Cæſare gentilitia relictis alaudis inſignia mutavit, ita nimirum,ut ſuperior inferiórque Clypei pars rubra eſſet, media æquâ proportione alba. Quæ cum in una expugnatæ urbis turri expoſuiſſet, Richardus Angliæ Rex ejuſdem expeditionis ſocius, Leopoldo captæ urbis gloriam invidens, dejici curavit. Verùm cùm hic Rex per Auſtriam in Patriam ſuam reverteretur, ac prope Viennam mutato habitu in hoſpitium quoddam divertiſſet, admonitus Leopoldus capi eum juſſit, cùm fortè in ligneo veru carnes ſuâ manu aſſaret. Jubebat Cæſar eum in libertatem adſeri, & Pontifex proſcriptionem minabatur: non priùs tamen liberari potuit, quàm pecuniæ vim ingentem perſolvit, quâ Leopoldus Viennam muro cinxit, ac Styriæ Ducatum, Linziíque & Welſij Comitatum certo ſibi pretio comparavit. Hæc, quæ dixi, Munſterus propter bellum Prutenicum eveniſſe ſcribit. Tandem Leopoldus in Styria, cùm ex arce Grætio deſcendens equi lapſu ſibi femur rupiſſet, impatiens doloris Auſtriâ & Styriâ filijs relictâ, in monaſterio reliquum vitæ peregit. Erant illi filij, Fridericus & Leopoldus, unáque filia Cunegundis ex Helena (alij Geiſa) Belæ Hungarorum Regis filia. Obijt anno M.C.XCIV.

III. Fridericus Catholicus.

Fridericus Auſtriæ Dux tertius dictus cognomine *Catholicus*, quòd Catholici ſeu Chriſtiani nominis hoſtibus infenſiſſimus eſſet, & in eos arma ſemper ſtringeret. Expeditionem in Hiſpaniam cum quibuſdam Principibus alijs ſuſcepit, ut Barbaros ex Africa eò profectos, qui Chriſtianis cladem intulerant, & paſſim omnia vaſtabant, profligaret. Ijs verò partim cæſis partim ejectis, cùm redijſſet, ab Imperatore Henrico ſexto cum multis alijs Galliæ, Germaniæque Principibus charactere Crucis inſignitus fuit, & adversùs Saracenos miſſus. Trajecto igitur mari Hieroſolymam ſoſpes appulit, ubi virtutem ſuam plurimis egregijs facinoribus probavit, & Saracenis terrori fuit, donec altero ab expeditione ſuſcepta anno adversâ valetudine correptus fatis conceſſit anno M.C.XCVIII. Rexit ſex annis duntaxat, nec conju-

gem

gem, nec liberos ullos reliquit, cùm cœlebs vixiſſet. Ejus corpus in Auſtriam relatum ad ſanctam Crucem conditum eſt.

IV. Leopol. Gloriosus.

Leopoldus dictus cognomine *Glorioſus*, Friderici Catholici frater, in Ducatum Auſtriæ & Styriæ eidem ſucceſſit. Princeps fuit ſubditis ſuis chariſſimus, quos & ipſe vehementer amavit ac plurimis privilegijs ditavit. Viennæ Palatium ſuum habuit, & Burgum, ut appellant, Regijs ædificijs exornavit; Henrici autem primi Ducis Auſtriæ Palatium Carmelitis ceſſit. Duxit uxorem Theodoram, Alexij Conſtantinopolitani Imperatoris expulſi filiam, unde illi etiam ſuppetias tulit. Paucis annis pòſt in Terram Sanctam contendit, quòd ita perſuaſum eſſet Auſtriæ Ducibus, eum verè bonum & Chriſtianum militem non eſſe, qui terram iſtam non adiret. Tantus erat in Chriſtianam Religionem fervor & zelus. Inde quoque magnam S. Crucis partem retulit. Perrexit in Hiſpaniam quoq;, cùm eò ex Africâ Saracenos tranſiviſſe intellexiſſet, ac cum ijs in Gallia pugnando victor evaſit, triumphavitq;. Reverſus in Auſtriam cœnobium, cui nomen Liliorum Campus, erexit, dotavítque & præterea multas arces, urbéſque ſuæ Auſtriæ adjecit, quas ſuo ære comparavit. Non pauci eum Cleri ſeu Eccleſiaſticorum patrem appellabant, quòd Sacerdotes veneraretur, & templa Monaſteriáque collapſa reſtauraret. Xenodochium S. Spiritûs de Saxia dictum Viennæ reparavit, cenſibúſque auxit. Divi Antonij templum in Parochiam erexit, multíſque privilegijs illuſtravit. Pacem inter Gregorium IX. Pontificem Maxi. & Fridericum ſecundum Imp. auxilio quorundam aliorum Epiſcoporum & Principum conciliavit. Cùm audiviſſet Saracenorum Principem multa in Palæſtina, Judæáque Chriſtianis loca eripuiſſe, ac ſuperbè Aragonum Regi minari, niſi abjectâ Chriſtianâ Religione Saracenam amplecteretur, atque idem Chriſtiani Principes facerent, ſe univerſum orbem debellaturum, cum Auſtriæ Styriæque Nobilibus Crucis characterem accipiens, adversùs eum expeditionem ſuſcepit. Illi iter fuit per Hungariam, ubi Andream ſecundum Regem, ut comitaretur, permovit. Vix in Ægyptum appulerant Damiatam urbem aggrediuntur, & è Saracenorum poteſtate in libertatem adſerunt, hujus Leopoldi potiſſimùm virtute. Ita hoſtibus Chriſti profligatis, redijt in Auſtriam, magnâ ſuorum ſubditorum lætitiâ exceptus. Obijt in Apulia apud S. Germanum, cùm eò Imperatorem eſſet ſecutus. Inteſtina ejus in monte Caſſino, oſſa in Auſtriam delata in cœnobio Campi Liliorum condita ſunt. Styriam rexit annis

Lambecius in Diario Cellenſi.

XXXVII. Austriam XXXI. Ex Theodora uxore suscepit filios tres, primum Leopoldum infantem dictum, qui nono ætatis anno obijt, alterum Henricum cognomine Crudelem & Impium, propter rebellionem in patrem & matrem; tertium Fridericum, quem habuit successorem. Filias deinde quatuor, Constantiam, Margaretam, Agnetem, Gertrudem.

V. Fridericus Bellicosus, melius Rixosus ac contumax. *Lambecius comment. de Biblioth. Cæsar. Vindobonensi seu Viennensi Lib. 2. cap. 5. cap. 79.*

FRIDERICUS, quintus Austriæ Dux, tertius Styriæ, filius Leopoldi & Theodoræ, post mortem patris & fratris sui Henrici Crudelis (qui triennio ante patrem è vivis excessit, relictâ unâ filiâ Gertrude) utrúmque Ducatum apprehendit. Fuit hic Fridericus ultimus è Babenbergicis Austriæ Dux, vir vitæ dissolutæ, sed admodùm bellicosus. Viennæ palatium suum habens in id tantùm incumbebat, ut matronas, virginésque forma illustres constupraret, ac cives gravissimo jugo premeret, si non opprimeret. Quare ab his pulsus, urbem, sed frustrà obsedit, agrósque circumquáque vastavit. Romam deinde profectus, cùm Cæsari Pontificíque de vitæ emendatione fidem fecisset, veniam impetravit. Reversus in Germaniam, cùm quiescere non posset in se Hungaros, Bohemos & Bavaros concitavit, à quibus indictum sibi bellum per tres Feciales uno eodémque die intellexit, nec quicquam tamen, cùm in convivio id temporis esset, de hilaritate, alacritatéque remisit. Contra Bohemos & Hungaros feliciter pugnavit, sed reportatam de Hungaris victoriam suâ morte luctuosam reddidit. Quippe dum eos parvâ manu insequitur, apud Leittam fluvium ex equo dejectus, antequam succurri posset, interfectus fuit. Tradunt quidam eum, cùm venationi indulgeret, à Barone de Pottendorf equi frœno strangulatum ac pugione transfixum. Et quidem ad hoc facinus commotum Baronem ajunt, quòd cum ejus sorore turpem Princeps consuetudinem haberet. Vt id probent, in ejus sepulchro dicunt ad S. Crucem cum equi frœno & laqueo Principis effigiem reperiri. Deinde eam familiam inposterum infamiâ notatam, ad officia ampliùs non admissam, ac tandem extinctam. Scribit Munsterus in sua Cosmographia Fridericum hunc à Friderico II. Cæsare Regem Austriæ renuntiatum. Diploma Cuspinianus refert. Duæ illi uxores contigerunt: prima Gertrudis Ducis Brunsuicensis filia, quam tertio post anno ob sterilitatem repudiavit. Altera Agnes Marchionis Moraviæ filia, etsi consanguinea; sed hanc quoque ob eandem causam quarto pòst anno repudiavit. Quare cùm nulla illi proles esset, in eo Marchionum, Ducúmque Austriæ Babenbergicorum

rum familia, cùm annos circiter ducentos & ſeptuaginta rexiſſet, defecit. Adjunxit Auſtriæ Carniolam hic Fridericus. Porrò quæ ex morte Friderici hujus in Auſtria evenerunt, videamus. Mortuo itaque Friderico, cùm ſuperſtitibus quatuor ejus ſororibus tantùm, unâque nepte, in incerto ſucceſſor eſſet, ingens Auſtriam tumultus concuſſit. Hærebant anxij Primates, quem ſibi Dominum conſtituerent; ſolæ mulieres de ſucceſſione contendebant, nec eas aut lex, aut conſuetudo provinciæ repellebat. Erat natu maxima Friderici ſoror Margareta, quæ Henrico Sueviæ Duci Friderici Cæſaris filio nupta, duos illi gemellos pepererat, Fridericum & Henricum, quos Manfredus ejuſdem Cæſaris filius nothus, nè ad Siciliæ utrinſque regnum, quod ipſe, Cæſare mortuo, occupârat, aſpirarent, veneno ſuſtulit. Sed cùm poſt longam viduitatem, effæto jam ſterilique corpore, ad ſecundas nuptias cum Ottocaro Bohemiæ Rege convolâſſet, Ottocarus, prætеritis alijs, maximam Auſtriæ partem jure uxoris ſuæ Margaretæ invaſit, etſi illam mox repudiârit. Ex Gertrude Henrici Crudelis filia, Friderici Ducis ultimi nepte, quæ Hermannum Badenſem Marchionem maritum habuerat, filius unus ſupererat Fridericus. Hic quoque Auſtriæ loca quædam occupârat, & ſe ſucceſſorem, quòd maſculus eſſet, ferebat. Verùm cùm Ottocaro viribus impar eſſet, ſuperſedendum ad tempus ratus, affini ſuo Conradino Suevo in Italiam ad recuperandum Neapolitanum regnum proficiſcenti comitem ſe junxit. Sperabat enim Conradini auxilio Auſtriam ſe poſtea ab Ottocaro recepturum. Verùm poſt infelicem pugnam ambo proditi, captíque, & ex fuga ad Carolum Andegavenſem retracti, in foro Neapolis urbis, ſpectante ipſo Carolo, capite truncati ſunt. In eorum morte duæ ſupremæ familiæ Auſtriæ Sueviæque ſunt exſtinctæ. Interea Ottocarus Viennæ ſedem elegit, Aulámque in ea urbe regalem, quæ adhuc hodie conſpicitur, ædificari curavit, ac Cœnobij Franciſcanorum fundamenta jecit. Hæc Vernulæus. Illud hìc ratione Margaritæ uxoris Ottocari Regis addendum exiſtimo, eam non ſolùm ob ſterilitatem repudiatam, ſed quòd, ùt ait Pulkawa, Treviris Parthenonem ſacrum Prædicatorij Ordinis poſt Henrici Cæſaris mortem ingreſſa, cœlibem vitam profeſſa diu fuiſſet, quod poſtea cognitum eſt. Repudiatâ Margaritâ Ottogarus Cunegundam filiam Roſiſlai vel Hoſtiſlai Ruſſiæ Regis, Neptem Belæ Hungariæ Regis, Pontifice annuente, Moguntino Archi-Epiſcopo cauſam priùs cognoſcente, duxit uxorem, ex qua præter alias proles ſuſcepit filiam Agnetem, quæ Rudolphi I. Cæſaris

Cur Rex Ottogarus repudiaverit Margaritam uxorem. *Pulkavva in hiſt. Boh.*

Epitomes rerum Bohemiæ lib. 3. cap. 15. fol. 275.

Fit Monialis.

Annales Trevir. Tom II. ad ann. 1279. n. 10.

ſaris filio Rudolpho nupſit. Injurius eſt Vernuleus Regi Ottogaro aſſerens, Margaritam priorem uxorem veneno ab eo ſublatam, cùm clarè conſtet ex Annalibus Trevirenſibus illam, deſiderio, (ùt Scriptor Annalium exiſtimat) progenitorum, Leopoldi & Popponis Auſtriæ ſtirpis, poſtquam repudiata fuiſſet Treviri in B. Catharinæ monaſterio S. Dominici inſtitutum amplexam & ibidem mortuam.

Anno 1267. Vlricus Carinthiæ Dux ſine hæredibus moriens, Carinthiam ſupremâ voluntate Przemislao Ottogaro tranſcribit. Hanc Provinciam, cum Auſtria ad Imperium uſque Rudolphi I. Ottogarus Rex poſſedit; qua de re uti & de bello inter Regem & Cæſarem orto, cùm ad annum 1277. & qui ſequitur, fusè egerimus, eò Lectorem remittimus. Cæterùm Cæſar partâ cœlitus victoriâ de Ottogaro filium ſuum Albertum Auſtriæ primò tantùm præfecit, poſtea nempe Anno 1282. ex communi Principum Imperij ſententia, Ordinúmque totius Provinciæ rogatu Auſtriæ Ducem illum cum reliquis filijs renuntiat. Præterea, ut jus illi aliquod acquireret, uxorem ipſi impetrat Eliſabetham Meinhardi Comitis Tyrolis & Agnetis Badenſis filiam, legitimam Ducatûs Auſtriæ hæredem, ac tunc ſolam. Hoc modo ad Habſpurgicos Auſtria devenit. Hæc de Regione Auſtriæ, ejúſque Marchionibus, ac Ducibus primis, nec non eorundem Pietate dixiſſe ſufficiat, quam ſi non ſuperant, certè exæquant ij, qui his ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca hæreditario jure ſucceſsêre, quorum Alpha Albertus Rudolphi I. Cæſaris filius, poſtea Romanorum Rex nominis hujus pariter primus. De cujus Pietate ſit

CAPUT I.

Alberti I. Ducis Auſtriæ filij Rudolphi I. Cæſaris Pietas & gratitudo in Parentem. Privilegium ab eodem Monaſterio Zwethalenſi ſuper deductione ſalis.

Alberti Ducis Auſtriæ Pietas in Rudolphum Parentem, cui Viennæ juſta funebria perſolvit.

BEne antiquorum dixit paræmia: procul ex oculis procul ex animo, at non id convenit dicere de Alberto Rudolphi Cæſaris filio, qui primordia regiminis ſui auſpicatus eſt à Pietate in demortuum Parentem, cui ſoleniſſimè Viennæ juſta funebria perſolvit. Neque ſolùm pia in parentem demortuum memoria duravit annô primô auſpicati regiminis in Auſtria, ſed etiam in annos

annos plures ſubſequentes ſe extendit. Nam anno Chriſti 1299. Ut Chronicon Colmarienſe refert, quòd Pater ſuus Rudolphus Romanorum Rex in die anniverſaria ſua, ut ejus haberetur memoria, minimè contuliſſet, clero Noribergenſi contulit quinquaginta librarum reditus, ut in altari, quod in eorum Eccleſia conſtruxerat, quotidie miſſam diceret aut cantaret.

Norimbergæ Miſſam fundat.

Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad ann. 1299.

Initia Regiminis Alberto nonnihil turbulenta fuêre conſpirantibus in ipſum Auſtriacis, Styríſque, priuſquam adhuc parens è vita decederet. Seditioſorum enim *Principes* in Trebeniæ oppido è Regione Tulnæ conveniunt. Leutoldus Kunringius Pincerna Auſtriæ Hæreditarius. Conradus Sumeravius alijque Auſtriaci. Ex Styris Fridericus, & Wolfingus Stubenbergici. Ex Carnis Guilielmus Scharffenbergicus, Otto Weiſeneccius, & Vdalricus Hainburgicus. Conjurationis caput erat, ut ejecto cum Suevis Alberto Rex Boëmiæ rebus imponeretur, quem adeundi negotium in ſe recepit Kunringius, & opibus & clientelis potens, qui jam aliquantam Auſtriæ partem animo invaſerat. Solus verò timebatur Rudolphus Cæſar, non potentia tantum & auctoritate, ſed prudentia, multóque rerum uſu pollens. Idque eos maximè movit, uti plures adhibendos, & majora comparanda eſſe præſidia putârint. Itaque præter Boëmum ſtatuunt Hungariæ Regem, Ottonem Bavarum, & Salisburgenſem antiſtitem (qui fœdus cum eo fecerat, veteréſque in Albertum inimitias fovebat) ſibi adjungere. His igitur pro operis nondum præſtitis, præda nec illa adhuc capta, promittitur: Epiſcopo Auſtria ſuperior, Boëmo inferior, Bauaro Stiria, Vindorum Marcha Hungaro, qui tamen auxilia non miſit, quód fædus cum Alberto haberet, quamvis Günſenſes Comites arma contra ipſum ferre non prohibuerit. Eodem tempore Stiri, coacto Græciæ cœtu, Vdalricum Pfannenbergicum, Fridericum Stubenbergicum, & Hardnidum, Wildanium ad Cunradum Epiſcopum legant. Libonitij conferuntur cum ipſo conſilia. Cunradus ea de re acceptis eorum ſyngraphis ad Ottonem Bavariæ Ducem ire feſtinat, fidem illi ſuam aſtringit, utque expeditioni ſe paret hortatur. Otto ejus rei literas & ipſe à Stiris ſignatos poſtulat, quibus promittant, omnes illi arces & oppida venienti aperta fore. Id citra omnem moram factum. Interim Auſtriaci tectam adhuc conſpirationem rati, ex ſuis quoſdam ad principem mittunt, ij erant Kunringius, Hadamarus, Sumereccius, & Cunradus Sumeravius. Intromiſſi communi provinciæ nomine petunt vetera jura & privilegia ſervari, quod ſi non impetretur, tum

Auſtriæ & Styriæ Proceres conſpirant contra ipſum.

Gerard. de Roo Hiſtor. Auſtr. lib. 1. pag.

ſe alióſque procéres alia conſilia ſecuturos, & quod ſui officij ſit patriæ rebus conſulturos. Albertus ad hæc reſpondet; facturum ſe in illorum gratiam quicquid commodè fieri poſſet, nolle tamen minis eorum aliquid de ſuo jure concedere, itaque exponerent, qua in re ſibi commodari, & quæ tandem jura ſervari velint, ſi æqua poſtularent, haud gravatè ea obtineri poſſe, ſin minùs, re ad conſilium relatâ, quicquid decretum fuerit pro reſponſo datum iri. Legati ad ſuos reverſi, paulò pòſt capita deſcripta ſecum adferunt. Inter ea hæc erant præcipua: Nè Princeps ullam pecuniam ad Suevos mittat, exteros neque in conſilio habeat, neque munijs publicis præficiat. Sciebat Albertus Suevos ſibi magnæ invidiæ eſſe, nolebat tamen turbulentis eorum vocibus aurem præbere, nè & alia impoſterùm ſimili cum pervicacia poſtulandi licentiæ fræna laxaret exemplo non bono. Itaque ut animos eorum exploraret, ſolos Suevorum Hermannum Landenbergicum, Eberhardum Waldſeium, & Henricum ejus fratrem relinqui ſibi poſtulat nullo modo amittendos, quòd honeſtis Auſtriacorum affinitatibus impliciti eſſent. Illi vel centum alios pro iſtis conceſſuros reſpondent. Ad hæc commotus Princeps numquam ſe minis ipſorum eſſe daturum dicit, uti vel abjectiſſimum lixam aut equiſonem dimittat, penès ſe jus ſtatuendi eſſe. Hoc illi reſponſum ad ſuos retulêre.

Viennenſium ſeditio.

Intereà temporis & Viennæ gliſcebat ſeditio, nam & ipſi ſuos homines ad priores procerum cœtus miſerant & internuncij quotidie ad eos commeabant, nè Principi conciliari ſe paterentur, in tempore à proceribus auxilia adfore. His promiſſis incitatum vulgus ferociùs jam in Principis aulicos agere, palàm in ipſum, in Suevos convicia, probra jacere, audiebantur paſſim ſeditioſæ voces, neque ſutores deerant, qui ligneis ſolearum formis palatij foſſas ſe expleturos & reliquæ terræ æquaturos jactitarent. Monebatur Albertus à ſuis, ut ad compeſcendos populi animos aliquid concederet & ad tempus conniveret. Ille conſtans animi nullis ſe minis moveri dicebat, ſcire ſi vel tantillum ipſis largiretur, multo deinde ad tumultuandum audentiores fore, & in annos ſingulos aut hoc, aut illud petendo ſeditionem moturos. Miſſis tandem ad ipſos nuncijs, quid ſibi velint hac inſolentia, quærit? illi ſublato clamore nunciari jubent: ſe niſi ſuis legibus vivere & privilegijs frui permittantur, rebus ſuis conſulturos, nec ipſi obſecuturos. Albertus itaque, antequam promiſſa advenirent auxilia, maturandum ratus cum uxore, liberis, & aulico famulatu, relictâ

Magnanimitas Alberti.

urbe

urbe, in Cecium montem (vulgo Calenberg) se confert, eúmque firmo præsidio munit. Omnes deinde urbis aditus tam arctè insideri curat, ut nihil commeatûs in eam inferri posset, neque Viennensibus longiùs ab urbe discedere tutum esset. Literas interim ad Cæsarem, reliquósque cognatos, & affines de præsenti rerum statu mittit. Jamque tardè admodùm progredientibus conjurationis rebus, cùm promissa à proceribus auxilia non mitterentur, in urbe populosa fame laborari cœptum, & operæ passim, ac mechanici divitum domos circumsistebant, necessaria vitæ præberi poscentes, quod nisi fieret, victos se ipsos ad Principem deducturos minabantur. Magistratus & qui lautioris fortunæ erant, inter quos ea tempestate eminebat Braitfelderus, consolantur plebem, auxilia propediem adfutura, expectarent paucos tantùm dies. Sed ingrauescente indies inediâ, cùm ventrem, qui aures non habet, verbis placare difficile admodùm esset, ad arma concurritur, Jamque res ad conflictum spectabat. Interuentu Ecclesiasticorum quorumdam sopiuntur turbæ, & magistratus promittit se, nisi intra sex dies, aut promissa adessent auxilia, aut annona laxaret, cum Principe transacturum. Cives deinde considerantes, quanto in d scrimine res versaretur, cùm neque Proceres aliquid aut opis adferrent sed occultam adhuc coniurationem rati, nihil apertè agerent, Abbatem Scotorum extrema necessitate adacti exorant, Principem adeat, pacémque & veniam admissorum efflagitet, quam, etsi graviter peccâssent, Elisabethæ tamen pientissimæ Dominæ intercessione impetrari posse non diffiderent. Abbas eorum precibus & præsenti urbis periculo motus ad Albertum venit, & Elisabetham Principem sibi deprecatricem adjungens proniorem ad ignoscendum Alberti animum facit. Secuti eum Viennenses capita & pedes nudi, ac in genua prolapsi vecordiæ suæ meritas deprecantur pœnas, veniam flebili voce orant, obsequia fida imposterum, & gratitudinem animorum clementissimo Principi ac Domino suo pollicentur. Albertus & uxoris, Abbatísque ac civium precibus, & supplicum miserabili aspectu motus, post desperatas eorum res veniam deprecantes: admisit tum supplices, atque injurias, cùm maximè ulcisci posset, liberaliter condonavit.

Viennenses Alberto Principi supplices.

Alberti in eos clementia.

At verò in Monasterium Zwethalense Ordinis Cisterciensis liberalem principio sui regiminis se ostendit, dum Privilegium super deductione salis, olim à Rudolpho Cæsare datum confirmaret, cujus tenor sequens.

Privileg. super deductione Salis ab eodem pro Monaster. Zwethalensi.

 Nos

NOs Albertus Dei gratiâ Dux Austriæ & Styriæ, Dominus Carnioliæ Marchiæ ac Portûs Naonis, scire volumus universos, ad quos præsentes pervenerint, quod accedens ad nostram præsentiam Religiosus Vir Ebro Monasterij Zvvethalensis Abbas Cisterciensis Ordinis, quoddam nobis privilegium Serenissimi Domini & Genitoris nostri Charissimi Rudolphi Romanorum Regis exhibuit petens illud sibi & suo Conventui innovari de nostra gratia speciali. Est autem ipsius privilegij per omnia talis tenor. Rudolphus Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus universis Imperij Romani fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Regalis serenitas libenter intendit commoditatibus subditorum, ut cæteri ex eo suscipiant purioris devotionis & fidei incentivum. Noverint igitur universi, tam posteri quàm præsentes, quòd nos honorabilibus & Religiosis viris, Abbati & Conventui de Zvvethal Cisterciensis Ordinis hanc gratiam de benignitate Regia duximus faciendam: quòd ijdem duo talenta salis majoris ligaminis, prout ipsis illustris quondam Fridericus Dux Austriæ per suum privilegium dignoscitur indulsisse singulis annis, Danubio liberè possint traducere sine muta: Concedentes ipsis has nostras litteras in testimonium super eo. Hujus rei testes sunt, Illustris Albertus Dux Saxoniæ Princeps noster charissimus, Nobiles Viri Fridericus Burggravius de Nürenberg, Comes de Hardeck, Leutoldus & Henricus de Künnring Fratres, Henricus Cunradus & Siboto Fratres de Potendorff & alij quàm plures. Datum Viennæ quinto Kalend. Maij Indict. nona, Anno Domini Millesimo Ducentesimo Octuagesimo primo, Regni vero nostri Anno Octavo. Nos itaque dicti Abbatis humilibus precibus favorabiliter inclinati prænominatum privilegium & in eo contentas gratias innovamus, approbamus & scripti præsentis Patrocinio communimus, dantes has literas sigillo nostro roboratas in testimonium evidens, super eo. Nulli ergo liceat hanc nostræ innovationis & approbationis paginam violare, quòd si secus fecerit, indignationem nostram se noverit incurrisse. Datum Viennæ Decimo septimo Kalend. Maij, Anno Domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo Primo.

Notæ & Additamenta.

METropolim Austriæ esse Viennam, urbem magnificam, splendidam, & insuperabile hactenus contra Turcarum incursiones munimentum est notum omnibus. An verò hoc nomine compellanda sit, Doctissimus & antiquitatum Studiosissimus Petrus Lambecius Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea Viennensi Libro II. Cap. I. & II. ex Codicibus M. SS. qui ibidem asservantur, fusè disserit. Et quidem Capite I. demon-

strat

ſtrat Wiennam Auſtriæ nec Viennam, nec Biennam, nec Vianam, nec Vendum, nec Galbianam, nec Flaviam, nec Flavianam nec Alam Flavianam, nec Aras Flavias, nec Caſtra Flaviana, nec Flavabim, nec Faviam, nec Favianam, nec Fabianam à Romanis olim appellatam fuiſſe.

Capite verò II. oſtendit Wiennam Auſtriæ verô & genuinô nomine ſuô à Romanis antiquitus appellatam fuiſſe *Vindobonam* idque antiquorum & neotericorum Authorum teſtimonijs perſpicuè & ſolidè demonſtrat. Ad hanc eruditiſſimam ejus diſſertationem Lectorem remitto. Et licèt eandem ſententiam amplectar, ex uſu tamen communi Viennam pro Vindobona nominabo. Lectori autem liberum eſto Viennam vel Vindobonam legere. De urbe ipſa, quæ ad rem noſtram pertinebunt, ſuis locis referemus.

CAPUT II.

Francofurti Comitia de creando novo Romanorum Rege. Clementia Alberti Ducis Auſtriæ in ſubditos. Favor in Cœnobium S. Nicolai Paſſavij Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini.

INeunte anno 1292. Francofurti Concilia Principum Imperij de creando novo Romanorum Rege celebrantur, Romaniſque Imperatoris dignitatem, quàm jam ab Electoribus pleriſque propè in manibus habebat, Albertus Auſtriæ Dux obtinuiſſet, niſi affinis ejus Wenceslaus II. Bohemiæ Rex Alberto tunc offenſus obſtitiſſet. Itaque per legatos Adolfum Comitem Naſſavium Electoribus commendavit, & Imperatorem nominavit, eámque prærogativam & authoritatem ſortis cæteri Electores ſunt ſecuti. Interea ex ſummo, & periculoſo malo, bonum, ùt ſolet, elicuit Deus: Erat Albertus Auſtriæ Dux, Suevis ſuis nimiùm deditus, & contemptis Auſtriacis, patriiſque hominibus, Suevos ſuos omnibus dignitatibus admovebat; irritatis igitur animis; Auſtriaci Proceres Wenceslaum Regem literis appellant, invitántque, exercitum modò Auſtriæ oſtenderet, Auſtriam univerſam habiturum in poteſtate. Jutta verò, adversùs Fratrem cùm arma parare maritum didiciſſet, confeſtim ad fratrem dat literas: videret quid ageret, periculum eſſe, nè deſertus à ſuis exuatur ab

Albertus Dux Auſtriæ impeditur in petitione coronæ per Bohemiæ Regem.

Franciſcus Canonicus Pragenſis in Hiſt. ſuorum temporum.

alienis, atque in ſicco hæreat, unam eſſe ſalutis viam, ſi ad Regem veniat, offensúmque placet, cætera ſibi curæ fore. Hoc conſilium ſecutus Albertus Pragam ultrò pauciſſimis comitatus advenit, & ſolus cum Rege ſolo collocatus, Regem ità ſibi devinxit, ut omnium præteritorum oblivіſci ſe Rex diceret; & inpoſterum, quo poſſit ſtudio, adjuturum Albertum, amantiſſimis verbis promitteret. Exinde Albertus æquiſſimo animo tulit repulſam illam Coronæ Imperij, ratus haud auferri ſibi illam, ſed ſolùm differri.

Eodem anno Albertus bellum cum Styris gerere cogitur. Dicebant Styri, quandoquidem Albertus (ùt ipſi exiſtimabant) vetera Styriæ jura rata habere nollet, fidem ſe ipſi & obſequium renunciare, Ottoni Bavaro impoſterùm dicto audientes fore: Rebellionis caput Fridericus Stubenbergicus brevi pœnas luit à militibus Alberti captus. Hoc nuntio ad Albertum allato, erant qui morte in captos animadvertendum dicerent, Stubenbergico privatim infenſi. Eorum odijs ſuam Princeps Albertus Clementiam potiorem habuit. Capto Stubenbergico, tumultus utcúmque ſedati ſunt, & ad S. Viti fanum cum Styris quotquot aderant colloquium ab Alberto Principe inſtituitur. Ibi omnes jurejurando interpoſito fidem ſe ejus hæredibus, ſi (quod abſit) humanitùs quidpiam ei accideret, ſervaturos promittunt; ille ſuis legibus vivere permiſſurum ſanctè jurat, idque ſcriptô conſignatum ipſis relinquit, ſicque cum Styris pax compoſita.

Bellum Alberti contra Styros. *Gerard. de Rhoo Hiſtoriæ Auſtr. lib. 2.* Clementia Alberti.

Anno 1293. Conventus quorundam Principum vicinorum Lincij ad Danubium habetur, in quo inter Albertum Auſtriacum & vicinos Principes pax coaluit. Sed mox bellum per Hungariæ Regem Alberto illatum excepit; quod tamen ductâ in conjugem Alberti filiâ Agnete Virgine pudiciſſima & formoſiſſima ſopitum eſt. De ea plura infra, occaſione mortis Alberti Parentis, & occaſione erecti Cœnobij Königsfeldenſis. Præmemoratô quoque annô 1293. Albertus Dux Auſtriæ & Styriæ ad petitionem Præpoſiti Eccleſiæ S. Nicolai Patavij, ſeu Paſſavij Ordinis Canonicorum Regularium privilegium de non dando telonio olim per Illuſtrem quondam Fridericum Ducem Auſtriæ & Styriæ Eccleſiæ prædictæ, nec non fratribus Domino famulantibus in eadem traditum & conceſſum renovat & confirmat, cujus quidem privilegij tenor per omnia talis eſt:

Novum bellum Alberto cum Rege Hungariæ.

Favor in Cœnobium S. Nicolai Paſſavij Ord. S. Auguſt. Canonic. Regul.

In

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Fridericus Dei gratiâ Dux Austriæ, & Styriæ, & Dominus Carniolæ.

UNiversis Christi fidelibus salutem in perpetuum.

EXcellentia sublimitatis desuper nobis collatæ requirit, ut ea, quæ ad usum & proventum Ecclesiarum conducunt, & expediunt, studeamus attentiùs promovere. Multitudinem ergo commissorum nobis sincerâ mentis intentione, diligenti consideratione perpendentes, & dignâ revolventes percunctatione, peccatorum nostrorum vulneribus salubris medicaminis cauteriũ adhibere, pium statuimus: pro remedio enim videlicet piæ recordationis patris nostri Ducis Leopoldi, & aliorum antecessorum nostrorũ nostræque salutis intuitu fratribus in domo S: Nicolai Pat: Deo inibi militantibus ob venerationem reliquiarum ibidem reconditarum libertatem per terras nostras tam in aquis, quàm in terris omnium rerum suarum mobilium transitus omnium vectigalium exactione inhibitâ & remotâ. Volentes etiam ut victualia ejusdem Ecclesiæ non debeant occasione alicujus querimoniæ ab aliquo detineri. Ut autem hæc libertatis nostræ donatio rata & inconvulsa perseveret, præsenti pagina sigillique nostri charactere ac testium annotatione, quorum subscripta sunt nomina, fecimus roborari. Sunt autem hi testes: Dominus noster Episcopus Patav. Rudegerus, Dietmarus Abbas de Reitenhaslach, Ulricus Saltzburgensis Cellerarius, Magister Leupoldus plebanus Wienn. Leupoldus plebanus de Heimburch, Magister Ulricus plebanus de Kirchperch, Henricus plebanus de Straubing, Henricus de Merschvvanch, Chunradus Marschalcus, Chunradus de Schövving, & alij quàm plures. Datæ apud Medlicum castrum, anno ab Incarnatione Domini, 1240. Indictione XIII. VII. Kalend. Octob.

Hoc privilegium post Albertum Austriacum primum nominis hujus Ducem Habspurgo-Austriacum Rudolphus Alberti præmemorati nepos ad petitionem præpositi Cœnobij S. Nicolai Anno 1362. confirmavit.

Nos igitur (inquit) *Præpositi & Canonicorum prælibatæ Ecclesiæ commodis & utilitatibus favorabiliter intendentes, prædictum privilegium & quoslibet articulos & gratias in eo contentos & contentas prout superiùs exprimitur, innovamus, ratificamus, & præsentis scripti patrocinio liberaliter confirmamus, volentes ac omnibus Baronibus, Capitaneis, Castellanis, Judicibus, Mutarijs, cæterísque officiatis, & quibuscúnque alijs nostris subditis firmiter sub obtentu nostræ gratiæ committentes,*

nè ipsi Præpositum & Canonicos Ecclesiæ antedictæ contra privilegium prædictum, & in eo contenta impediant vel molestent. Testes hujus rei sunt honorabiles Albertus Tum Præpositus Patav. Henricus Præpositus Plagæ sanctæ Mariæ, Ordinis Præmonstratens. spectabiles viri Ottho, & Rudolphus de Ortenburch, Ulricus & Henricus de Schanberch Comites avunculi nostri dilecti, & fideles nostri dilecti Eberhar. de Walse, de Linza, Eberhardus de Capella, Joh. de Traun Capitaneus noster super Anasum, Ottho de Zelking, de Schöneckhe, Henricus de Rappach noster Magister Curiæ, & quàm plures alij fide digni. Datum & actum Patav. penultimâ die Julij Anno Domini M. CCC. LXII. ætatis nostræ XXIII. regiminis verò annô V.

CAPUT III.

Principum Imperij ab Adolpho Cæsare abalienatio. Bellum Alberti cum Adolpho, & periculum Alberto à veneno propinato.

Princip. Imperij ab Adolpho Cæsare abalienatio. *Gerard. de Roo Histor. Austriacæ lib. 2.*

ANno 1294. Adolphus Cæsar ingens apud pleróſque Germaniæ Principes odium incurrit, his præcipuè de causis. Bellum in Flandria Eduardus Angliæ Rex cum Philippo Pulchro Gallorum Rege gerebat, qui Guidonem Comitem ejus Provinciæ, ob affinitatem cum Anglis initam, dolo ad colloquia pertractum ceperat, captum in Galliam miserat. In ejus belli societatem Anglus centũ aureûm nummorum millibus numeratis, Cæsarem adsciverat. Eam pecuniam Cæsar, cùm in Principes partiri debuisset, in proprios usus convertit, & Thuringiam emit, bellúmque, quod in Gallum se moturum receperat, in eam regionem transtulit. Albertus enim Thuringiæ Princeps post susceptos ex Margaretha Friderici II. Imperatoris filia Fridericum & Dietmannum filios, cùm in pellicem quandam adeò exarsisset, ut legitimæ uxoris vitæ insidias strueret, & ex ea natos hæreditate privaret, omnem Adolpho ditionem prætio addixerat. Ea res sua indignitate Principes moverat, & militum præfecti quidam, qui Flandris meruerant, domum reversi animos eorum incendunt, probro Germanis apud exteros dari testati, quòd Cæsarem ejusmodi haberent. Adolphus verò, ut invidiam omnem, quantùm potest, abs se demoliretur, Regnum Arelatense, & alia per Gallos Imperio ablata, misso caduceatore, repetit, nolenti reddere, bellum indicit, quod tamen postea non gessit. Dabatur illi vitio, quòd

quòd cùm ad tuendam Imperij dignitatem opes non ſatis magnas domo adferre poſſet, pecuniâ ab Anglo acceptâ mercenarium ſe illi feciſſet, fidem poſteà tanto Regi datam fregiſſet, utróque facto Cæſareum nomen contumelioſum reddidiſſet, Flandris, quos vel absque pecunia defendere debuerat, relictis, bellum domeſticum in Thuringia aleret. Accedebant & aliæ criminationes, de inuſitatis vectigalium exactionibus, impunitis quondam flagitijs, & Eccleſiaſticorum oppreſſio & Virginum ſtupra, & nonnulla, incertum an vera omnia obijciebantur, jámque de Imperio illi adimendo frequens erat ſermo, neque deerant ex Principibus, qui Auſtriacum, uti ſibi eam dignitatem aſſereret, inſtigabant. Crimina Adolpho objecta.

Anno 1295. Adolphus Imperator uſque eò apud Principes nonnullos, quorum intererat, eviluit, ut Gerardus Moguntinus Alberto Duci Auſtriæ ſpem offerret diadematis, & ad Rheni limitem occupandum invitaret. Quod cùm Adolphus ſciret, bellum in Albertum Ducem movet, Alſatiam depopulatur, & Alberti propinquos magnis damnis afficit. Sciebat enim Albertum, inter alios potentiſſimum, ſuis maximè rebus officere, facta ſua acerrimè reprehendere, & ad Imperium invitari. Itaque illum maximè oderat, & ditione omni, inprimis verò Auſtriâ, ſi qua daretur occaſio, excludere in animo habere dicebatur; ſed à Principibus deſertus, cùm præter Ottonem, & Rudolphum Palatinum, generum ſuum, Bavariæ Duces, cuj fidere tutò poſſet, haberet neminem, contra Alberti potentiam nihil valuit.

Nihilominus Anno 1296. tantas tamque validas copias Adolphus Cæſar habuit, ut Albertus eas frangi continuò poſſe diffideret; ſimúlque in ingentem metum Auſtriæ Ducatûs amittendi adductos, intra Sueviam ferè, ubi animorum adjunctione, & magnis erat affinitatibus, & aliarum rerum copiâ tutus, ſe ſe continuit atque inde multorum ope, gravia Adolpho Regi damna intulit. Porrò Albertus Viennam reverſus, cùm die quadam in palatio ſuo pranderet, ferculum veneno infectum fraude miniſtri alicujus in menſa illi propoſitum fuit, ipſe nullam fraudem ſuſpicatus avidè deguſtavit, ſed mox ingens totũ ejus corpus dolor invaſit, & agere animam videbatur. Occluduntur quàm primùm Palatij fores, nec exitus ulli permiſſus. Aderant præter alios non multos Fredericus & Albertus Buckaimij Fratres tunc temporis miniſterio menſæ Principis deſtinati, qui ubi Domini ſui periculum viderunt, ſubitò conſternati, ut à ſe ſuſpicionem omnem amolirentur, ambabus manibus in patinas involârunt, & cibos

Periculũ Alberto à veneno Viennæ. *Gerard. de Rhoo Hiſtor. Auſtriaca lib. 2. pag. 62.*

ora ingeſſerunt. Vidit Albertus, & nutu clamoréque, quo poterat, né id facere permitterentur, prohibet, *Notam ſibi eſſe Juvenum iſtorum fidem, perſpectam innocentiam.* Medici repentè ad violenta remedia confugientes totum corporis temperamentum ita inverterunt, ut vim veneni omnem per os, nares, aures, oculos expulerint. Reſtitutus ſanitati Princeps fuit, ſed altero oculo deinceps caruit, & pallorem quaſi perpetuum facie induit. Magnum periculum, ſed major erga Miniſtros fideles humanitas. Quis non ſævitiam expectaſſet?

CAPUT IV.

Coronatio Regis Bohemiæ Wenceslai & Judithæ filiæ Rudolphi Cæſaris. Fundatio Cœnobij aulæ Regiæ Ordinis Ciſtercienſis. Judithæ Reginæ mors.

Glorioſa Coronatio Reg. Wenceslai.

ANnus 1297. memorabilis eſt Regno Bohemiæ coronatione Wenceslai Regis cum conjuge Juditha filia Rudolphi I. Cæſaris. Vix aliquid illuſtrius, ex quo condita eſt noſtra natio, Praga vidit: centum nonaginta millia equorum hoſpites adduxerant, quibus omnibus pabulum dabatur à Rege: aderant Archi-Epiſcopi duo, Epiſcopi octodecim, Abbates & Prælati cum infulis centum, Principes & Duces ſeptem, Comites & Barones trecenti, præter Equeſtrem Nobilitatem innumerabilem, ut illos Praga non caperet, oportueríque novam ex tempore urbem ligneam ſub Petrino monte ad Muldavæ ripas Aulam Regiam versùs extruere. Præfuit univerſæ Eccleſiæ hoc tempore Bonifacius VIII. conceſsítque, ut quiſquis Regem & Reginam Juditham peccata confiteri audierit, ab omnibus cenſuris abſolvat.

Multitudo hoſpitum in coronatione. *Balbin. in Append. I. ad hiſtor. S. Montis, & in Epitome. Cruger. ad diem II. Junij.*

Abſolutâ coronatione, ut ea proſperè eveniret, altera à coronatione die, Cœnobium Aulæ Regiæ Ordinis Ciſtercienſis propè Pragam fundat, nobileq; eodem die Regiæ liberalitatis exemplũ Wenceslaus Rex edit: nam ut omittam ipſam fundationem opulentiſſimam, dedit, donavit Cœnobio Crucem auream, gemmis diſtinctam clariſſimis, quam (teſte Franciſco Canonico Pragenſ. in ſuo M. S. Chronico) pro mille & quadringentis marcis argenti comparaverat; item multas monſtrantias ex auro & argento cum Reliquijs Sanctorum, & ornatum multiplicem Eccleſiaſticum pretioſum, cum multis calicibus argenteis; ad hæc ducentas Mar-

Ep. f. 301.

cas obtulit pro libris comparandis, & Patribus Ordinis misit dona multa & pretiosa, ut fundatio sua approbaretur, & ut ei Ordinis Confraternitatem conferrent, quod factum est. Hæc Franciscus. Coronata quoque est Regina Gutta vel Juditha, sed ùt in rebus humanis lætis misceri tristia solent, eodem mense post 17. dies, sex prolibus relictis extinguitur. Fuit Regina à prudentia, vitæ innocentia & amore pauperum ab omnibus ævi illius Scriptoribus commendata. Moriens ultimâ voluntate suâ literis expressâ, dotem suam omnem viduis, pupillis, & pauperibus transcripsit. De anniversario Funebri quod in Ecclesia Pragensi S. Viti habuit, diximus Libro I. Capite XX. Plura de Beatæ ejus Anno 1305. ex occasione mortis Regis Wenceslai dicturi.

Mors Judithæ Reginæ Bohemiæ. *Epitom. rerum Bohem. lib. 3. c. 16.* Ejusdem virtutes.

Didacus Lequile, jam aliàs citatus Tractatu de matrimonijs Principum Austriacorum tam marium, quàm fæminarum, affirmat: fuisse Juditham tam commodis moribus, ut viro paternæ cædis & veterum offensarum memoriam omnem facilè ex animo aboleverit. Præterea citans M. S. Chronicon Bohemiæ expressè docet Juditham cum marito condidisse Monasterium Aulæ Regiæ. Favere videtur asserto nostro liber, cui titulus: *Phœnix incineratus, sive origo, progressus & eversio monasteriorum Ordinis Cisterciensis in Regno Bohemiæ.* In quo disertè Scriptor præfati Ordinis appellat Juditham Heroinam omnibus Christianorum virtutum numeris absolutissimam: Aulæ Regiæ & ordinis Cisterciensis longè amantissimam. Quæ etiam ut majorem affectum erga Cisterciensem ostenderet, moriens, in Ecclesia Aulæ Regiæ, ubi opus illud perficeretur, tumulari denuo voluit, teste Lupacio. Sepulta námque est Pragæ in Divi Viti Martyris Basilica juxta tumulum Ottocari Regis in prælio Anno 1278. occisi.

Sepultura. *Lupac. in Calendario histor. 18. Junij.*

Ego his omnibus perpensis judico Juditham Reginam hortatricem ad condendam tam amplam cœnobij fundationem fuisse, & ex innato affectu, quem in parente Rudolpho erga Cistercienses suspexerat, de suo addidisse. Quin imò scribere forsan oportuisset, fundationem illam etiam spectare posse ad Rudolphum Cæsarem, utpote ad quem jure belli, ut suprà dictum, devenit Regnum Boëmiæ, quod ille pupillo Wenceslao reliquit, & tantæ exinde liberalitati & munificentiæ occasionem dedit. Meritò sibi hìc gratulari potest Aula Regia & cum ea Ordo Cisterciensis citra invidiam gloriari, habere se cum Augustissima Domo Austriaca participium. Utpote quæ à Rege Rudolphi Imperatoris genero sit fundata, dotata & in amoribus habita, ac sacris ejus-

dem Regis nec non & filij à ſanguine Auſtriaco geniti, Wenceslai junioris & multarum ab eodem fonte prolium emanatarum funeribus, exuvijs, & reliquijs exornata.

CAPUT V.

Prælium Cæſaris cum Alberto Duce Auſtriæ. Mors Cæſaris. Albertus Dux Auſtriæ eligitur in Regem Romanorum. Favor ſpecialis in Archi-Epiſcopum Trevirenſem, in Epiſcopum Paſſavienſem, & Regem Bohemiæ.

Prælium Wormacienſe quo Rex Adolphus cecidit. *Brover. in Annalibus Trevirenſibus anno 1297.*

ANno 1298. Adolphus Rex apud Vangionas prælio ſuperatus & occiſus eſt. Quod prælium ita geſtum Albertus Argentinenſis, & ex eo Broverus in Annalibus Trevirenſibus, narrant.

Dux Auſtriæ, quem antea in Suevia conſtitiſſe diximus, hoc demum anno, ingenti cum exercitu egreſſus, ad Kemtzingenum oppidum, non procul Friburgo Briſgoviæ Rhenóque diſſitum, acceſſit: atque ibi in ulteriore ripa fluminis Eltzachij, caſtra metatus, ad Rhenum deſcendere jam parabat. Adolphus eòdem copias deportans, in ripa fluminis adversùs Albertum conſedit, amne, quò minùs è veſtigio conſererent, dirimente manus. Adolpho autem intra oppidi mœnia recepto, Albertus cum expeditis Suevorum pedeſtribus copijs, & Rhenenſium equitatu Moguntiam tendens, nemine obſiſtente, tranſijt, atque Moguntia cum ingens, à Principibus nonnullis comitia in ſpeciem iſtic adumbrantibus, Rex Romanorum, ut antea, declaratus eſt, Adolpho Regni titulis ac honore ſpoliato.

Id quod pro indigniſſimo Adolphus accipiens, iræ, ſuíque non compos, versùs Rhenum caſtra metatur, ſummæ dimicationis & ultionis avidus. Itaque Albertum cunctantiùs agentem, nè prælij occaſionem amittat, vel ſolis equeſtribus adoriri copijs audet.

Dum igitur equitatu adducto in Vangionem agrum, magna celeritate vitabundum Albertum affectatur, periti Duces ſuadebant, impetum ſiſteret, pugnandíque ardorem premeret tantiſper, quoad pedeſtribus copijs aciem firmaret. Sed ille præliandi cupiditate ſalubriora conſilia ludicris poſthabens, parúm eo tempo-

tempore auſcultabat, ratus victoriam habere ſe jam in manibus.

Albertus interea fugam hactenus ſimulans, ex quo hærere in tergo hoſtem conſpexit, præparatis ad certamen animis ſuorum, venienti equitum agmini, ſignis converſis ſeſe obviam fert. Ardebat æſtivis caloribus dies, & ſole jam vergente Adolphus, ubi circumagi ſigna, & Albertum obvertere ſe ſentit, aciem ita diſtribuit, ut radios ſol funderet in hoſtem adverſum. Atque ubi agmen equeſtre peditatu deſtitutum breviùs obſervat, quod ut explicari poſſet, perplexus ut in re ſubita, pertinaci tamen dimicandi ſtudio, pugnæ ſignum dedit. Ardente igitur prælio, & multis utrínque tum æſtu immodico, tum vulnerum inflictu cadentibus, in media prolapſus Adolphus pugnantium agmina, tantâ vi cuneos armatorum perrupit, ut ad ipſum Albertum uſque per volitantia circum undíque tela penetraret. Ubi proximè ſtetit, Albertum magnâ voce inclamans; atqui non evades, inquit, ſed hic Imperium utique cum vita relinques: ad quæ Albertus, id ſanè in poteſtate Dei ſummi arbitri eſſe; ſimúlque mucronem ſtringens, Regem, quà galea patebat, ſecundùm oculum vulnerat: ad cujus plagæ ſenſum ex equo collapſus Adolphus, à ſylveſtribus atque alijs quibuſdam Comitibus, levi inſuper vulnere in jugulo accepto, obtruncatur; moxque Albertus ab edita pugna, ut ſanguine temperent, victoriáque clementer utantur, ſuis edicit. Ita laudes Julij Cæſaris æmulatus fortitudinem manſuetudine, & clementia attemperavit. *Auſtriaci clementia in victos.*

Comitia poſt hæc Francofurti novo creando Regi inſtaurata; & in Albertum euntes jam concordibus votis proceres eum Regem Romanorum ex Auſtriæ Duce (primam enim electionem tanquam parum legitimam generoſus Heros reſpuit) renuntiârunt; qui Aquisgranum inde profectus D. Bartholomei feſto, à Wichboldo Colonienſi Antiſtite ſolenni more inunctus, coronatúſque. *Eligitur in Regem Romanorum Francofurti, & Aquiſgrani coronatur.*

Poſt inaugurationem ſuam Albertus Boëmundo Archi-Epiſcopo Trevirenſi luculentum diploma dedit, quo Adolphi Regis decretum confirmavit; & multiplicia Boëmundi in Regem illum merita ſic expoſuit.

Albertus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Cum Sereniſſimuss quondam D. Adolphus divæ memoriæ Rom. Rex prædeceſſor noſter, poſt creationem ſuam in Regem, conſideratis, fructuo- *Albertus Adolphi beneficia confirmat.*

ctuosis servitijs venerabilis Boëmundi Trevirensis Archi-Episcopi Principis nostri dilecti, & gravibus expensis, quas in ipsius Regis electione, & post, pro evidenti utilitate præfati domini Adolphi & Regni fecerit, eidem Boëmundo Trevir. Archi-Episcopo, Ecclesiæ Trevirensi ac suis successoribus, castrum de Cochime cum omnibus juribus suis, & appendicibus obligaverit tantâ summâ peccuniæ, ut vix spes esse possit luitionis, prout in literis prædicti antecessoris nostri plenius continetur. Nos attendentes, quòd memoratus Archi-Episcopus pro bono ac pacifico statu Regni & utilitate sacri Imperij frequenter & magnificè se & sua exposuerit, ei & successoribus suis, & Ecclesiæ Trevirensi regali largitate, donatione irrevocabili prædictum castrum Cochime, cum omnibus suis juribus, & pertinentijs universis in augmentationem suorum feudorum, donamus & conferimus per præsentes eâ lege, ut liceat Regi vel Imperatori, si hostem illis in partibus eum habere contingat, intra munitionem eam sese recipere, atque ex eo castro, in hostem incursiones facere. Sigillum Alberti. Datum Aquisgrani, octavo Kalend. Septembris, Regni nostri anno primo. Sequuntur inde Principum, qui subscripsêre nomina, quæ longum sit attexere.

Albertus itidem à Boëmundo tum rogatus, opem auxiliúmque in persequendis abstendis, tuendísque Ecclesiasticorum hominum commodis, addixit. Quin & alio diplomate dato, fidem Sacramento dedit, quòd Boëmundum ejusque Ecclesiam & successores quoad viveret, esset in possessione castri Thuronij & omnium eò pertinentium, manu tenturus, defensurus, & ubi res postularet, præstò futurus contra personas quascunque opportunis consilijs auxilijsque, neque commissurus, ut quisquam jus illud interpellaret.

Dedit etiam hoc anno Diploma Albertus Romanorum Rex, quo fatetur Reges Bohemiæ in solenni Curia Imperiali rogatos existentes, si Imperatores vel Reges Romanorum Coronam gestaverint, & eos quoque gestare posse.

Albertus Dei gratiâ Rex Romanorum semper Augustus.

UNiversis Sacri Romani Imperij fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum.

Favet Regi Bohem.

SIc nos decet Principum & amicorum nostrorum spontaneis uti servitijs, ut si quid per eos nobis honoris & obsequij propter debitum de prompta benevolentia exhibetur, eis vel eorum hæredibus aut successoribus in suis Juribus nullum per hoc imposterum præjudicium generetur. Eapropter scire

ſcire vos facimus, & tenore præſentium proteſtamur, quòd licèt illuſtres Reges Bohemiæ dum rogari, vel per Reges, vel Imperatores Romanorum, eos ad ſolemnem eorum Curiam venire contingit, prædictis Rege vel Imperatore Coronam Regalem geſtantibus cum eiſdem, & eis præſentibus coronâ Regiâ uti poſſint, non tamen in Corona Regia debent prædicti Reges Bohemiæ prædictis Regi vel Imperatori miniſtrare in officio Pincernatûs. Quòd autem magnificus Wenceslaus Rex Bohemiæ, Princeps & frater noſter chariſſimus nobis apud Nurmberg in ſolenni noſtra Curia proximo die Dominico poſt Feſtum Beati Martini ſedentibus in Corona, coronatus ad preces noſtras miniſtravit in officio Pincernatûs, hoc non de jure, ſed ex mera dilectione, quam ad noſtram gerit perſonam, tum eum feciſſe dicimus, & ad ſerviendum, ſive miniſtrandum in eodem officio ſub Corona Regia nobis vel ſucceſſoribus noſtris Regibus vel Imperatoribus Romanorum prædictum Regem, & omnes ſucceſſores ſuos Reges Bohemiæ teſtamur & volumus de cætero non teneri; nec aliquod eis exinde præjudicium generari. In cujus rei teſtimonium & prædicti Regis Bohemiæ & Hæredum & ſucceſſorum ſuorum cautelam præſentes fieri, & ſigillo noſtro Regio juſſimus communiri. Actum & datum in Nürmberg, Anno Domini, Milleſimo ducenteſimo nonagiſimo octavo. Decimo quinto Calendas Decembris, Indictione duodecimâ, Regni noſtri Anno primo.

Favorabilem quoque hoc anno exhibet ſe Albertus erga Epiſcopum Paſſavienſem Bernardum. Hic commendatione Alberti Anno 1285 Eccleſiæ Paſſavienſi præfectus eſt, eique oppoſuerunt ſe Cives Paſſavienſes, jugum Epiſcopale excutere volentes, & ab omnibus tributis liberi eſſe cupientes, campanam ad convocandam plebem & ſigillum more Imperialium Civitatum ſibi fecerant. Epiſcopus igitur ex urbe diſceſſit cum omnibus Canonicis & toto Clero ſuſpenſisque ſacris ad arma coactus, machinis bellicis è monte S. Georgij cives oppugnavit & graviſſimè afflixit. Res ad Albertum Romanorum Regem ab utraque contendentium parte delata, compoſita, & transacta eſt, ut nimirum Cives ſigillum & campanam Epiſcopo traderent, & Domino ſuo obtemperarent. Extat Diploma Regis Alberti datum Neunberg Anno 1298. prid. Kalend. Decembris, Regni 1. Idem Cæſar inſiſtens veſtigijs parentis ſui Rudolphi gratias Monaſterio Reitenbuchenſi à parente donatas confirmat. Tenor hujus donationis ſic habet.

Item Epiſcopo Paſſavienſi. *Hundius in Metrop. Salisb. agens de Epiſcop. Paſſav.*

Albertus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

UNiversis Sacri Imperij fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum.

EX parte honorabilium & Religiosorum virorum Præpositi & Conventus Monasterij in Reitenbuech Ordinis S. Augustini Frisingensis Diœces. devotorum nostrorum dilectorum, Serenitati nostræ fuit humiliter supplicatum, ut privilegium claræ recordationis Friderici secundi quondam Romanorum Imperatoris prædecessoris nostri sibi traditum & concessum approbare, innovare, & confirmare de benignitate Regia dignaremur, cujus privilegij tenor talis est. Fridericus secundus divinâ clementiâ, &c. ut supra. Nos igitur prædictorum Præpositi & Conventus in Reitenbuech pijs supplicationibus favorabiliter inclinati, ad instar claræ memoriæ Domini Rudolphi Romanorum Regis Illustris, genitoris nostri charissimi concessiones, gratias, liberalitates, & jura prædicta, ipsis ac suo Monasterio, gratiosè, favorabiliter & benignè indulta, tradita & concessa, debita & consueta Majestatis Regiæ benevolentia approbantes, innovantes & confirmantes ratione advocatiæ Serenitati Regiæ in ipsis & eorum possessionibus competentes, eos, ipsorum Monasterium, ac omnia eis attinentia juxta privilegij supradicti tenorem, in nostram & sacri Romani Imperij protectionem recipimus specialem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ approbationis, innovationis, confirmationis & protectionis paginam infringere, vel eidem in aliquo ausu temerario contraire. Quod qui facere præsumpserit, gravissimam nostræ Majestatis offensam se noverit incurrisse. In cujus rei testimonium præsens scriptum exinde conscribi, & Majestatis nostræ sigillo fecimus communiri. Datum apud Eßlingen quinto Kalend. Julij, indictione 12. Anno Domini 1299. Regni verò nostri Anno primo.

CAPUT VI.

Nuptiæ Rudolphi filij Alberti Cæsaris cum Blanca filia Philippi Regis Franciæ. Novus favor Cæsaris in Regem Bohemiæ. Cæsaris felicitas in bello & devotio liberalis in Deiparam.

ANnus reparatæ salutis millesimus trecentesimus sæcularis fuit, qui tanto hominum omnis generis, ex universis orbis Christia-

Christianorum provincijs concursu Romæ celebratus est, ut urbis patentissima gremio vix excipi multitudo potuerit.

Ipso anno desponsatur Rudolpho Alberti I. Cæsaris filio Blanca Philippi Francorum Regis soror. Nuptiæ Parisijs magno apparatu, & frequentia celebratæ sunt. Aucta est lætitia eodem tempore Ludovici Regis sponsæ avi solenni translatione, postquam Bonifacius VIII. Pontifex Sanctorum numero adscripsisset. Sed haud diu admodum Blancæ consortio lætatus est Rudolphus. Extinctâ eâ Viennæ sexto pôst anno Christi 1305. Paucis verbis omnia Blancæ encomia, animi sui dotibus promerita clausit Nicolaus S. Crucis Monachus, qui eodem quoque tempore vixit ac scripsit. *Mulier, inquit, virtutis Dei cultrix, & pauperum consolatrix.* Pijssima heroina tumulata est Viennæ in æde Franciscanorum, quam suo ipsa sumptu condiderat, uti & cœnobium universum (quemadmodum & mariti favore & opibus etiam S. Claræ Monasterij prima fundamenta jecit) quod Anna Friderici Pulchri Cæsaris filia ibidem Antistita; & Catharina Alberto III. genita ad summum splendorem amplis divitijs perduxerunt.

Nuptiæ Rudolphi Duc. Aust.

Lequile de Matrimon. filiorum ac nepotum Alberti I. Cæsaris.

Moritur Blanca conjux Rudolphi.

Alij tamen Monasterium illud minorum ad S. Crucem ab Ottogaro Bohemiæ Rege, qui simul Austriam possidebat fundatum volunt, sed à Blanca & Rudolpho locupletatum.

Leguntur hoc eodem anno Literæ Alberti Regis Romanorum, quibus concedit Wenceslao Regi Bohemiæ potestatem subjugandi terras Ladislai Ducis majoris Poloniæ.

Albertus Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

Magnifico Principi Wenceslao Regi Boëmiæ Illustri, fratri suo charissimo, gratiam suam & omne bonum.

IN aliqualis tuæ sinceritatis & fidei restitutionem, quibus præ cæteris Regibus & Imperij Romani Principibus, erga nos, & ipsum Imperium dignosceris clariùs præclarere, non immeritò nos inducunt, ut universis & singulis, quæ honoris & statûs tui incrementa respiciunt, ferventibus desiderijs intendamus. Quod attendens nostra Serenitas, tibi ex gratiâ speciali concedimus, ut quidquid de terra Illustrissimi Ladislai Ducis Majoris Poloniæ, quam occupat, tibi subjugare poteris, à nobis, & dicto Romano Imperio, à te, & tuis hæredibus teneri volumus perpetuò titulo feudali. In cujus rei testimonium præsentes literas tibi tradimus sigilli nostri robore communitas. Datum Moguntiæ, tertio Calendas Julij, indictione decimatertia, Anno M. CCC. Regni nostri secundo.

Locus corruptus.

Mors Boëmundi Archi-Episc. Trevir. *Annal. Trevir. ann. 1299.*

Moritur hoc eodem anno Boëmundus Archi-Episcopus Trevirensis. Sic verò ex vita excessit, ut apud omnes Imperij ordines ingens sui desiderium relinqueret, & Diœcesis resque publica Trevirensis, post pacis & felicioris sæculi incrementa, pietatis atque industriæ ejus fructum haud mediocrem sentiret. Ejus loco anno 1300. Dietherus Nassovius Dominicanæ familiæ Religiosus, Adolphi Cæsaris frater germanus, turbato comitiorum jure, sine suffragio Cleri, & contra Collegij summi voluntatem Archi-Episcopus à Bonifacio Papa, extra ordinem substituitur, & Treviris sedere jubetur. Quæsitus is à Pontifice dicebatur, ut Alberto Austriaco cæsi fratris æmulo obijceretur: vir sanè, ut literis Sacris & Theologiæ studijs apprimè imbutus, ita consiliô reque gerenda promptus. De eo Trithemius sat liberè: Dietherus de Nassau, frater Adolphi Regis, non electus, neque postulatus, in odium Regis Alberti à Bonifacio VIII. fuit substitutus, ordinatus, & ad Trevirim pro Archi-Episcopo missus, præfuítque annis ferè octo. Erat autem ex Ordine Fratrum Prædicatorum, & omnibus diebus Pontificatûs sui Alberto Regi Romanorum adversabatur; sed viribus longè inferior, nihil adversùs eum potuit. Frustra enim est omnis humana prudentia adversùs eum, quem crescere & honorare vult Deus.

Successor in Archi-Episcopat.

Alberti bellum cum Electoribus ad Rhen. *Lehmann. lib. 7. c. 3.*

Anno 1301. Non levibus turbis concussa est Germania orto inter Albertum Imperatorem & Electores Rheni bello propter telonia, quæ Albertus Cæsar ad Imperium spectare dicebat. Dumque in illos vires suas effudisset, primùm Comitis Palatini ditionem ferro flammáque evertit: deinde in Moguntinam duxit atque ad pacis accipiendas leges compulit. Impares Alberti viribus cæteri duo Archi-Episcopi Trevirensis & Coloniensis, arma deponunt, veniam petunt, ad obsequium redeunt.

Insigne verò miraculum accidisse narrant Trithemius & Serarius, dum Moguntiacus principatus vastaretur. Cinxerat obsidione arctissimâ Albertus Bingium oppidum, atque in cœnobio S. Ruperti castra locaverat, captóque oppido, cùm exercitus Monasterium omnibus vacuum reliquisset, duo milites, si quid reliquum erat prædaturi, cùm omnia lustrâssent, in sacras ædes irruperunt: cumque ex ijs sceleratior imaginem Deiparæ coronâ redimitam, quæ aliquot lapillis fulgebat, conspexisset, sacrilegas manus injecit; sed quo supplicio divinitus percussus sit, ex Trithemio ipso accipiamus.

Miraculũ in oppido Bingen. *Raynaldus in Annal. Ecclesiast. ad ann. 1301. num. 18.*

Erat, inquit, eo tempore in ipsa Ecclesia ante introitum chori,

qui

qui fuit in inferioribus ſuper terram non elevatus, ut modò ad meridiem verſus clauſtrum, altare in honorem S. Catharinæ Virginis & Martyris conſecratum, ſuper quod in muro arenaliter excavata imago Beatiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ ſatìs decenter fuit depicta, coronam habens in capite, in qua erant quatuor lapides cryſtalli, numero & coronæ artificialiter infixi, & quintus in pectore ipſius imaginis. Cùm ergo fures illi nihil in Eccleſia reperiſſent, unus eorum, nè omnino vacuus abiret, altare prædictum aſcendit, & effodere de corona Virginis ipſos cryſtallos cœpit, cui alter increpando dixit: quid facis, ô miſer, deſine ſpoliare Matrem miſericordiæ, per quam, ſi nobis ſalus contingere debet, & non per aliam, gratiam poterimus invenire. Cujus increpationem ſacrilegus & impius ille contemnens, poſteaquam cryſtallos de corona effoderat quatuor, etiam quintum de pectore ſacræ Virginis effodere cœpit, mira res accidit: mox ut impius ille ſacrum pectus violare præſumpſit, imago ſudare per totum cœpit. Quo viſo ſacrilegus aliquantulum horruit: ſed obduratus in malitia, à cœpto crimine non ceſſavit. Evulſit ergo de ſacro pectore imaginis lapidem : quo avulſo, mox ſanguis lacte mixtus, de ipſo vulnere in magna copia ſecutus erupit. Quo viſo infelix ille totus inhorruit, proſiliénſque de altari pulverem in Eccleſia collegit, & vulnus imaginis, ne flueret ſanguis cum lacte obſtruere cœpit. Quanto autem obſtruere ſacræ Virginis pectus vulneratum ampliùs conabatur, tanto majore exuperatione lac cum ſanguine emanavit.

His viſis, impius ille de Eccleſia curſim exijt, & currens ad Nabum fluvium velut amens factus, præcipitans ſemetipſum ſubmerſit. At verò ſocius ejus confeſtim aufugit: qui tamen poſtea reverſus rei ordinem magiſtræ ac monialibus dicti cœnobij narravit: ſuperveniens autem Sacerdos quidam, qui eo die ibidem celebraverat, & videns miraculum tantæ novitatis, corporale ante imaginem explicuit, & lac cum ſanguine profluente collegit. Hunc verò ſanguinem cum lacte in vitreo vaſe conſervatum uſque in præſentem diem in ſæpedicto cœnobio vidimus, quem etiam manibus proprijs ad petitionem Abbatiſſæ de veteri vaſe confracto in vitrum novum tranſpoſuimus.

Publico autem confeſtim miraculo, *Rex Albertus*, qui adhuc fuit in oppido Bingen, cum cæteris principibus ad monaſterium S. Ruperti acceſſit; vidénſque tam horrendum facinus obſtupuit: & pro reſtauratione cœnobij in honorem B. Virginis multa

dona contulit. In memoriam verò hujus miraculi capella in honorem Dei Genitricis ibidem conſtructa eſt, in qua imago ſuper altare ſæpius interea renovata cernitur.

Notæ & Additamenta.

SUnt, qui in Alberto Cæſare ſtudium prolatandæ ditionis reprehendant, & quod bella non ſemper neceſſaria ſuſceperit; inter quæ cenſent illud, quod cum Electoribus ad Rhenum geſſit. Sed juſtam petitionem fuiſſe Cæſaris nemo ſanus ambigere debet.

Juvat de his Chriſtophorum Broverum in Annalibus Trevirenſibus ad annum 1275. audire: Ac primò quidem, inquit, etſi reſpublica hoc minùs labefactari poſſit, quò meliùs eſt conſtituta, tamen cùm ita comparatum ſit, ut non minùs, quàm aliæ res humanæ ſit mutabilis; profectò cùm diu & aliquot ſæcula hoc Imperium floruiſſet, ita tulit tandem eventus, ut poſt mortem Friderici ſecundi per duos de viginti annos quaſi gubernatore careret. Interea cùm velut populis Rector deeſſet, cui parerent uni, optimam illam, quâ fruebantur eorum majores, Reipublicæ formam propè jam amiſiſſe videbantur. Quam, etſi per *Rudolphum* Habſpurgicum recuperare ſtuduerunt, non ita tamen ut antè floruit. Nam, quo tempore Magiſtratus ac Principes præſidio Cæſaris erant nudati, nec haberent à quo defenderentur, opes ipſi ſuas quibuſcúnque rebus poſſent, firmârunt, & multa eorum, quæ Imperatorum antea fuerunt propria, ad ſe tranſtulerunt; ut cùm quiſque in civitate ac ditione ſua & regenda, & tuenda munus Imperatoris obiret, ipſe ejus nervis & quaſi viribus niteretur. Inde, cùm hæc uſurpâſſent aliquamdiu, nec ſinè vi ab eorum poſſeſſione dimoveri poſſent, maluit Rudolphus de jure ſuo decedere, quàm offendere voluntates eorum, quorum operâ & domi & militiæ utiliter uti poſſet: nec ſuſpicatus eſt unquam fore, ut qui ex ipſo quaſi patrimonio Imperij creviſſent, non obtemperaturi eſſent ſibi poſteriſque ſuis ultro, nec Rempublicam gratis animis adjuturi. Et, quanquam Princeps hic ſtatuebat ſe Imperium beneficijs multò faciliùs, quàm vi atque armis tenere poſſe, deceſſit tamen non parum de publicis Imperij ejuſdem facultatibus, atque emolumentis, &c. Unde fortè ambo excuſabiles ſunt quando, utì Poëta cecinit:

Interregn. à Wilhelmi morte uſque ad Rudoldhi I. Electionem.

Non eſt in medico, ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Et ſæpe:

Accidit in puncto quod non contingit in annis.

CAPUT

CAPUT VII.

Fundatio Monasterij Regij fontis S. Bernardi. Consecratio Ecclesiæ, seu Chori, quam hodiedum Viennæ Ordo Prædicatorum possidet, & beneficia in eandem à pietate Austriaca collata, ubi etiam sepulta est Imperatrix Claudia Felix.

Regij fontis elegans, & præclarum Monasterium Ordinis Cisterciensis, diœceseos Constantiensis, sub visitatione Salemitana, in Brentiana valle prope Brentij amnis & Pfefferij rivi pulcherrimos amplissimósque fontes, & in ipso Pfefferij insignis rivi cum Brentio amne coitu, duobus brevibus milliaribus supra Giengam Imperiale oppidum, uno verò ab Ala Imperiali Civitatula, tribus à Nordlingiaco, totidémque à Suevorum Gamundia (ubi medio itinere est Heuppachium Oppidulum, de quo per jocum dicitur, quòd lupus scultetum in medio illic foro devorârit) loco profectò & amœno, & maximè salubri, utque breviter omnia dicam, verè Paradisiaco situm, in spaciosa eadémque cultissima valle, ut Cisterciensia ferè Cœnobia omnia: Fundatio Cœnobij Regij fontis Ordin. Cisterc. ab Alberto Cæsare.

Semper enim valles, sylvestribus undíque cinctas
Arboribus, Divus Bernhardus amœnáque prata
Et fluvios: juga sed Benedictus amabat, & arces
Cœlo surgentes, è quarum vertice latè
Prospectus petitur. Secessum plebis uterque:
Sacrarum Scripturarum studiosus uterque,
Musarum & Phœbi: non quem colit Ethníca turbâ,
Sed quem Christicolæ natum de Virgine credunt.

Id, inquam, amœnissimum Monasterium, fundatum est in honorem B. Mariæ Virginis, & S. Bernhardi Abbatis Anno Domini 1302. ab Imperatore Romanorum, Alberto Austrio, Imperatoris Rudolphi Habspurgij filio & in Imperij Gubernatione successore: ejúsque laudatissima Conthorali, Domina Elisabetha Carinthiæ Ducissa. De hac fundatione extant varia hinc inde Cœnobij parietibus inscripta epigrammata, quæ huic descriptioni inserere libuit; ea vero talia sunt:

Prope summam aram.

Anno Millenno, tercenteno, adde secundum,
Inclytus Albertus, Romanæ gloria gentis,

Rex Duxque Auſtrali noto de ſanguine natus:
Eliſabeth Conjuxque, Ducum Carinthia proles,
Addunt ecce manus fortes, ut Regia Regis
Fundamenta locent Fontis, quo cætera manant.
Pro meritis tantis ſit parta quies ut eorum
Spiritui, ante Deum, lector, precibus rogitato.

Aliud hujus fundationis Elogium.

Regius hic fons eſt, quem primum ab origine viva
Auſtrius Albertus Romanorum optimus ille
Rex ſimul & Pater eduxit cum conjuge fida.
Cœnobium conjunxit idem prædivite cenſu,
Ditior ut ſuperas tandem conſcenderet oras.

Aliud ejuſdem Encomion.

Mille ſibi Titan confecerat aureus orbes,
Saturnus decies, Jupiter atque ſemel,
Cum Chriſtus natus pura de Virgine nobis
Prodijt in lucem reguláque arxque ſuis.
Laudibus ecce potens Albertus, prole Creatus
Pannonia, magni Rex pius Imperij:
Et ſata ſtirpe Ducum Eliſabeth, juſtiſſima Conjux,
Evæ Carinthiaca gente creata fuit,
Fundamenta locant Regis de nomine dicta:
Regia Crene aderat Cœnobiúmque ſimul.
Hinc domus illa Dei Reginæ dicitur almæ
Bernhardóque pio, Numinibúſque pijs.

Id eſt, anno Domini 1302. Sol enim ſecundùm Aſtronomorum doctrinam in unius anni, Saturnus in 30. annorum, Jupiter in duorum ſpatio ſuum curſum abſolvit.

De hac ipſa fundatione Caſparus Bruſchius tale luſit epigramma, cui per literas numerum Romanum deſignantes annus fundationis inſertus eſt.

RegIVs hIC fons eſt, ALberto à Rege potente
A DVCe ConſtrVCtVs, Pannona terra, tVo,
IpsIVs & generoſa & honeſta ConIVge ELyſa:
ÆternI qVæ ſVnt Corpora honeſta poLI.

Eſt in hujus monaſterij vicinia, & rectè è regione ejus ultra Brentium fluviolum, ſaxum quoddam excelſum, undiquáque arboribus cinctum, & ſingulari quaſi religione conſpicuum: in eo dicitur fuiſſe antiquitus Caſtrum Heerwardtſtein, quod à Comitibus Helffenſteinenſibus cum circumjacente territorio emerat pro conſtruenda domo Dei Albertus, Dux Auſtriæ, & Romanorum Rex, primarius hujus loci fundator. Hucuſque Bruſchius de origine Monaſteriorum in Germania.

Ad

Ad eundem annum pertinet Alberti I. Romanorum Regis affectus erga Religionem S. Dominici collatus, quorum Ecclesiæ choro Viennæ consecrationem impertitus est, ita petente Alberto, Nicolaus Cardinalis Ostiensis, qui eo tempore ad concordandos inter se Principum Germanorum animos tanquam summi Pontificis Legati à latere munus peregerat. Quod in octava S. Martini Episcopi & Confessoris cum maxima solennitate & concursu hominum maximo factum lego in Appendice Chronici Zwethallensis. Juvat hìc Ecclesiæ hujus primordia recensere. Erecta est hæc ædes sacra à Leopoldo V. Duce Austriæ pro Templarijs, à quibus tandem Anno Domini 1225. una cum domicilio à Duce, qui eo tempore Austriam possedit, ad Patres Dominicanos devoluta est, hodiéque uti olim hæc Ecclesia nominatur *Maria Rotunda*. Cùm autem arctissima obsidione Vienna à Solymanno Turcarum Imperatore Anno 1529. cingeretur, & machinis bellicis multum quateretur, tota prope collapsa & ruinata est: sed solutâ obsidione benefica manu Ferdinandi I. Regis Ungariæ & Bohemiæ, Archiducis Austriæ brevì iterum restaurationem est experta. Eandem Ecclesiam Ferdinandus II. Cæsar contra rebelles hæreticos Anno 1620. defendit. Longiùs in eandem Ecclesiam se extendit favor Ferdinandi III. Hungariæ & Bohemiæ Regis, qui sub initium conjugij initi cum Maria Infante Hispaniæ vetere mutatâ in novam, quam hodie videmus, transmutavit. Asserta probat nummus aureus, qui fundamentis hujus Ecclesiæ est insertus, cujus specimen in plumbo incisos sequentes characteres refert:

Consecratio Ecclesiæ PP. Dominican. Viennæ.

In eam Austriacorũ Principũ beneficia.

D. O. M. A.
Leopoldus VIII. D. A.
Prædic. Ordini Sacro
Templum & Cænobium
Amplissimè ab antiquo constructa
Dedit A. M. CC. XXV.
Ferdinandus I. in Solymannica obsidione
destructa reparavit
A. M. D. XXX.
Ferdin. II. victor gloriof. contra rebell.
reparata defendit A. M. DC. XX.
Ac restituendo pacem & Religionem conservavit
A. M. DC. XXI.
Demum Ferdinandus III. conjugio Hispanico

Auſtriac. Deo Divæque Deiparæ Roſarij
Mariæ Templum novum vovit, ac pro felici
Regimine & omine me poſuit
Anno Reg. Boh. IV. Ung. VI.
Chriſti M. DC. XXXI.

Porrò in una facie nummus B.M.V. effigiem ac templi refert; Jeſulus autem è gremio Matris Ferdinando II. ac III. Coronam, Sceptrum & gladium offert; ab altera Ferdinandus I. Cæſar & Leopoldus VIII. genibus innixi viſuntur cum inſcriptione:

Durabit talibus fulta præſidijs.

In circumferentia nummi legitur: *Per nos Reges regnant, & Conditores legum piè juſta decernunt, per nos Principes Auſtriæ imperant.*

Amor & Sepultura Imperat. Claudiæ felic.

Mirum in modum ferebatur in hunc locum, & in ſacrum Roſarium ac Prædicatorum Ordinem Auguſtiſſima Claudia Felix ſecunda Auguſtiſſimi Leopoldi Cæſaris conjux, quæ moriens & veſtiri S. Dominici habitu & in hac Eccleſia ante ejus aram tumulari petijt, in cujus ſarcophago hanc inſcriptionem eſt videre:

Inſcriptio Sarcophagi.

Hoc in Sarcophago requieſcit
Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix
Claudia Felix
Leopoldi Cæſaris altera Conjux
Ferdinandi Caroli Archi-Ducis Tyrolenſis,
Et Annæ Medicæ filia,
Mater duarum Sereniſſimarum Filiarum,
Quarum prima Anna Maria Matrem præivit in cælos,
Altera Maria Joſepha ſequetur,
Quartâ Paſchatis feriâ
Tranſijt ex mortali ad immortalem vitam
Anno ætatis XXIII.
Cæſarei Conjugij tertio,
Nati Salvatoris ſupra milleſimum ſexcenteſimum
ſeptuageſimo ſextò,
Vivat & quieſcat æternùm in Deo
Terris deſideratiſſima Princeps:
Quia Auſtriaca erat
Pia, Prudens, Amabilis, Liberalis.

Epitaph.

Epitaphium Claudiæ Felicis Auguſtiſſimæ Romanorum Imperatricis marmori inſculptum hìc exhibeo:

Siſte

Siste gradum viator
Et uno in tumulo
Sceptra & Coronas, gratias & amores,
Orbis spes & delicias
Clausas intuere & lacrymare.
Hìc jacet
CLAUDIA FELIX
Filia Ferdinandi Caroli & Annæ Medicæ
Comes & Archi-Dux Tyrolis & Austriæ,
Conjunx
Leopoldi Cæsaris secundis nuptijs,
Mater
Archi-Ducum & Gratiarum
Annæ Mariæ, & Mariæ Josephæ,
Imperatrix
Fastigio supremæ dignitatis altior
Eminentiâ virtutis.
Plura si quæras,
Scito Principem fuisse Austriacam,
Hoc est,
Piam, Prudentem, Liberalem & Amabilem.
Annus 1653. animam ei, lucem dedit,
Annus 1676. eandem eripuit.

Nata in Majo die 30. in vere ætatis terræ defloruit, cælo refloruit. Aprilis octava dies illi terram in tumulum aperuit, quartâ Paschatis feriâ transitum ad terram promissionis, occidit sub auroram sidus Augustum, solem tamen non fugit, sed secutum est. Quem cùm in Missa Sacerdotali elevatum manu ultimum aspexisset, oculos mundo clausit solùm posthac Deum visuros. Ad aram & pedes D. Dominici, quem vivens semper gestabat in corde, post mortem jacere voluit. Hìc ergo quod mortale erat deposuit, quod immortale, cælo reddidit. Hoc quoque depositum post terminum mortalitatis resumptura.

Prope ipsos cancellos in marmore rubro inscriptionem talem reperi:

Monumentum pijssimæ vitæ functæ Claudiæ Felicis Augustissimæ Romanorum Imperatricis, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Reginæ, Archi-Ducissæ Austriæ, natæ Oeniponti XXX. Maij M. DC. LIII. ab Augustissimo Romanorum Imperatore Leopoldo I. in Conjugem acceptæ Græcij XV. Octobris, M. DC. LXXVI. Nova inscriptio.

Dominicano indutæ habitu, & in hoc singulari tumulo sepultæ XI. Aprilis ejusdem anni. Quibus elegantissimum ac naturale chronographicum adjunxit ac circa Aquilam Imperialem in alio marmore insculpi fecit Augustissimus conjux:

hIC IaCet CLaVDIa LeopoLDI Cæsarls ConIVnX.

Notæ & additamenta.

MAgnæ curæ fuit plerisque Regibus, Imperatoribus, ac Pontificibus suorum corporum & exuviarum inhumatio, quò optantes in sacris, quibus in vita affecti erant, locis sepelirentur, ac ita vel post mortem monumenta relinquerent, quibus in vita potissimùm sunt delectati. Quod ipsum Rudolphus I. Cæsar secutus ex eo affectu, quo se magna parte vitæ Tullnensi Monasterio addixit, etiam post mortem huic nobilissimam humani corporis partem cor nimirum donavit. Cujus quidem mentionem nos jam Anno 1291. meminisse oportuisset, sed dum mihi in nullo authore legere id obvenisset, hanc ipsam Cordis donationem Tullnæ coràm Anno 1690. existens primùm didici, neque *etiam* eruditum Lectorem hac notitia carere volui. Præterea didici non solùm templum hujus sanctæ Crucis erexisse Rudolphum, verùm etiam simul Virgini Deiparæ ex eadem Religionis ac Pietatis contestatione hanc suscitasse. Et hoc fortè motivo fuit utrìque eandem ædem sacram dedicare ex pietate, dum in Martis acie, uti ad annum 1278. memoravimus, Christi è Cruce pendentis effigies præferreretur, & à pugnaturis antiphona *Salve Regina* caneretur. Aliud etiam mihi ex hoc itineris emenso spatio accidit non injucundè videre, ac notitiâ haurire, quinam præter alibi enumeratos, & ad Domum Austriacam spectantes eodem in loco, quo Rudolphi Cor quiescit sint tumulati, nimirum septem proles Alberti I. Cæsaris; Friderici Pulchri tres proles. Præterea Rudolphi Ducis Austriæ, qui horum frater fuit, binæ proles. Quo autem nomine hi omnes sunt compellati, quod mihi summo dolori est, rescire nondum obtigit: nam in solo membraneo folio mentio sola fit ibidem tumulatorum quoad numerum; nomina autem omnium, ubi etiam dies obitûs filiæ Rudolphi Euphemiæ, habitum S. Dominici amplexæ, notatur 9. Aprilis, anno autem nuspiam expresso, Silentio suppressa sunt.

CAPUT VIII.

Albertus à Pontifice Bonifacio VIII. confirmatur. Ejuſdem Pontificis favor in Cæſarem & conjugem. Zelus Cæſaris in tuenda Chriſtianitate, & amor in Cœnobium Zwefaltenſe. Mors Mechtildis filiæ Rudolphi I. Cæſaris.

ANno 1303. Bonifacius VIII. Pontifex confirmat Alberto Germanicum Sceptrum (quàmvis antea ipſum propter Adolphi Regis cædem judicio poſtulâſſet) ſive illi coronam ſinè maxima populorum ſtrage, & Chriſtiani orbis periculo eripi non poſſe prævideret, ſive contra Francorum Regis ſibi adverſantis potentiam fortiſſimum propugnatorem comparare meditaretur. Rem hoc anno perfectam tradit Card. Baronius, quæ ſuperiori inchoari potuit; conſentítque Annalium Dominicanorum Scriptor: *Venerunt*, inquit, *nuntij Alberti Regis Romanorum* nuntiantes ei, quòd dominus Papa prædicâſſet in manifeſto, quòd eſſet verus Rex Romanorum, & dilectus filius ejus. Ad quæ confirmanda illuſtrandáque adducendæ viſæ ſunt literæ Pontificiæ, quibus Regium ipſius ſolium firmavit.

Albertus confirmatur à Pontifice Rex Romanorum.

Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad ann. 1303. n. 1. &c.

Alberto Regi Romanorum illuſtri ad perpetuam rei memoriam.

PAtris æterni Filius Dominus Jeſus Chriſtus, cujus licèt immeriti vices in terris gerimus, miſericordiæ benignitatem exercens, ut in ejus beneplacita feramus jugum Apoſtolicæ ſervitutis, viam nos humilitatis edocuit, noſque ſuorum doctrinis mandatorum inſtruxit, ut ipſius veſtigia, qui patiens & humilis eſt atque miſericors, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Nos itaque ipſius exemplo dirigi cupientes, quos ad nos fiducia devota reducit, libenter brachijs paternæ benignitatis amplectimus, illíſque ſinum manſuetudinis & miſericordiæ non negamus, dum eis præſertim devotionis & humilitatis inſtantia ſuffragatur. Profectò dum fidem & devotionem divæ memoriæ Rudolphi Regis Romanorum patris tui, quibus ipſe, dum viveret, erga Sedem Apoſtolicam ſtuduit cum ſinceritate vigere, ad memoriam noſtræ conſiderationis adducimus; dum clara & provida magnificentiæ

Pontificiæ de Alberto in Regem approbato literæ.

Rudolphi Patris Alberti in Romanā Eccleſiam ſtudia perpendit.

tuæ ſtudia, per quæ diebus iſtis gratificari Deo, & ipſi Sedi cum ſummæ devotionis & humilitatis promptitudine decreviſti, diligentiùs intuemur; ſuggerit nobis horum fervens inſtantia, ut erga TE manſuetudinem & miſericordiam exercentes ſtatui tuo ſalubriter ad laudem DIvini nominis, honorem & exaltationem ſanctæ Matris Eccleſiæ, Sacriq; Imperij, ac tranquillitatem & pacem fidelium, auctore Domino, conſulamus.

Ut Albertus à Principibus Electoribus Rex fuerit deſignatus.

Dudum ſiquidem claræ memoriæ Adolpho Rege Romanorum de hac luce ſubtracto, & per ejus obitum Romanorum regno vacante, Principes eccleſiaſtici & ſæculares, ad quos, translato olim Romanorum Imperio de Græcis per ſedem Apoſtolicam in perſona magnifici Caroli in Germanos, futuri Romanorum Regis, in Imperatorem poſtmodum promovendi, electio pertinet; TE in Romanorum Regem unanimiter & concorditer elegerint: tuque hujuſmodi electioni de TE factæ conſentiens, fuiſti more Romanorum in Regem poſtmodum coronatus: & deinde ferè per quinquennium exercuiſti adminiſtrationem REgiam, ſicut prædeceſſores tui legitimè ac concorditer in Romanorum Reges electi exercere ſolent hactenus, poſtquam apud dictum locum Aquiſgrani, ubi hoc fieri conſuevit, coronati fuerunt.

Aquiſgrani Regiū inſigne acceperit.

Poſtulatus judicio ob cæſum Adolphum miſericordiam implorârit.

Verùm cum medio tempore nonnulla contra TE ſuper ijs ad noſtram audientiam deducta fuiſſent, certis à nobis adversùs TE proceſſibus propterea ſubſecutis, tu devoti & prudentis more filij de ſolita patris benignitate confidens, ſuper ijs non judicium ſed miſericordiam humiliter implorâſti; nihilominus offerens te paratum tuam, prout poſſes, ſuper eis oſtenſurus innocentiam, & aliàs noſtra & dictæ Sedis beneplacita & mandata facturum. Præſtitiſti quoque nobis & eidem Sedi fidelitatis & obedientiæ juramentum, & nonnulla etiam alia promiſiſti, & juramento firmaſti, quæ tam à prædicto patre tuo, quàm à prædeceſſoribus ejus Romanorum Regibus jurata promiſſa, facta, recognita, & conceſſa fuerunt, ſicut hæc & alia in duabus patentibus literis tuo ſigillo ſignatis, quæ in ipſius archivio conſervantur eccleſiæ, pleniùs continentur. Cùmque vicem geramus illius, qui ſedens ut Rex, circumdante exercitu, eſt mœrentium conſolator, & omnipotentiam ſuam parcendo & miſerando maximè manifeſtat; devotione ac humilitate tuâ gratanter inſpectâ, viam manſuetudinis, miſericordiæ, ac dulcedinis erga TE potiùs elegimus, quàm rigoris, ut apud nos & Eccleſiam memoratam obedientia humilis tibi proſit; ſicut obeſſe debent contemptoribus inobedientia, & contemptus

Officia ſua addixerit Eccleſiæ.

Fidem ad illius Imperia obſtrinxerit.

Conceſſa à Rudolpho & veteribus Imperat. corroborârit.

temptus (interjectísque nonnullis, quibus conqueritur multa à Gallicæ aulæ politicis in se temerè jactata, subdit)

Ad gloriam igitur omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & beatæ ac gloriosæ sempérque Virginis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli; & ad honorem & exaltationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Imperij prædictorum, & prosperum statum mundi; de fratrum nostrorum consilio, præsente quoque prælatorum & aliorum copiosa multitudine curialium, auctoritate Apostolica, & de Apostolicæ plenitudine potestatis, Te in specialem filium nostrum recipimus & Ecclesiæ memoratæ, ac in Regem Romanorum assumimus, in Imperatorem auctore Domino, promovendum; volentes & statuentes, ut de cætero talis filius Rexque Romanorum existas, in Imperatorem, ut præmittitur, promovendus; & quòd pro tali ab alijs habearis, tibíque sicut Romanorum Regi electo legitimè, & Aquisgrani coronato, obediri debere ab omnibus, & singulis Sacro Romano subjectis Imperio, sicut pareri solet & debet prædecessoribus tuis Romanorum Regibus, legitimè intrantibus, & à præfata Sede hactenus approbatis: supplentes omnem defectum, si quis aut ratione formæ, aut ratione tuæ vel tuorum electorum personarum, seu ex quavis alia ratione vel causa, sive quocunque modo in hujusmodi tua electione, coronatione, ac administratione fuisse noscatur. Omnia insuper & singula, per te vel alios de mandato tuo facta & habita in administratione prædicta, quæ aliàs justa & licita extitissent, ita valere decernimus & tenere, sicut si administratio ipsa tibi competijsse legitimè nosceretur.

Quâ verborũ formâ Rex Romanorum confirmatur.

Excellentiam itaque Regiam monemus, rogamus, & hortamur attentè, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatenus ad ipsum Deum & præfatam Ecclesiam Matrem tuam mentem & oculos tuos dirigens reverenter; ac benignitatem nostram dictæque matris, quâ præventus agnosceris, devota meditatione considerans, illámque conscribens in sacrario tui pectoris, inibi sub recognitione debita perpetuò permansuram; sicut Christianissimus Catholicúsque Princeps fide præclarus, claritate fervens, devotione sincerus, & judicio rectus, eandem Ecclesiam & libertatem Ecclesiasticam ubilibet summo studio, totísque viribus revereri & colere studeas ac tueri, & grata & grandia ipsi Ecclesiæ pro gratis & grandibus impensis tibi muneribus recompenses: populos quoque in æquitate judices & dirigas in terris tibi subiectis gentium nationes ad bonum ac aliàs commissa tibi regni & Impe

Hortatur Albertum ad explicanda in Ecclesia grati animi officia.

Gerendũ præclarè Imperiũ.

Imperij gubernacula congruis temporibus sic laudabiliter & utiliter exequaris, quod æternæ vitæ præmium, illius tibi dexterâ suffragante, à cujus misericordia omne datum optimum & omne perfectum donum descendit, exinde consequi merearis: & præfatæ Ecclesiæ te gratum & utilem filium repræsentes, ac de bono semper in melius in ejus dilectione concrescas, tuíque fama nominis latiùs in gentibus extollatur. Nulli ergo, &c. nostræ receptionis, statuti, suppletionis & constitutionis, &c. Dat. Laterani II. Kal. Maij anno 9.

Romani Imperij populi Alberto obsequi jussi.

Scriptis eadem verborum formâ literis ad clientes Romani Imperij, Alberto ut justo Regi Romanorum, ad imperialem apicem evehendo, obsequi jussit. Tum Principes Electores Coloniensem, Trevirensem, Moguntinum Archi-Episcopos; Wenceslaum Regem Boëmiæ, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgensem, Comitem Palatinum Rheni, eundémque Bavariæ Ducem est adhortatus, ut in agnoscendo Rege Romanorum Alberto Pontificijs voluntatibus se accomodarent: ea enim in re summam ab Apostolica Sede gratiam inituros; ut verò Alberti armis & potentia adversus Gallorum Regem adversarium suum uteretur, omnia fœdera, quæ ille antea cum Regibus ac Principibus fecerat, rescidit: tum eundem monuit, ut illata antea Ecclesiasticis damna sarciret, eorúmque jura pristinæ amplitudini restitueret: Archi-Episcopos verò Moguntinum, Trevirensem, & Coloniensem ex æquo pacisci jussit. Cæterùm Albertum Electoribus Archi-Episcopis damna non resarcivisse, quàmvis ea omnia, quæ inflixerat à tempore, quo bellum in Adolphum Regem gesserat, ex Pontificis voluntate reparaturum esset pollicitus; sed studio pacis & concordiæ communi consensu à læsis partibus condonata, remissásque injurias, ex literis III. Non. junij datis colligitur, quibus Wertingesi & vallis uterinæ Abbatibus Cisterciensibus provinciam dedit, ut si sponte Alberto à passis injuriam venia data esset, ipsum ac sequaces censurarum religione solverent.

Electores Principes ad id solicitati.

Illum porrò Pontifici officia, à Regibus Romanorum præstanda, exhibuisse observat Cardinalis Baronius in M. S. notis ad hunc annum: *Albertus Imperator per suas literas datas Norimbergæ sub hoc anno fecit homagium Papæ, & juramentum fidelitatis, confirmavítque omnia privilegia & donationes factas de terris per prædecessores; fuítque ab ipso Pontifice confirmatus in Imperatorem, ut habetur libro privilegiorum Romanæ Ecclesiæ.* Producendæ eâ de re ex eodem Vaticano codice visæ sunt Alberti Regis Romanorum lite-

ræ, quibus Romanum Imperium à Sede Apoſtolica traductum in Germanos agnoſcit, atque ab ea Romanorum Reges & Imperatores ad coercendos improbos inſtructos Auctoritate profitetur, ſeque ad Romanæ Eccleſiæ dignitatem adversùs quoſcúnque hoſtes armis tuendam obſtringit; eæque in molis Adrianæ archivo aſſervantur, atque à Platina Sixti IV. juſſu inter inſignia monumenta relatæ ſunt.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino ſuo, Domino Bonifacio Divinâ Providentiâ Sacro-ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Albertus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, devota pedum oſcula Beatorum.

Profiteor Sanctiſſime Pater & Domine, me bonorum omnium largitori, ac vobis, & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ fore pro innumeris miſericordijs, & immenſis beneficijs obligatum. Profiteor, quod deſiderij mei recepi deſideratum effectum, & diffiteri non audeo, quod in eo pluſquam deſiderare ſciverim, adinveni, mirans ſic in præteritis eſſe proviſum, quod de his, quæ circa talia in futuro peti poterunt, ſpes miſerationis habetur. Aſſurgens itaque Deo, & Sanctitati veſtræ, ac eidem Eccleſiæ Matri meæ ad gratiarum devotiſſimas, & humillimas actiones totum me devoveo, totúmque me offero, & expono ad gratificationis debitum per omnia, in quantum humanæ imbecillitatis conditio patitur, exolvendum. Ad hæc licèt pridie antequam circa negotium electionis, de me ad Romanum Regnum & Imperium celebratæ, ac alia quæ in hac parte incumbebant, eſſet per ſanctitatis veſtræ beneficentiam mei ſtatûs eſſentia ſolidata, fecerim infraſcripta, & ſuper eis meas patentes literas Beatitudini veſtræ duxerim deſtinandas, ac in ſolidatione hujuſmodi procuratores mei, ad hoc ſpecialiter conſtituti, ea in veſtra præſentia innovaverint; ecce nunc tamen, ut gratus reddar, & ipſa in majori firmitate procedant, illa direxi præſentibus innovanda.

Alber. Regis literæ ad Pontif.

Recognoſcens igitur, quòd Romanum Imperium per Sedem Apoſtolicam de Græcis translatum eſt in perſona magnifici Caroli in Germanos, & quòd jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem poſtmodum promovendum, certis Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus eſt ab eadem Sede conceſſum, à qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt pro tempore, recipiunt temporalis gladij poteſtatem ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; pia devotione & ſincero corde profiteor, quòd Romanorum Reges, in Imperatores poſtmodum promo-

Agnoſcit ab Apoſtolica Sede translatū à Græcis ad Germanos Imperium.

vendi, per Sedem eandem ad hoc potissime ac specialiter assumuntur, ut sint sanctæ Romanæ Ecclesiæ advocati, catholicæ fidei ac ejusdem Ecclesiæ præcipui defensores. Quapropter & ego & alij Romanorum Reges & Imperatores, qui erunt pro tempore, totis viribus ab illis abstinere debemus, quæ ipsi Ecclesiæ possunt esse nociva, & per quæ inter vos Dominum meum, qui nunc Apostolicæ sedi feliciter præestis, & successores vestros, qui canonicè intrabunt, & me ac Romanorum Reges & Imperatores, qui erunt in antea, possent scandala suscitari, & materia dissensionis oriri: & debemus illa devotis & ferventibus affectibus promovere, ex quibus Christianitati tranquillitas, pax & quies proveniat, dissidia & mala tollantur, per quæ paterna sinceritas & vera dilectio, quas vos & Romanam Ecclesiam supradictam ad me habituros fiduciâ firmâ confido, minui vel offuscari valerent.

Præcipuum Imperat. munus Ecclesiam tueri.

Juro etiam, tactis sacrosanctis Evangelijs, quòd ero fidelis & obediens beato Petro, & vobis, vestrísque successoribus canonicè intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio, consensu, vel facto, ut vitam perdatis aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium, quod vos vel ipsi mihi credituri estis per vos, aut per nuntios vestros, sive per literas, ad vestrum vel eorum damnum nemini pandam me sciente: & si scivero fieri vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit in vestrum vel ipsorum damnum, illud pro posse impediam; & si impedire non possem, illud vobis & eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, ac recuperata manutenendum contra omnes homines, divino fultus auxilio, secundùm meum scire & posse, & recognosco & fateor omnia & singula, quæ à divæ memoriæ Rudolpho patre meo Romanorum Rege, & etiam à quibuscúnque prædecessoribus ejus Romanorum Regibus vel Imperatoribus sive super fidelitatis juramento, sive super quibuscúnque alijs recognita, confessata, promissa, facta, jurata, confirmata, innovata, remissa seu de novo donata fuerunt, simul vel diversis temporibus; & ipsa ratifico, innovo, & confirmo, & ea juro, & promitto me inviolabiliter servaturum; & ex nunc similia in præsentibus literis meis patentibus meo magno signatis sigillo, remitto, facio, & de novo concedo. Omnia etiam & singula privilegia, liberationes, donationes, concessiones, recognitiones, confessiones, traditiones, remissiones, & gratias ab eisdem claræ memoriæ patre meo, seu etiam à Regibus vel Imperatoribus,

Eidē Pontifici obstringit.

VeteraRomanæ Ecclesiæ jura illi asserit.

bus prædecessoribus ejus, aut ipsorum aliquo vel aliquibus confessata, innovata, recognita, seu confirmata facta sunt, seu concessa, aut remissa, vel donata de novo, de quibuscunque juribus, seu rebus, donis, aut libertatibus, vel alijs quibuscunque ratifico, approbo, confirmo, & facio, & de novo concedo, prout magis ipsi Sedi poterunt expedire.

Statuo insuper, facio, & concedo quæcunque per claræ memoriæ Ludovicum Imperatorem Augustum, tempore bonæ memoriæ Paschalis Papæ, & à claræ memoriæ Othone Rege, tempore felicis recordationis Joannis Papæ, statuta vel jurata, recognita, facta, seu concessa fuerunt, sicut in capitulis positis in LXIII. dist. continentur in corpore decretorum, quorum unum incipit: *Ego Ludovicus Imperator*; & aliud incipit: *Tibi Domino Joanni Papæ*; & omnia, & singula contenta in unoquoque ipsorum capitulorum, ipsáque promitto me inviolabiliter servaturum; devotionem quoque & reverentiam filialem vobis Domino meo summo Pontifici, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ reverenter exhibeo & devotè: & ut devotionem & zelum, quos ad vos gero, & exaltationem ipsius Romanæ Ecclesiæ, efficaciter per operis executionem ostendam, paratum me offero Vos, & Apostolicæ Sedis primatum ac jura, & libertates vestras, ac dictæ Sedis contra omnem hominem defendere & tueri, & esse contra quoscunque hostes & rebelles, adversarios seu inimicos Sedis ejusdem, cujuscunque fuerint præeminentiæ, ordinis, dignitatis, & statûs, etiamsi Regali vel Imperiali præfulgeant dignitate; nec cum talibus, vel aliquo eorum, vel aliquibus amicitiæ, conjurationis, confœderationis, aut societatis, vel ligaminis fœdus ineam; nec servabo, si quod forsan inivi cum aliquo vel aliquibus, qui nunc sunt, vel quod absit, erunt in hostilitate, rebellione, adversitate, seu inimicitia vestra, & Romanæ Ecclesiæ memoratæ; quin potiùs ad mandatum vestrum, successorúmque vestrorum, vel Ecclesiæ supradictæ talibus guerram commovebo, & pro posse impugnabo eosdem. Prælatos, Ecclesias, Monasteria, Capitula, Conventus, personas Ecclesiasticas, Regulares & Seculares, scienter injustè aut injuriosè non offendam; sed ipsas in suis juribus, bonis, libertatibus, & immunitatibus, prout & quantum in me fuerit, conservabo.

Obsequia Regia devovet.

Immunitati Ordinis Ecclesiast. consultum spondet.

Contra libertates, & bona, & jura sæpè dictæ Romanæ Ecclesiæ non veniam; Sed ea defendam, & ad defendendum juvabo, & de nullo, quod ad ipsam Sedem pertinet vel pertinebit, me contra ejus beneplacitum intromittam: & si, divino fultus auxilio,

lio velim intrare Italiam, meum adventum ſeu introitum vobis Domino meo ſummo Pontifici, ac eidem Sedi antè ſignificabo; & à vobis & ab ea requiram humiliter & fideliter, ut mihi ſuper meo introitu & adventu vos & Sedes ipſa dignemini paterni favoris auxilium impertiri. Item jura Romani Regni & Imperij defendere, & recuperare ſtudebo ſecundùm ſcire meum & poſſe, prout divino fultus adjutorio fuero, inſuper omnia & ſingula ſupradicta & infraſcripta juro me bonâ fide & inviolabiliter ſervaturum, & contrà non venturum ſcienter. Ad hæc promitto, & juro tactis ſacro ſanctis Evangelijs, quod ad quemcúnque gradum, & ſtatum cujuſcúnque eminentiæ ſeu dignitatis, aut ſolium quantumcúnque ſublime, quocúnque nomine cenſeatur, aſcendero, ſeu promotus vel aſſumptus fuero, ſupradicta omnia, & ſingula confirmabo, innovabo, & etiam de novo faciam & concedam, verbis competenter mutatis; ac vobis Domino meo Papæ Bonifacio, veſtríſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, & Apoſtolicæ Sedi ſuper his patentes literas meo magno ſigillo ſignatas, & etiam bulla aurea, cum illa me uti contigerit, faciam aſſignari. *In quorum omnium* teſtimonium evidens, atque robur ſigillum meum Regium præſentibus eſt appenſum. Dat. apud Nüremberg anno Domini M.CCC.III. indictione prima, XVI. Kal. Auguſti, Regni verò mei anno V.

Jura Romani Imperij recuperaturū.

Suſtulit hic annus Bonifacium octavum Pontificem, cui ſucceſſit Benedictus XI. qui initio ſui Pontificatûs varijs Regibus Apoſtolica beneficia impertijt, Albertum Romanorum Regem & Eliſabetham Conjugem ea donavit prærogativa, ut Divina in locis interdicto Eccleſiaſtico ſubjectis peragenda coram ipſis curarent. Ita citatus Raynaldus.

Zelus Cæſaris intuenda Chriſtianitate. *Annal. Domin. Colm. Chronic. Evang. hoc ann.*

Intuliſſe hoc anno bellum Regi Boëmiæ Albertum tradunt Auctores, in eaque expeditione ſecum Regem Ungariæ, nimirum Carolum egregijs Ungarorum copijs, ac viginti millibus paganorum ſuccinctum, duxiſſe: paganos vero, qui uti moris eſt, quacunque excurrêre, immaniſſimas clades inflixiſſe, ac puerulos Chriſtianos correptos pedibus, manibúſque amputatis, ſale conditos devorâſſe, Albertúmque amplius ſcelus non ferentem, immiſſo in eos Germanico exercitu, ex ijs decem millia trucidâſſe, reliquos diſſipâſſe, nullóque alio edito facinore in Auſtriam ſe recepiſſe. Odor. Raynald. ad A. C. 1303. n. 15.

Hoc pariter anno Albertus I. Cæſar ſuſcepit tutelam & advocatiam Monaſterij Zwifaltenſis Ordinis Divi Benedicti propè

propè Ulmam, & primum loci advocatum constituit Fridericum filium, postea Imperatorem, quem in eodem officio secuti sunt postea Austriaci Principes (ùt Monasterij diplomata testantur) Sigismundus, Maximilianus, & Imperatoris Caroli V. frater Ferdinandus, qui omnes (verba sunt Bruschij) diligenti ac clementi tuitione id tutati sunt semper, neque quicquam novi unquam postulârunt, pro Advocatiæ administratione, quàm quod veteribus ac primis, juxta primam conventionem, datum est. Ita Bruschius, apud quem plura de hoc Cœnobio & Austriacis Principibus in favorem Cœnobij legere est. Hoc quoque anno Cometa triste sydus autumno per mensem comas explicuit, clades portendens mortalibus, quarum pars fuit Mechtildis Cæsaris Alberti soror hoc anno defuncta, Princeps magnarum virtutum, cujus fœcunditati suam debet originem quidquid Boico-Palatinæ stirpis hodie superest. In Ludovici Severi mariti conditorio Fürstenfeldæ est sepulta, ejus liberalitate Diessensis Cœnobij opes cum pietate collapsæ ad frugem redierunt. Hæc citatus aliàs Adelzreiter in historia Boicæ gentis.

Brusch. de Orig. Monasteriorum in Germania. f. 661.

Mors Mechtild. Filiæ Rudolphi I. Cæsaris.

Notæ & additamenta.

OCcasione mortis Mechtildis addendum occurrit, quòd extinctâ familiâ Palatinâ Electorali in Carolo II. Anno 1685. dignitas Electoralis ad Inclytam domum Palatino-Neoburgicam devoluta sit, quæ non immeritò inter felicissimas domos à posteris censebitur, dum fœcunditate sua tot ac tantis Regnis ac dignitatibus, jam propè collabescentibus suppetias tulerit, ut ex schemate patet, quo originem Neoburgicæ Domûs ex Habspurgica Domo demonstravimus.

CAPUT IX.

Mors Wenceslai Bohemiæ Regis, generi Rudolphi I. Cæsaris. Ejusdem Regis ac Reginæ insignis Pietas. Alberti Cæsaris Affinis sui in sacris memoria, & confirmatio Privilegiorum Regi Bohemiæ concessorum.

ANno Christi 1305. Wenceslaum Bohemiæ Regem generum Rudolphi I. Cæsaris, aureum & optimum Principem,

Wenceslaus Rex optimus moritur.

Regum gemmam, omnis boni Principatûs exemplar ferrea mors, quæ ſceptra ligonibus æquat, é ſolio detractum injicit in foſſam.

Quàm magnificus in ſacris, Pius & ſanctus Princeps fuerit, cùm alia multa, tum præcipuè Cœnobium Aulæ Regiæ, Regiâ liberalitate ampliſſimè ab eo fundatum ſatis oſtendit.

Joannes Gans Societatis Jeſu, Ferdinandi III. Cæſaris Confeſſarius in Gynæcæo Auſtriaco, ſeu in vitis Sereniſſimarum de Domo Auſtriaca Heroinarum, quæ excellentiore aliqua virtutis laude floruerunt, ſcribit Wenceslaum Regem ex inſtinctu Judithæ conjugis tam laudabilem ſanctámque vitam amplexum. Non diffitetur id ipſum domeſticus Hiſtoricus ex eadem Societate Georgius Crugerius, qui in ſacris Memorijs Regni Bohemiæ ad diem 16. Julij, poſtquam in titulo ſcripſiſſet: *Mors Rudolphi hoc nomine Primi ex Auſtriacis Cæſaris, de Bohemis in Sacris, per ſe, perque ſuos hactenus emeritiſſimi*, ſubjunxiſsétque numerum ex Domo Auſtriaca Imperatorum, Archi-Ducum, Hiſpaniæ Regum, inquit: Spectat porrò hæc glorioſiſſima ſeries, ſeu poſteritas ad noſtras, & quidem ſacerrimas memorias, magnâ parte ſui, quia etiam apud nos Reges ex his multis multa pro conſervandis ac excolendis ſacris egregia fecerunt. *Originarius omnium Rudolphus cum ſua Filia Juditha, quæ nupſit Wenceslao VI. è Przemislæis Regi Bohemiæ, ad quæ non extendit manum, conſilia minimùm in hoc genere pietatis? Maritus nempe SANCTI titulum adeptus eſt; cooperata ubique Juditha eſt Conjux.* Ita Crugerius.

Lib. 1. c. 1. f. 6.

Didacus Lequile de Origine, Antiquitate, ac Nobilitate Auſtriacæ Familiæ Parte I. f. 256. hiſce Judithæ, quæ ad propoſitum noſtrum ſerviant, annotavit: *Gutha ſeu Jutha Wenceslai cognomento Pij Ottogari Filij uxor, quæ ſolij, thalamíque Regij ſocia, mariti, pietatem ſuâ geminavit.*

Albertus Cæſar accepto nuntio de obitu affinis ſui Wenceſlai Sacrum in Eccleſiâ Cathedrali Spirenſi ſolenniter operari juſſit, aderàtque ipſe cum pluribus Epiſcopis, Abbatibus ac Proceribus magno numero, ùt Annales Eccleſiaſtici Odorici Raynaldi indicant.

Wenceslao VI. Rege optimo extincto, filius itidem Wenceslaus duo de viginti natus annos, Regni Bohemiæ Coronam capeſſivit, cui Albertus Romanorum Rex generalem confirmationem omnium Privilegiorum & Jurium dedit.

Albertus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

UNiverſis Sacri Romani Imperij fidelibus, præſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum.

QUamquam noſtræ benignitatis Regia Celſitudo quoslibet, quos Romanum ambit Imperium, teneatur dulcoroſis favoribus & benignis promotionibus amplexari, tamen dignum judicat noſtra Serenitas & congruum arbitratur, ut eorum, quos nobis carnalis unit affectio, & identitas ſanguinis propagat & ſociat, honoribus adaugendum, & commoditatibus procurandis ferventiùs & vigilantiùs intendere debeamus. Ad hoc itaque conſideratione habitâ & reſpectu in Illuſtrem Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem, avunculum & Principem noſtrum chariſſimum, ampliori benevolentia & gratioſiori affectu præ cæteris proſequi cupientes, omnia privilegia, feuda, jura, libertates & gratias illuſtri quondam Wenceslao Regi Bohemiæ, genitori ſuo, ac ſibi, & ipſorum hæredibus, prædictis Regibus Bohemiæ à nobis & noſtris prædictis Imperatoribus & Regibus Romanis conceſſa & conceſſas approbamus, innovamus, ratificamus, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc noſtræ confirmationis paginam infringere, vel ei in aliquo, auſu temerario contraire: quod qui facere præſumpſerit gravem noſtræ Majeſtatis offenſam ſe noverit incurriſſe. In cujus noſtræ approbationis, innovationis, ratificationis & confirmationis teſtimonium, hoc ſcriptum exinde fieri, & Majeſtatis noſtræ Sigillo juſſimus communiri. Datum apud Nürmberg XIII. Calend. Septemb. Indictione 3. Anno Domini M. CCCV. Regni verò noſtri Anno VIII.

Hanc Epiſtolam mox alia excepit de abſolutione Regis Wenceslai à Banno Imperiali.

Nos Albertus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

AD univerſorum notitiam tenore præſentium volumus pervenire.

QUòd ſuper diſcordia, quæ inter nos ex una parte, & illuſtrem quondam Wenceslaum Bohemiæ Poloniæq; Regem ex altera vertebatur, dum advixit, cum ejus filio illuſtri Wenceslao Bohemiæ Poloniæque Rege, avunculo & principe noſtro chariſſimo, concordiæ, quam cum eo cunctis diebus vitæ noſtræ ſervare bonâ fide promittimus, devenimus unionem. Primò quòd omnis exceſſus, ſi quos ipſius avunculi noſtri Bohe-

miæ & Poloniæ Regis genitor prædictus in nos vel imperium quocunque modo commisit, propter quos in ipsum genitorem suum nostra legalis sententia lata, vel bannum promulgatum fuissent, quæ ejus se extenderent ad hæredes, prædictum Wenceslaum Bohemiæ, & Poloniæ Regem avunculum nostrum, prædicti quondam Wenceslai Bohemiæ & Poloniæ Regis filium hæredem & successorem ac hæredes suos, ab ipsis excessibus suis & bannis absolvimus, & in perpetuum authoritate Regiâ reddimus & esse volumus omnimodè absolutos.

confirmat omnia Regna & Provinc. Regibus Bohemiæ.

Promittimus præterea in Regia fide, prædictum Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem, avunculum nostrum, hæredes & successores suos, Bohemiæ & Poloniæ Reges in ipsis Bohemiæ & Poloniæ Regnis, & omnibus alijs Principatibus, & terris, ac juribus, ac omnibus alijs, quæ ad ipsum Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem, avunculum nostrum ex successione paternâ, vel quocunque alio titulo pervenerunt, nec de jure, nec de facto, toto vitæ nostræ tempore aliquatenus impedire, etiamsi aliquod jus, quod vulgariter dicitur nobis, vel Imperio in eis competeret, vel diceremus competere, vel nobis aut Imperio aliqua competere videretur. Sed ipse Wenceslaus & Bohemiæ Reges, prædicta Regna, Principatus, terras ac omnia supradicta cum pleno Dominio, & omnibus Regnorum, Principatuum & terrarum ipsarum titulis, honoribus, juribus, jurisdictionibus, utilitatibus, in terra, & supra terram in Regnis, Principatibus, ac omnibus prædictis, & ex eis provenientibus, feudalia jure feudi, propria verò & hæreditaria jure proprietatis & hæreditario debent obtinere in perpetuum. & ea liberè & pacificè possidere.

Fœderatos Reg. Boh. eodem Jure includit.

Illustres præterea Otthonem & Stephanum Duces Bavariæ; Ottonem, Hermannum, Joannem & Valdemarum Marchiones de Brandeburg, qui in guerra & discordia prædicta, quæ inter nos, & prædictum quondam Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem vertebatur, ipsius Regis Bohemiæ & fautores & adjutores fuerint; insuper omnes alios, qui notabiliter, & actualiter adjutores, vel fautores prædicti Regis Bohemiæ & Poloniæ contra nos in eadem discordia sunt, vocari & inveniri, sive sint banniti, sive proscripti vel ablitigati per nos, vel per alios, prædictæ concordiæ & unioni includimus, & inclusos esse volumus præsentium tenore, & eas omnibus bonis in prædicta concordia, propter præstitum contra nos prædicto Regi Bohemiæ adjutorium, vel favorem eis ablatis, & honoribus & juribus eorum restituimus, & esse volumus, plenè & integrè restitutos, nec quod eis ex hoc in ipsis bonis & eorum juribus, & honoribus ulla diminutio, vel læsio aut præjudicium aliquod generetur.

De Wratislaviensi Principatu.

Promittimus insuper super terris, hominibus, bonis & juribus terræ Wratislaviensis stare dictis, & ordinationi spectabilium virorum, Bertoldi

toldi Comitis de Hennenberg & Burckhardi Burggravij de Magdeburg per nos & prædictum Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem, avunculum nostrum ad hoc concorditer electorum.

De munitionibus autem, si quas ipsius Wenceslai Bohemiæ & Poloniæ Regis, avunculi nostri, progenitores in terra Egrensi, quam cum suis pertinentijs ipse Wenceslaus Bohemiæ & Poloniæ Rex, avunculus noster, eâ integritate, quâ ipsa terra genitori suo, per felicis memoriæ Adolphum Romanorum Regem, præcessorem nostrum, olim fuit, compromisit restituere, suâ peccuniâ comparamus, inter nos & ipsum Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem, avunculum nostrum, taliter est ordinatum, ut eædem munitiones discussioni juris subjaceant: utrùm videlicet ad nos vel ad ipsum Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem, avunculum nostrum debeant pertinere, nisi ipsas idem Wenceslaus Bohemiæ & Poloniæ Rex avunculus noster, à nobis in feudum voluerit obtinere. In cujus rei testimonium præsentes exinde conscribi, & Majestatis nostræ Sigillo jussimus communiri. Datum apud Nürmberg XV. Kal. Septemb. Indict. III. Anno Domini M. CCCV. Regni verò nostri Anno VIII. De munitionibus Regni Bohemiæ.

Idem Cæsar octavo Idus Julij Monasterium Bebenhusanum Ordinis Cisterciensis in suam protectionem recipit: ut essent & in rebus & in personis suis, tuti ab omnium incursu & molestia. Proinde mandat Etzlingensibus, Rutlingensibus & Wilensibus ut in omni necessitate, ab illis requisiti, eis assisterent. Alioqui pro sua negligentia condignam Regiæ castigationis ferulam non evasuros. *Annal. Suevia Crusij.*

CAPUT X.

Favor Austriæ Ducum in Cænobium Formpachense Ordinis S. Benedicti. Nova Beneficia fundata Spiræ.

ANno 1306. Cœnobium Formpachense Ordinis Sancti Benedicti Rudolphi Ducis Austriæ & Styriæ, ejúsque Fratrum Friderici dein Imperatoris, & Alberti cognomine Sapientis singulare in se studium experitur, quod ex sequentibus optimè docetur.

Rudolphus Dei gratiâ Dux Austriæ, & Styriæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ ac Pontûs Naonis.

UNiversis Præsentium inspectoribus salutem cum notitia subscriptorum. Æquitatis vigor expostulat & ordo suggerit rationis, ut no-

nostrarum personarum indemnitatibus præcavere, & præcipuè Religiosorum locorum commoditatibus & honoribus ampliandis, jugiter intendere debeamus, ut per lubricum hujus vitæ transcursum salubriter transeuntes, æternæ beatitudinis præmia consequamur. Noverit igitur præsens ætas & successura posteritas, quòd divæ recordationis Lotharij Imperatoris III. privilegium vidimus, audivimus, & de verbo ad verbum intelleximus diligenter, cujus tenor per omnia dignoscitur esse talis.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

„LOtharius Divina favente clementia tertius Romanorum „Imperator Augustus. Cùm defensionis nostræ solicitudo „circa omnes Ecclesias & Christi pauperes invigilare debeat, fa„miliariùs tamen eas Ecclesias & claustra fovere & manutenere „debemus, quæ à parentibus nostris fundata sunt, in quibus quo„tidie nostri & ipsorum apud Deum memoria fit. Proinde tum „futurorum quàm præsentium sagax noverit industria, qualitèr „nos ob remedium animæ nostræ & consortis nostræ Richnizæ „Imperatricis Abbatiam Formpacensem, cum omnibus perti„nentijs suis in nostram suscepimus tuitionem & defensionem. „Quam toto devotionis nostræ affectu amplectentes, sicut li„bera instituta est à Comitibus piæ memoriæ Eckberto & Co„gnato suo Udalrico, ita libertatis ipsius privilegia nostra Imperia„li authoritate confirmamus: ea videlicet lege & tenore, ut ab „omnium mortalium servitio & exactione immunis, soli Matri „nostræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ suum famulatum recognoscat, „& singulis annis, unius aurei debitum exhibeat. Abbas etiam „ipsius per successiones à fratribus ipsius regulariter & liberè ele„ctus, non aliter nisi baculo de ipso altari accepto investiatur: „Similiter & Advocatus de prædictorum genere Comitum ma„gìs idoneus communi arbitrio,& electione fratrum constituatur. „Inter cætera autem eidem Ecclesiæ confirmamus mercatum in „Neukirchen cum moneta & omnium utilitate, quæ inde pro„venire poterit, & præterea non minùs confirmamus, quicquid „juris habere debet, ex donatione prædictorum Comitum Eck„berti, Udalrici, nec non Hermanni fratris ipsius specialiter ligna, „pastum,ædificia & quæcúnque adjacentis forestiæ utensilia. Sub „nostræ itáque confirmationis authoritate comprehendentes tam „ea, quæ in præsenti habet, quàm quæ habitura est eadem Eccle„sia, præcipiendo jubemus, ut nullus Dux, Archi-Episcopus,

„Episcopus, Marchio, Comes, Vice-Comes, nulla denique magna,
„parváve persona in his concessis eam inquietare, molestare, dive-
„stire præsumat. Si quis verò contra hoc (quod non credimus)
„præsumpserit, 40. libras auri, medietatem prædictæ componat
„Ecclesiæ. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentiùs
„custodiatur, præsentis decreti paginam sigilli nostri impressione
„insigniri jussimus. Huic autem confirmationi testes adhibui-
„mus Archi-Episcopos, Adalbertum Moguntinensem, Conra-
„dum Saltzburgensem, & Conradum Magdeburgensem, Episco-
„pos, Wirtzburgensen Embriconem, Halverstad: Rudolphum
„Megengotum Mersburgensem, Gotebald. Misnens. Bernhar-
„dum Hildesheimensem; Marchiones, Conradum, Adalbertum
„Palatinum, Fridericum, Ottonem, cum cæteris majoribus & mi-
„noribus. Data anno Incarnationis Dominicæ, 1136. Indictione
„14. pridie Idus Maij Anno verò Regni Regis Lotharij 10. Imperij
„tertio. Actum Mersburg in Christi nomine feliciter, Amen.

„NOs igitnr dictum Ordinem & Monasterium Formpacen-
„se; quod disciplinæ Monasticæ luminosè præradiat, prærogā-
„tivâ favoris & gratiæ singularis amplectentes, ac intimo deside-
„rio cupientes, quòd status sive prosperitas non laceretur in ali-
„quo, vel dispendiosè corrigatur. Attendentes quoque sincerè
„devotionis & fidei puritatem, qua dilecti devoti nostri Marquar-
„dus Abbas & Conventus, quos vitæ cælibis insignit religio,
„nostram Celsitudinē indesinentibus servitijs amplectuntur, præ-
„dictum privilegium prout est superiùs annotatum, & universos
„& singulos articulos in eo contentos, de benignitate solita libera-
„liter innovamus, approbamus, & præsentis scripti patrocinio
„confirmamus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc pagi-
„nam nostræ innovationis & confirmationis infringere, vel eidem
„in aliquo ausu temerario contraire. Quodquod forsitan atten-
„tare præsumpserit, gravem nostræ indignationis offensam se
„noverit incursurum. In quorum testimonium & perpetui ro-
„boris firmamentum, præsens scriptum, sigillo nostro jussimus
„communire. Datum Wienn. Anno 1306. sept. Idus Junij.

„Fridericus Dei gratiâ Dux Austriæ, Dominus Carniolæ
„March. ac Portus Naonis omnibus in perpetuum, constitutus in
„nostra præsentia vir honorabilis Marquardus Abbas Monasterij
„Formpacensis pro se & suo Conventu nobis humiliter supplica-
„vit, quatenus privilegium quoddam, sibi per divæ recordationis
„Lotharium Romanorū Imperatorem Augustum piè concessum,

„& poſtmodum per claræ memoriæ Rudolfum fratrem noſtrum, „tunc Ducem Auſtriæ & Styriæ liberaliter approbatum, etiam „nos ipſi & ſuo Monaſterio approbare, innovare, & concedere de „ſpeciali gratia dignaremur. Cujus quidem privilegij tenor per „omnia talis eſt. In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, „Lotharius divinâ favente Clementiâ tertius Romanorum Impe-„rator Auguſtus. Cum defenſionis noſtræ ſolicitudo circa omnes „Eccleſias & Chriſti pauperes invigilare debeat, familiariùs ta-„men eas Eccleſias & clauſtra fovere & manu tenere debemus, &c. „idem ſonat quod Confirmatio Rudolfi Ducis Auſtriæ & Sty-„riæ 1306.

„Nos igitur prædictorum Abbatis & Conventûs ut ſuis Deo „precibus commendemur, ſupplicationibus inclinati prædictum „privilegium prout eſt ſuperiùs annotatum, ad univerſos ac ſin-„gulos articulos in eo contentos, de benignitate ſolita, liberali-„ter innovamus, approbamus, concedimus & præſentis ſcripti „munimine roboramus. Nulli ergo hominum liceat hanc pagi-„nam noſtræ innovationis & approbationis infringere, vel eidem „in aliquo auſu temerario contraire. Quodquod ſecus attentare „præſumpſerit, gravem indignationis noſtræ offenſam ſe nove-„rit incurriſſe. Datum Pataviæ Anno Domini Milleſimo trecen-„teſimo undecimo. Nono Kal. Maij.

Alberti diploma tam Latino, quàm Germanico idiomate re-citabimus Anno 1343.

Eodem Anno 1306. Albertus I. Cæſar fundat Spiræ duo be-neficia ad altare ſanctæ Annæ, reſervato ſibi, & ſucceſſoribus Ju-re Patronatûs. Diploma expeditum Wimpenæ 12. Cal. Septem-bris, & anno ſequenti ipſemet cum multis Principibus intereſſe voluit conſecrationi illius Altaris.

Wenceslaus Junior Bohemiæ Rex, Wenceslai ſenioris ex Juditha Habſpurgica Rudolfi I. filia genitus, occiditur Olomuzij. Perijt cum hoc Principe Przemislæa Ducum ac Regum Bohemiæ familia Regnatrix, quæ in Bohemia propè octingentos quinqua-ginta annos regnavit. Jacuit Wenceslaus Rex ſepultus Olo-mucij longo tempore. Eliſabeth ſoror eum ad ſepulchra Regum in Aulam Regiam de-vexit Anno 1326.

CAPUT

CAPUT XI.

Rudolphus Auſtriacus fit Rex Bohemiæ. Ejuſdem mors.

PEremptο Wenceslao Rege & prole Regiâ virilis ſexûs nullâ exſtante, cum Proceres Bohemi conveniſſent Pragam frequentes, Regis creandi causâ, & alij Henricum Carinthiæ Ducem occiſi Regis ſororium, qui tum Pragæ degebat, poſcerent: alij verò fœderum cum Auſtriacis pactorum memores, Regnum ad Rudolphum Alberti Imperatoris filium detulerunt. De Rudolpho lubet hìc audire Wichardum Baronem de Polhaim Archi-Epiſcopum Salisburgenſem Continuatorem Chronici Hermanni Contracti. *Electus*, inquit, *Bohemiæ Rex Rudolphus generoſus & inclytus multis donis & gratijs præditus diverſis etiam virtutibus, veluti nobile vas pretioſis lapidibus intextum, &c.* Sagaciſſimus Princeps Rudolphus mox principio ſui regiminis Eliſabetham, ſeu Riſcham Wenceslai II. viduam juris ſui confirmandi cauſâ, in conjugem accepit, utq; omnes Proceres etiam eos, qui Henrico ſtudebant, aut metu & armis quoquomodo ſibi adjungeret, cum exercitu Bohemiam omnem peragrare, & ad obſequium compellere, conſtituit. Primus petitus eſt Bavorius de Strakonitz, cujus civitatem id temporis munitiſſimam obſedit; in longum ducebatur obſidio, quâ durante Rudolphus peponum eſui intemperantiùs deditus, contractô alui profluviô 1307. 3. Julij extinguitur. Amicis ſuadentibus, ut Pragam ſe reciperet, nequaquam, reſpondit hoc faciam. *Malo in tentorio, quàm in cubiculo Regio mori, cadam potiùs, quàm cedam.* Habuit Rudolphus Anniverſariam in Sacris memoriam, in Eccleſia Metropolitana Pragenſi, ùt ex Codice M. S. apparet, non parvis Cenſibus comparatam, in eáque Eccleſia eſt ſepultus. De eo ita Franciſcus Tertius Bergomas Sereniſſimi Ferdinandi Archiducis Auſtriæ Comitis Tyrolis Pictor cecinit:

Rudolph. Auſtriac. fit Rex Bohemiæ. *Peſſina in Marte Moravico l. 4. c. 1. f. 344.*

Uxorem ducit.

Moritur.

Hunc apud Iliacas (dum bello fulminat) arces
Pone, vel aſſiduo Tyrios premat ariete muros:
Nonne & Alexandro, & (modo vita ſuperſit) Atrida
Certiùs hic magnas citiûſque everterit urbes?

De pietate verò ejuſdem Rudolphi & in ſacra munificentia ſequentia Lazius commemorat: fuit ejus, inquit, non minimùm in Religione ſtudium. Nam & Divæ Claræ Cœnobium,

ut ad extremam manum perduceretur, duo millia librarum argenti donavit. Idem Minorum Monasterio ab Ottocaro quondam Bohemiæ Rege incepto, à Blanca verò uxore sua locupletato, piè & cum laude fecisse perhibetur. Meminit Rudolphi in Historia sua Austriaca Gerardus de Rhoo his verbis: Commendatur in eo pietas & morum commoditas, unde à quibusdam *Mitis* dictus. Duxerat uxorem Elisabetham Wenceslai II. Regis Bohemiæ viduam ad conciliandam apud Bohemos gratiam. Hæc est illa Elisabetha, quæ exemplo primi mariti sui, ejusdémque primæ conjugis Judithæ Austriacæ summo amore prosequebatur Ordinem Cistercìensem, cui Cœnobium Monialium Aulam Mariæ an. 1323. verè regiâ munificentiâ in suburbio Brunensi fundavit; quod idcirco Monasterium Reginæ dicitur, ubi & sepulta est.

Ejus virtutes.

CAPUT XII.

Bellum Alberti Cæsaris in Bohemia. Ejusdem mortis periculum & in Ordinem S. Bernardi Claræ vallis Abbatis novus & postremus favor.

A Morte Rudolphi filij Alberti I. Cæsaris in Bohemia res iterum ad Henricum Carinthium inclinare videbantur, adnitentibus pro eo multis de primaria Nobilitate Bohemiæ. Cives verò Pragenses, & de Nobilitate quidam perorante Tobia Bechine Equestri apud nos Familia orto, Fridericum Austriacum Cæsaris filium, ob vicinitatem, potentiam ac jura quæ Rudolphum defunctum fratrem legitimè evexerunt Henrico præferebant. Priore igitur factione vincente, Henricus Carinthiæ Dux, qui Annam Wenceslai II. Regis ex Juditha filiam natu maximam habebat in conjugio, vocatur ad Regnum; contrà Cæsar Albertus cum exercitu Bohemiam ingressus, filium Fridericum Bohemis tentat imponere, atque inter Kuttenbergam & Colinū castra metatur. Utroque loco frustra tentato, post multas velitationes Regno excedit; at quia ei dotales omnes urbes suas (Regino-Hradecium, Mutam, Chrudimium, Mielnikum, Policzkam, Jaromirium) Elisabetha Regina vidua obtulerat, in ijs locis maximam Suevorum multitudinem relinquit, & quæ futura usui in proximum annum putabat, ordinat. Interim magìs ac magìs hyems imminebat; Cæsar verò cum reliquo exercitu inferiorem

Bellum Alberti Cæs. in Bohem.

Bava-

Bavariam ingressus, populationibus agros fædat, ob præstita Henrico Carinthiæ auxilia. Inde in nepotum Palatinorum ditionem profectus, assumpto secum Ludovico, in Sueviam perrexit. Basileæ cùm ageret Cæsar, vitæ periculum propè subijt. Clemens V. Pontifex Burdigalensis Archi-Episcopus, qui anno supra mille trecentos quinque, ad Pontificatum pervenerat, obortóque schismate, & gliscentibus in Italia bellis civilibus, evocato Lugdunum Cardinalium cœtu, ingenti cum detrimento Reipublicæ Christianæ Pontificiam Sedem, præmemorato anno in Galliam transtulerat, Basileæ Episcopum creaverat, Ottonem Granseium ex Burgundis ortum. Huic Cæsar Regalia, quæ vocant, concedere (quam nescio ob causam) hactenus recusaverat. Hanc moram ægrè ferens Episcopus, consilium capit temerarium, neque se dignum. Statuit enim Cæsarem præsens adire, suarúmque ditionum, quas Imperij beneficio obnoxias habebat, confirmationem petere, quæ si iterum negaretur, sua eum manu interficere. Itaque obfirmato animo ad Cæsarem ingreditur. Sed quòd Germanicè nesciret ipse, interpretem adduxerat Hugonem à Sole, civem primarium, quem de animi proposito haud prorsus celaverat. Ad primum ingressum, Cæsar Episcopum staturâ supra mediocrem insigni videns, quid sibi velit procerus iste scholasticus, interrogat? Rogatus ab Episcopo, quid Cæsar diceret, interpres dextrè admodum respondet, dixisse, alia sibi nunc prævertenda, cras redeundum. Otto igitur, actis suâ linguâ gratijs abijt. Hæc propè ad verbum ex Chronico Basileensi. Albertus de periculo admonitus, summo manè urbe egreditur, & in Ergoviam profectus, cum suis de eo Præsulis consilio conqueritur, vindictâ conceptæ animo cædis in idoneum tempus dilatâ, annô demum octavô ejus sæculi arma in Episcopum sumit, Fürstensteinam arcem obsideri præfectos suos jubet. Otto gravem sibi iram Cæsaris esse videns, veniam & pacem exorandam putabat, & observato tempore, quo Elisabetha Cæsaris uxor, penes Basileam minorem, Rhinfeldam pergeret, ad currum adequitans eam sibi deprecatricem conciliare parabat. Non fefellisset eum spes, si ad illam, quæ pacis studiosa semper fuit, accedere licuisset. Aulici eum Augustæ comites aditu prohibebant. Rhedario enim à quodam, ut celeri cursu Basileam Episcopum reveheret, fuit mandatum, sicque præter lutum, quo totus ob celerem rhedæ cursum conspersus erat, retulit nihil. Albertus interim condit testamentum, tanquam fati conscius; verùm periculum, quod Basileæ evaserat, alibi cavere non potuit.

Sedes Pontificia in Galliam translata Avenione 70. annis & ultrà consistit.

Consilium de occidendo Cæsare. *Gerard. de Rhoo Historia Austr. lib. 11.*

Pro coronide capitis hujus postremum in Ordinem Cisterciensem Alberti Cæsaris beneficium adjungo. Est inter celeberrima Ordinis hujus cœnobia in Germania Waldsachsense tempore S. Bernardi fundatum, loci ejus Abbati Ulrico, quem Waldsachsenses ex Cœnobio Aulæ Regiæ in Bohemia postulârunt, Imperator Albertus dedit jus Patronatûs, Parochialis Ecclesiæ in Rasche Aistettensis diœceseos.

Favor Alberti in Ordinem Cisterc. *Brusch. de Origine Monaster. Germania. pag.* 252.

CAPUT XIII.

Alberti Cæsaris Mors.

ANno 1308. Cæsar Albertus bellum adversùs Bohemos renovaturus, in ipso apparatu perit, multorumque oculos ad magnam commiserationem & fletum excitat. Nepos erat illi ex fratre Rudolpho, & Agnete, Ottocari filia, Joannes, quem Cæsar à puero apud se cum liberis suis educaverat. Is tutelæ jam annos egressus sibi videbatur; itaque & ipse aliquoties, & per alios paternæ hæreditatis ditiones, aut earum partem, imprimis verò Kiburgensem Comitatum, sibi tradi flagitabat. Patruus & vitam agnati, & ditiones bene sibi concreditas esse respondebat, neque ipsi, quæ tantoperè peteret, negatum iri simul ac ad ætatem, eámque vitæ frugem pervenisset, uti suis præesse cum dignitate posset. Nunc verò in ea ætate, id esse ingenium, eos mores, qui rectore adhuc indigerent. Hanc repulsam malè admodū concoquebat imperandi appetitu æger adolescentis stomachus. Accedebant ad hæc inquieti quidam consultores, Alberto privatim suis quisque de causis offensi. Hi malè affectum ejus animum suis tanquam stimulis excitabant, & currenti sua sponte equo calcaria addebant, identidem ingerentes: Indignum esse, Albertum suis tantúm filijs (quos habebat multos) quo jure quáque injuria Provincias, oppida, arces, prædia, opésque parare, fratris filium paterna hæreditate fraudare, vix quæ ad necessarios vitæ usus pertineant habentem, uti mercede conductum, aulicæ mensæ asseclam circumducere, hæc & alia his similia Joanni assiduè inculcata odium in patruum conceptum exasperabant. Erat inter cæteros ejus incentores Walterus Eschibachius, antiqua nobilitate divitijsq; & multorum clientela præ cæteris pollens. Is præterea, quæ Principis nomine petebat, sibi etiam aliquot municipia, in quibus jus se habere putaret, restitui postulabat, suáque in ejus familiam merita, & parentis vitam illi impensam commemorabat.

Joan. Austriac. Nepos Alberti.

Malorum consilia seducitur.

bat. Sed hæc omnia frustra fiebant. Nè tamen nihil non attentaret Joannes, Episcopum Argentoratensem, sibi cognominem (qui Cæsari ab Epistolis erat) uti iterum pro se intercedat, orat. Is Calendis Maij Cæsarem manè accedit, Kiburgi Comitatum Joanni tradi postulat, Albertus expeditionem se in Boëmiam parare respondet, in qua centum equitibus nepotem esset præfecturus, eòque bello defunctus, arces illi nonnullas attributurus. Statuerat Albertus eo die uxorem Elisabetham & Agnetem filiam Ungariæ Reginam invisere, eæ tum Rheinfeldæ, ipse cum suis Badenæ erat. Jentaculo igitur parato, antequam mensæ accumberet, Joanni nepoti, & qui cum eo erant, singulas corollas ex floribus confertas, distribuit. Id fortasse ob anni tempus temerè ab eo factum in invidiam vertit Joannis factio, quæ id ab eo fieri, uti magìs hoc muneris ipsis convenire, quàm quod postulabant significaret, interpretabatur. Princeps verò vix lachrymas tenebat, & depositâ in mensam coronâ, jentaculo abstinebat. Mox ipse, Walterus Eschibachius, Rudolphus Warthius, & Udalricus Palmensis, paucis pro tempore verbis usi, conjurationem de Cæsaris nece dudum factam, iterum confirmant, exequendi tempus adesse dictitant. Sumpto jentaculo Cæsar iter ingreditur, quem comitantur inter alios Joannes & cæteri conjurati. Cùm propè Vindonissam, celebrem olim Romanorum coloniam, nunc humilem pagum ad Rusam, olim Ursam, amnem, ventum esset, ubi navi ad restim adligata, & homines & equi traijcere solent conjurati omnium primi transeunt, eos Albertus sequitur. Cumque per apertum equitans campum, cum Castellio quodam pro more confabularetur, conjurati, versis repentè equis, in eum irruunt, primúsque Warthius: quousque tandem, inquit, cadaver illud obequitare patiemur? ad quæ Joannes: jam, inquit, videro, sisne mihi hæreditatem paternam daturus. Eâ voce tanquam classicô auditô, Russelingus, Warthij famulus, fræno equum Cæsaris retinet, & Joannes accurrens, vulnus ei collo infligit. Warthius ense latus haurit. Palmensis caput ictu diffindit. Eschibachius, etsi præsens spectator aderat, manum tamen Cæsari abstinuit. Is verò equo delapsus, humi in gramine obijt. Inter eos, qui amnem nondum trajecerant, Leopoldus quoque, Cæsaris filius erat, qui, auditâ Patris cæde, suorum suasu Badenam redijt. Hunc tam miserabilem vitæ exitum habuit Cæsar, belli gloriâ *Triumphatoris* cognomen promeritus, & qui tot bellis à potentissimis

Quod Cæsar bono animo facit, hoc in pessimam partem interpretatur.

Conjuratio in Albert. Cæs.

Mors Cæsaris.

Triumphator dictus.

simis hostibus invictum se præstiterat, nefariô suorum parricidiô peremptus jacuit, hactenus Gerardus de Rhoo.

Extant de cæde Alberti antiqui versus, qui annum & diem, quâ peracta est, indicant.

Annis completis octo cum mille trecentis,
Rex est Albertus gladiorum morte peremptus,
Mense Majo, Jacobi festo, sanctíque Philippi:

Lethali plagâ percussus, quo affectu Deiparam prosequeretur ostendit. Rex (inquit Haselbachius Historiâ M. S. Austriæ) in terram cadens invocato auxilio gloriosissimæ Virginis, in gremio Episcopi Spirensis suum reddidit spiritum, ipso die SS. Philippi & Jacobi.

Demortui cadaver à domesticis mox cum multis verísque lacrymis levatur & honorificè in Cœnobio, cui *Ave maris stella* Ordinis Cisterciensis, vulgò, Wettingen, quod ex parte Comites Habspurgenses fundârunt, deponitur. Ab anno sequenti Henrici VII. Imperatoris jussu effossum, unà cum Adolphi Cæsaris cadavere Spiræ Romanorum tumulo infertur. Ita quibus inter se vivis convenire non potuerat, alma tellus commune omnium sepulchrum materno sinu mortuos complexa est, & ita conjunxit, ut vix palmo inter se distarent. Sic fatales inimicitias mors æquo jure componit.

Sepulturæ locus.

Multis & magnis animi & corporis dotibus nobilitatus est hic Imperator, haud minor parenti Rudolpho in Amore Dei generositate, prudentia, bonitate, & in exhibenda reverentia Sacerdotibus. Certè Concionatorem suum Aulicum tanto in honore habuit, ut etiam ab eo publicè reprehendi non ægrè tulerit. Cùm enim aliquando ipse Imperator cum Proceribus nonnihil oscitanter verba concionantis exciperet, contentâ voce exclamavit Ecclesiastes: *quæritur, salvarine Principes possint? Et re agitatâ in utrámque partem, excussóque audientium somno. Quidnî, ait, possint? si modò baptismo suscepto in cunis vagientes moriantur.* Id æquissimo animo tulit Albertus. Quàm verò strenuus fuit in hostibus suis debellandis, tam dexter fuit in superatis sibi devinciendis, quos sæpe mansuetudine & delictorum benevolâ remissione erubescere faciebat. Constans in prosperis æquè ac adversis, osor vitiorum præsertim impudicitiæ, & famæ alienæ detractorum. Nec patiebatur ejusmodi vitijs obnoxios lateri suo adhærescere. Unde sæpiùs Pythagorico illo usus est: *quod optimum, idem jucundissimum*, indicans: Nihil ei magìs in votis esse, quàm pietatem & virtutem.

Virtutes.

Schönleben in Prærog. Domûs Austriacæ p. 2. c. 8. f. 140.

Juvat

Juvat plura de eo ex Nierenbergio in virtute coronatâ afferre. Enituit, inquit, in Alberto I. Imperatore ab obtentis victorijs quàm plurimis nuncupato triumphatore celsitudo animi, & ingenuitas mentis. Fortitudinem cæterarum virtutum comitatu stipatam traxerat in mores. Religione in Deum, clementia in populum, veritate ad omnes, affectu in probos quàm inclinatissimo admirandus. Æstimare singula pro merito solitus, pretium singulare deferebat tribus hominum classibus: Gynæceo honestati dedito, clerico pietatem amanti, ac militi generoso. Osor erat summus callidorum hominum, ac veteratorum: non ferebat delatores, non nugivendulos, non bilingues: vires pietate firmabat. Documento sit, quod in causæ ac prælij conflictu cum Adolpho Imperij æmulo gessit. Occurrerat hic in acie inter confertos dimicanti, & nunc, inquit, concedes cum victoria usurpatum diadema. At Albertus non minùs generosè quàm piè: Sicut fuerit, inquit, voluntas in cælo, sic fiet; mox intortâ hastâ adversarium in oculo ferit, supinatúmque obtruncat. Non impetus armorum, non martius furor fecerat excidere pietatem, & modestiam à pectore Alberti: Etiam inter iras serenam ad divina mentem servabat. Victor tùm, & asserto sibi Imperio, ad cujus diadema jam tertium evocabatur, majore in seipsum victoria est usus. Vetuit quamprimùm, ne ultrà sui milites stragem facerent, nec profligato duce, jámque ad internecionem festinanti, atrociùs incumberent: erátque in eo discrimine hostis, ut præter militem gregarium, etiam è Comitum eminentiori nobilitate septuaginta omnino perierint: deleri proinde universos non superfuerit difficile. Ita laudes Julij Cæsaris æmulatus fortitudinem mansuetudine, & clementia attemperavit. Viennensibus aliquando infestus nunquam illis placatior evasit, quàm cùm habuit ad pedes abjectos ac post desperatas eorum res veniam deprecantes: Admisit tum supplices, atque injurias, cum maximè ulcisci posset, liberaliter condonavit. Cæterùm in prælijs, quotquot gesserat, gessítque complura, semper victor, triumphatoris cognomentum promeruit.

Nierenbergius in Alberto I. Imperatore.

Mœstissima Imperatrix Elisabetha, quæ pium suum Dominum & Conjugem animitùs dilexit, & eidem 26. annis maritaliter cohabitavit, fieri fecit oratorium in loco effusi Regij sanguinis, quod inhabitârunt fratres duo nobilitate clari memoriam Adalberti precibus fusis recolentes.

Origo & descriptio Cœnobij Königsfeldensis.

Nec multò pòst ædificare cœpit Cœnobium Königsfeldense

(campum Regium vocamus) pro Fratribus minoribus & Sororibus ſanctæ Claræ, cujus originem ex ſpeculo honoris Domûs Auſtriacæ Libro III. Cap. XI. f. 372. & ſeq. quantùm ex Germanico fieri potuit, damus. Agnes Cæſaris Alberti I. Filia, & Regis Andreæ in Ungaria vidua, magnum theſaurum auro & cymelijs conſtantem ex Ungaria in Helvetiam aſportavit, quô à ſuo Parente accita fuerat. Scribitur, octingentos propè uniones habuiſſe, quorum minimus ultra viginti, maximus ſupra triginta marcas continebat. Cúm autem pijſſima Princeps fuerit, & benignam ſemper manum erga pauperes habuerit: conſtituit in animo, hunc theſaurum honori divino, in fundatione Religioſorum, conſecrare. Hanc ſuam mentem aperuit quodam tempore cuidam Virgini clauſtrali, à qua ex prophetico ſpiritu reſponſum retulit; futurum, ut eo in loco, quo nobilis perſonæ nobilis ſanguis terram tinget, Cœnobium exſtructura ſit, ibidémque vitam ſuam tradutura. Audito hoc ſermone filiæ ſuæ Albertus, ſibi prophetiam hanc applicuit, inquiens: ſe habere ob adminiſtratam ritè juſtitiam complures hoſtes, neceſſe habere crebriùs caſtris intereſſe; poſſe itaque facili negorio quidpiam ſimile cum eo aut ſuorum filiorum evenire. Cùm verò non longo poſthinc tempore in præfato loco internecioni Cæſar datus fuiſſet, reflexit animum Agnes ad ſermones cum Cæſare habitos, & vidit maximo ſui animi ſolatio prophetiam adimpletam. Habuit eo tempore à Confeſſionibus Henricum Preiſinger Ordinis Minorum S. Franciſci, filium Comitiſſæ Eſchelochianæ, qui eandem ex Auſtria comitatus eſt. Inde inito conſilio cum Matre ſua & prænominato Religioſo vaſtum templũ adjunctis duobus cœnobijs muro ſolido cinctis exſtruxit, alterum Fratribus S. Franciſci, alterum Sororibus ſub Regula S. Claræ viventibus. Utérque Conventus diſcriminatus incoluit habitationes & cellas, ibántque ſorores ad chorum muro interpoſitum, fratres vero in ipſo templo juſta Deo perſolvebant. Cœnobium præfatum (ad quod nonnisì Principum Comitúmque familia admittebantur) magnis proventibus donatum & proviſum fuit: Reginâ ad id conferente 14000. marcarum argenti. Una ex repertis poſtmodum inſcriptionibus memorat Eliſabetham, fundatricem Monaſterij Königsfeldenſis fuiſſe, eidémque ſoli totam fabricam adſcribit. Verùm exiſtimandum eſt, filiam cum fratribus reverentiâ Matris adductam tanquam conſultrici totum fundationis negotium ádnumerare voluiſſe. In quod ædificium etiam fratres, Fridericus, Albertus, & Otto opes ſuas

suas contulerunt. Quod tabula in eodem templo appensa indicat, sicq; habet: Anno 1308. in die BB. Apostolorū Philippi & Jacobi occisus est Serenissimus Albertus Romanorū Rex, filius Domini Rudolphi Romanorum Regis, à filio fratris sui Joanne in loco, ubi positum est majus altare. Qui videlicet Dominus Albertus, in ipso die occisionis reliquit decem liberos: scilicet Serenissimum principem Fridericum, nunc Romanorum Regem, & Illustres Dominos, Leopoldum, Albertum, Henricum, & Ottonem Duces Austriæ: nec non & præclaras Dominas Agnetem Reginam Hungariæ, Elisabetham Ducissam Lotharingiæ, Annam Ducissam Preslaiæ (Wratislaviæ) Guttam Comitissam de Oettingen, & Catharinam Ducissam Calabriæ. Pro cujus animæ remedio inclyta Elisabeth, filia Domini Meinhardi Ducis Carinthiæ, relicta præfati Domini Alberti Regis genitrix & Mater illorum omnium Ducum, de voluntate & adjutorio eorum, fundavit, construxit & dotavit hæc duo Monasteria Fratrum Minorum & sororum S. Claræ cum choro & Ecclesia, & alijs ædificijs universis.

Notæ & Additamenta.

Quid cum percussoribus Alberti Cæsaris actum sit, Gerardus de Rhoo Historiæ Austriacæ Lib. 2. cap. 2. f. 79. prolixè explicat.

Conjurati, inquit, cæde perpetratâ, primò in arcem Koburgum, hinc alij aliò se conferunt. Eschibachius arcibus omnibus, & fortissimâ inter eas Schnabelburgo, ab Alberti filijs expugnatis nunquam ampliùs tutus, profugus in Wirtembergensem agrum evasit, ubi à nemine agnitus, bubulcum mercenarium egit triginta quinque annos, rustico cultu, & vitâ agresti inter pecudes habitus, neque ante extremum vitæ diem se prodidit, hoc ultima confessione consecutus, uti honestiore loco sepeliretur. Palmensis in Basileæ suburbio diu delituit, pòst in arce sua Altabura animi ægritudine, & necessariorum penuriâ contabuit. Rudolphus Warthius, cùm in arce Falckensteina aliquandiu delituisset, ad Theobaldum Blamontij Comitem in Burgundiam profugit Romam cogitans, ut expiati illic parricidij veniam consequeretur. Theobaldo (sive cum alijs Diepoldum vocem) uxor erat ex Veringensibus, Alberto cognatis. Ea, facinore illius cognito, apud virum egit, ut Warthius cum famulo (quem unicum habebat)

Walterus Eschibach.

Rudolphus Palmensis.

Rudolphus Warthius.

bebat) captus ad Leopoldum mitteretur, qui illum adducenti magnam pecuniæ summam constituerat. Theobaldus, veterem amicum hospitem & supplicem prodidisse visus, magnam ex hoc facto infamiam, multorúmque odium incurrit, *Mercator* vulgò cognominatus. Russelingus Ensisheimij rotæ impositus est. Herus ejus, cùm Basileam perductus esset, spei aliquantulum conceperat fore, uti vel dimitteretur vel illic in custodia diutiùs adservaretur, quod in ea urbe non pauci essent, qui Episcopi partes contra Albertum foverant. Sed tam fædi sceleris exemplum, omnium animos à parricidarum amicitia averterat. Itaque Vitodurum ducitur, ubi supplicio admotus, primùm negavit cædem abs se factam, mox verò victus: non Cæsarem, inquit, occidimus, sed meritas ab homine sanguinario pœnas exegimus, qui Adolphum, legitimis suffragijs electum, cum meliorem se ferre non posset, nefariô bellô occidit, læsæque majestatis, & à Pontifice Rom. & ab ipsis Electoribus, quos suscepti belli auctores videri voluit, condemnatus. Hæc & alia dicentem nemo secundis auribus audire potuit, neque enim supererat aut excusando aut purgando sceleri locus; nam præter Austriacorum animos vindictæ avidos, Henrici quoque Cæsaris sententia accedebat, qui ne exemplum illud trucidandi Cæsaris alij imposterùm æmularentur, quicunque cædis conscij erant, morti addixerat. Warthius igitur, equi caudæ illigatus, & ad locum supplicio destinatū protractus, vivus in rotam agitur. Triduò vixisse in rota ferunt. Uxor ejus miserabiles edidit ploratus, precésque ad Deum pro ejus salute effudit, neque à loco avelli potuit, donec maritus inter diros cruciatus animam reddidisset, magno conjugalis fidei & amoris exemplo. Basileæ deinde reliquum vitæ in orationibus, & pietatis exercitio exegit. Castrum Warth à Leopoldi milite funditùs eversum, prædia ejus Cœnobio monialum Tossensium concessa sunt. Juvabant tum Austriacos, San-Gallensis Abbas, & Tigurini, quibus cessêre in prædam loca aliquot propè Sylam fluvium, reliqua Austriacorum fuêre. Major difficultas erat in expugnanda arce Farwangæ, quam Palmensis, cujus ea fuerat, & reliquorum conjuratorum famuli & clientes acerrimè defendebant, expugnata tandem, solo æquatur, qui in ea vivi reperti ad tres & sexaginta, capite pœnas luerunt. Aliæ item arces occupatæ, nec à vindicta cessatum est, quoad omnes cædis conscij, & affines aut dedêre pœnas, aut fugâ salutem quæsivêre. In hac necis paternæ vindicta, acerrimus executor fuit idem, qui periculo proximus adfuerat Leo-

Theobal. Mercator.

Excusatio Warthij.

Rotæ imponitur.

Conjugalis amoris exemplū.

Conjuratorum arces expugnatæ.

Leopoldus, quem multi minùs atrociter exercuiſſe quæſtionem putabant, pœnámque unde culpa orta eſt, ibi ſtare debuiſſe. Sed movit juvenilem animum rei indignitas, & in perſequenda juſta vindicta ardor: ubi enim ſemel arma ſumpſeris, iræ modū facere eſt dictu, quàm re facilius. Eliſabetha eo in loco, quo, ùt diximus, maritus ceciderat, cœnobium magnis ſumptibus extruendū locavit. Ex ditionibus verò conjuratorum & complicum necis Alberti per Leopoldum & Fridericum filios Monaſterium Monialium Töſſenſium prope Vitodurum & jam nominatum Königsfeldenſe dotatum eſt. Joannes diu profugus, & mutato ſæpiùs habitu procul hominum cœtu per avia vagus, & ad Pontificem, qui Avenione tum erat, ſupplex venit, parricidij veniam orat. Pontifex de Cæſaris cæde Cæſari cognitionem deberi reſpondet, eum accedat jubet. Joannes nunc mercatoris, nunc ruſtici, interdum & mendici perſonæ ſeſe occultans, Piſas tandem ad Henricum venit, lugubri habitu, & commiſſi veniam ſupplex orat. Henricus etſi cædis auctores morte afficiendos cenſuerat, Joannis tamen vitæ pepercit. Juſſu igitur Cæſaris Joannes Monaſterium, Auguſtiniani inſtituti Piſis ingreditur, ubi mortuus eſt, ſcelúſque perpetratum factus Religioſus multis fletibus deflebat. Meminit Joannis hujus Laurentius Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, ubi ſub titulo Religio enumerat Reges, Principes, Duces, qui ſub ſignis S. Auguſtini militârunt, & vitæ ſanctitate claruerunt. Unde Epitaphium:

Leopoldus acer paternæ cædis vindex.

Königsfeld Monaſterium.

Joan. fugitivus oberrat.

Monaſter. ingreditur

Moritur Piſis religioſè.

Mille trecentis Chriſti deca cum tribus annis,
Defecit juvenis Ducis Auſtri vita Joannis.
Idibus Decembris obit hìc Piſis tumulatus,
Inter nos animo virtutibus atque probatus.
Stirpis regalis fuit ex utróque parente,
Nunc immortali dotetur ab Omnipotente.

Ex narratis liquet, quòd percuſſores Alberti Cæſaris pleriq; infelici fato perierint: juſtitia enim divina æquiſſima lance omnibus ſuas rependit vices. Scelerum pediſſequa eſt calamitoſa miſeria: nemini debet eſſe impune manus violentas uncto Domini injeciſſe.

CAPUT XIV.

Elogium Alberti Cæsaris.

VIctoriam Triumphus sequitur,
Victoriosum Patrem Triumphator Filius,
Rudolphum ALBERTUS.
Utriùsque difficilis est eruditio, utriùsque gustus suavis.
Ut compendiosam viam ad Triumphos iniret Adolescens Regius,
Præceptorum vice Patris exempla accepit.
Asperitatem itineris emollivit prævia Augusti Majestas:
Solet enim non arduum videri, quòd ab alijs superari spectamus;
Quos si vel amamus, vel colimus,
Incitatiorem passum urgente vel affectu vel reverentiâ prosequimur.
Cùm quid faciendum esset, à faciente acciperet,
Alio hortatore non eguit, ut factum daret.
Ita rapitur ad similitudinem suorum excellens quæque natura,
Non stimulos expectat festinatio virtutis.
Non minima pars gloriæ est Patri, spectare sequentem filium;
Non minima filio, eò eniti gloriarum,
Quò Majores evaserunt.
Ut cum honore triumphos adiret, laborem victorijs dedicavit:
Quòd non ignoraret,
Nemini patere aditum ad Honoris templum,
Nisi per Laboris tigillum?
Victorias verò, ut ab exteris hostibus reportaret feliciùs,
A seipso gloriosè est auspicatus.
Vis scire, quid in seipso superaverit?
Adolescentiæ impetum, & gloriæ ambitum,
Utrique aliquid roboris est in omnes, accerrimum in potentes.
Aulæ somenta impetum alunt,
Natalium conditio ambitum fovet.
Ut faciliùs de minoribus hostibus triumpharet,
Potentissimum primo congressu dejecit.
Ut omnia deberet virtuti, nihil naturæ concessit.
Victoriæ hujus precium qui non intelligis,
Cogita etiam Hercules,
Post tot victorias, ab hoc hoste superatos:
Multum virtutis est, domare alios, plurimum verò seipsum.
Qui alium vincit, alium se minorem se ostendit;
Qui verò seipsum, seipso majorem se probat.

Poſtquam ergo naturam ad virtutis leges Triumphator coëgit,
Ductu Patris de Bohemis triumphaturus,
Contra Othogarum Regem progreditur.
Dubites, an duxerit Pietatis caſtra? an Martis legiones?
Utriùſque ſigna prætulit, utráque miles eſt ſecutus,
Dexterâ gladio, ſiniſtrâ Cruce armatus,
Per adverſas acies medium limitem deſcripſit intrepidus.
Spe Conſtantini eum fulciri credidiſſes:
Qui exiſtimaret, *infeliciter geri non poſſe bella,*
Quæ pro DEO & POPULO ſuſcipiuntur;
In quibus pari labore deſudat PIETAS & JUSTITIA.
Ea certè FUGAM VICTORIÆ NESCIT,
Quæ non minùs Conſilio Crucis peragitur,
Quàm acinacis INDUSTRIA.
Proſtratus Crucis auxilio Ottogarus,
Didicit, idem vincendi inſtrumentũ eſſe AUSTRIACIS, quod Deo.
Qui primus Mundi Principes inſtituit,
Ut Vicariâ ſui poteſtate fungantur in terris;
Iiſdem eos voluit armis uti ad ferendas victorias,
Quibus ipſe *ſalutem noſtram eſt operatus.*
Exinde victoriæ manubias in pietatis trophæa impendit,
Auguſtum Triumphatrici Cruci molitus templum:
Ut poſt ſæcula ſupereſſet memoria,
Fundatum à RUDOLPHO in Crucis ſigno AUSTRIACIS IMPERIUM,
In Crucis ſigno ad perennitatem ſtabiliri.
Viſus eſt ergo dignus, qui ſceptrum gereret ALBERTVS,
Qui Crucem & gladium in mutua obſequia coëgerat;
Illum enim ſolum dixeris verè Principem,
Qui Crucem & gladium,
Hoc eſt, Cæli tuendi, defendendæque terræ curas conjungit.
Non indigebat jam ampliùs, ut in cauſam ſuam
Vel inſtaret natalium felicitas,
Vel paternorum meritorum majeſtas peroraret.
Fortunatorum eſt illa magìs quàm felicium via,
Ad dignitatum ſolia alienis fulcris eniti.
Suffragium quidem ſunt ad Dominandi poteſtatem
Majorum ſanguis, Parentum gloria,
Principum gratia, populorum vota,
Sed, quod gubernacula ingerit, domeſticum eſt,

 Sapien-

Sapiente CONSILIO,
Et Conſtante INDUSTRIA *exercitata virtus.*
Quod deſignaverat olim Fridericus II,
Primus aſſecutus eſt ALBERTVS,
Ut Patris auctoritate, Procerum ſuffragijs, populorum votis,
Publicis Imperij Comitijs
ARCHI-DVX AVSTRIÆ diceretur.
Antequàm ab Imperij Concilio reverteret, prævolaverat fama,
Cùm novo principe novam gubernandi rationem ortam:
Extraneos ARCHI-DVCIS miniſtros pro libidine Aulam verſare,
Partiri honores, Provincias alijs imponere, alijs tollere,
Domeſticos peregrinis poſthabendos.
Exulceravit potentiorum animos *gubernandi novitas*
Semper aliàs in omni populo faſtidioſa,
Ut levius evitent malum, malum inconſulti gravius incurrunt.
Primæ ex Auſtria, Styria, Carinthia, & Carniolia familiæ,
Ut Jura Nobilitatis tueantur, in jura Principis offendunt.
Sumunt arma in ARCHI-DVCEM, cui ſanguinem debebant;
Sed ſeditionum eventus plerúmque eſt ſeditioſorum interitus,
Qui enim Regna diſpenſat Deus, gerit & Regum tutelam,
In quos nemo impune rebellat.
Potentiorum affectum ſecutus eſt plebeiorum furor:
Et audebant animæ viles, quod probabatur Illuſtribus.
Et, quia *ſuus etiam eſt ordo ſceleribus*,
Sine quo non patrantur ad Votum,
Factionis leguntur Capita
Otho Bavarus, & Antiſtes Salisburgenſis.
Detinebatur interim ALBERTVS
Cungenſium Comitum Ungarorum infeſtationibus reprimendis,
Quas provocaverat nova ARCHI-DVCIS gloria;
Ubi enim novi cumulantur honores, ibi fremit invidia:
Pyraticæ nempè hæc eſt indolis,
Quæ vacuis navibus parcit, onuſtas infeſtat.
Sed habuit muros Auſtria, ad quos laſſaretur ferocia;
Dum ALBERTVM pro ſe habuit bellatorem.
Stetit is primùm, ut fatigaret inconditum furorem,
Movit deinde caſtra, ut profligaret.
Cæſis armatâ INDVSTRIA Ungariæ Proceribus;
Sapiente CONSILIO Regis Andreæ amiciciam prenſavit:

Mali

Malè consultum ratus Provinciæ,
Quæ finitimos Principes habet inimicos:
Nemo enim vicino serpente securus dormit.
Obtinuit, quam quæsivit, Regis gratiam,
Dum ei Agnetem Filiam in matrimonium elocavit.
Ita maritale fœdus confines Principes affines fecit.
Pace constitutâ cum exteris in domesticos arma revertit,
Quos civile classicum concitaverat.
Belli ordinem designaturus,
Viennam Archi-Ducalem sedem petit;
Sed Catilinariâ potentiorum conjuratione excluditur Urbe,
Cui etiam sinum pectoris aperire debuissent.
Quod enim cor est in homine, hoc princeps est in Republica,
Utrique sua sedes debetur in pectore:
Nam subditorum fides nulla habet munimenta,
Quibus ab ipsis medullis Principem arceat.
Indoluit scilicet ALBERTVS,
Quòd vel Bellator, vel Judex eam urbem aggredi cogeretur,
Quam vel triumphator, vel Pater subire gestiebat.
Durum est enim bono Principi,
Suarum copiarum ferrum in propria viscera exercere.
At grandem injuriam vindicare æquè periculosum erat,
Ac difficile tolerare:
Despicitur Majestas, à qua subditi, quod libuerit, extorquent,
Lacerantur Regna & Provinciæ,
Si in commune delictum communis pœna fulminatur.
Stringit tamen urbem amplexu ferreo,
Quam maluisset paterno.
Sed qui filiorum indole positâ parentem abjuraverant,
Rei facti senserunt Judicem.
Depressit tandem ad submissionem dura necessitas,
Quos insolentia erexerat ad perfidiam.
Didicerunt, quid sit carere Principe,
Cum, nec qui præesset suppeteret, nec qui prodesset.
Desperatis in solis precibus & lachrymis spes refulsit.
Quod scirent,
Ut guttis lapides, ita lachrymis emolliri offensos animos,
Quibus humanitas & Clementia est agnata.
Effundunt sese Vrbe, qui ingressu Cæsarem vetuerant.
Nudant capita, quibus galeas præparaverant:

Nudant pedes, quibus suæ iniquitatis vestigia fixerant,
Adgeniculantur Principi, cujus Imperia detestabantur,
Mortis rei Vitæ veniam deprecantur.
Et quoniam *inhumanum est in depressos sævire*,
Maluit ALBERTUS superesse Cives, quibus imperaret,
Quàm tollere, qui peccaverant; ut paucioribus coleretur,
Populi enim numerus est gloria Principis,
Votum Neronis repetivit,
Cùm toti Viennæ unam cervicem optavit,
Non quam uno acinacis verbere diffinderet,
Sed quam stringeret uno complexu,
Auxit ARCHI-DUCIS Clementia ruborem sceleris,
Cùm, quod sperare non potuerant rei,
Obtinuisse stupuerunt.
Hæc est immortalis Principum gloria, quâ proximè Deo accedunt,
Non, quoties peccant homines, sua fulmina jaculari.
Non enim per exitia & interitus suorum bene colitur Princeps,
Qui solùm magnus est per multorum obsequia populorum.
Pacatis Viennæ rebus,
Tum demum Austriacus Annibal Styriæ montes perrupit.
Cœnobium ad Montes acto in fugam Præsule,
Tenebant Otho Bavarus, & Salisburgi Antistes,
Cum tota Catilinariæ conjurationis cohorte.
Asperitas loci, & tempestatis rigor, securitatem pollicebatur.
Sed Virtuti nihil est invium,
Pastore duce arcanum iter explorat & jugum tenet,
Nidum inexpectatus occupat,
Ut, qui eminùs trepidare ALBERTUM credebant,
Priùs oppressos se experirentur,
Quàm opprimi formidarent,
Extinguitur interea grande lumen orbis RVDOLPHVS,
Cujus funera ut deferret cælum se novo sidere oculavit.
Exortus enim feralis Cometa publicæ calamitati indoluit;
Nisì fortè jubente Deo stellam hanc enatam dicas,
Ut ALBERTO ducatum præstet ad Imperium:
Nam & olim stella Regibus iter signavit.
Et evasisset omnino hæres paternæ virtutis ad Imperij dignitatem,
Si jura favissent æquitati, & Judex merita respexisset;
Sed unius sæpè astus multorum sana consilia pervertit.
Gerardus Moguntinus Elector arrogatâ potestate Dictator,

Sui sanguinis amantior, quàm publici boni,
AVSTRIACVM magis æstimans, quàm amans,
Adolphum Nassovium magis amans, quàm æstimans,
Iniquum causarum diribitorem affectum secutus,
Precariò conductis Procerum suffragijs
Adolphum Austriaco anteponit.
Non tulisset ambitiosus, quod dissimulavit ALBERTVS.
Poterat spem promovere viribus,
Qui cùm & Fortunæ, & naturæ dotibus præstaret,
Numerosissimo quoque stipabatur exercitu;
Quo, si suffragia non impetraret, imperaret;
Sed dignum se Imperio præstitisse contentus
Imperium non ambivit.
Quòd crederet, *immerentium esse ambire sublimia*,
Merentibus, si quandoque ea effugerent, aliquando obventura,
Quæ enim præcoci contemptu præteritur Virtus,
Tandem subeunte pœnitudine æstimatur.
Expertus demùm per Imperij damna Moguntinus Archi-Præsul,
Pessima esse consilia, quæ privatus dictavit Affectus,
Quæ Germania per Adolphum patiebatur probra,
ALBERTI virtute corrigere satagebat.
Nam Principum ac populorum in Adolphum indignatione,
Turpissimi sui admonebatur erroris Gerardus,
Et, quia, *Consilij eventus in Consultorem remeat*,
Suas reputabat calumnias, quæ in Adolphum jaciebantur,
Una supererat medicina malo, ut redigeretur in ordinem,
Qui Majestatis pondus non gerebat pro dignitate.
Tentavit Septemvirorum judicia, & prompta reperit:
Facilè enim id persuaseris in quod jam alterius mens inclinavit,
Diem ergo Comitiorum evulgat,
Quo segni strenuus, avaro liberalis, impuro continens,
Improbo probus, Germaniæ faci Imperij Pater sufficiatur.
Eligendi difficultatem sustulit ALBERTI Virtus,
Quæ, cùm nulli par esset, omnibus superior,
Facilè sibi omnium prudentum suffragia attraxit.
Lectus AVGVSTVS in exauctoratum AVGVSTVM movet,
Ut Majestatis nomen & insignia ponat.
Acri bello & multorum sanguine constitit grande nomen.
Hæc ferè infelicissima Regum conditio est,
Ut non evadant ad purpuram, nisi per sanguinem.

Confecto Adolpho amores Germaniæ lucratus est, non Romæ,
Illa eum Aquis coronavit, ista electionem firmare distulit:
Noluit benefacere BONIFACIVS, nisì coactus;
Sed perdit beneficij laudem, quod extorquet necessitas,
Liberalis animi partus abortus fit,
Si necessitate protruditur;
Firmavit tamen in solio ALBERTVM,
Ut Franciæ solium everteret,
Quasi verò per aliorum ruinas stabiliantur Imperia.
Fulminato anathemate Galliarum Rege,
Regnum obtulit ALBERTO;
Sed ut sui custos Regni, ita alieni minimùm avidus,
Contemnere potuit, quod habere licuit.
Hic certè magnus est animus,
Non qui magnis, ut fulcris nititur,
Sed qui sublimia quæque seipso reputat inferiora,
Vecors sæpè excelsa tenuit,
Quæ amplissimæ capacitatis animus contempsit.
Accessit ad magnanimitatem fides Gallo data,
Quæ tantis pollicitationibus non potuit labefactari.
Affinis Galli per Rudolphi filij cum Blanca conjugium factus,
Maluit Cæsareo verbo stare,
Quàm fœdifragus novi Regni possessione augeri:
Inglorium ratus, *fœdera verbis icere, quæ facto rumpas.*
Sed TRIUMPHATORI nova objiciuntur bella,
Ut triumphos cumulet;
Othonis Bavari & Salisburgensis Archi-Præsulis vetus ulcus
Omni ALBERTI gloriâ exacerbatur,
Ita surgentibus & in fastidio positis accrescit invidia,
Nemo enim neglecti conditioni insidiatur.
Horum iniquis factionibus excitati Septemviri,
Rebellia membra in Caput consurgunt.
Sed habet fulmen Aquila,
Quo minorum gentium aves compescat,
Nunquam ad bellum ruitura, nisi cogatur,
Sed quò pacis amantior, hoc irâ severior,
Donec prostratos submissè videat, qui elati superbè ferebantur.
Cùm armis fremeret ALBERTVS, trepidabant rebelles,
Et cùm latebras fugitivi quærerent, nusquam invenerunt,

Nisi

Nisì ad ejus pedes proſtrati, quem fugiebant;
Divina hæc eſt Regum conditio,
Quòd nuſquam reis tutius ſit Aſylum,
Quàm apud ipſos offenſos.
Fractâ pertinatiâ ſceleris extinxit vindictæ cupiditatem,
Et, quod ſtupeas,
In ipſo calore victoriæ locum dedit Clementiæ;
Difficile enim eſt, quando fortuna furorem acuit,
Etiam innatæ benignitatis non oblviſci.
Merebatur hæc Imperatoris lenitas,
Ut rebelles ſuæ pœnitudini fictionis larvam detraherent.
Sed tempeſtas à Nautis vota extorquet & preces,
Quæ reſtituta ſerenitate naufragantur,
Per abuſum ipſa Cæſaris Clementia
Facta eſt miniſtra iniquitatis:
Ut auderent occultè, quod palàm timebant,
Sceleſtiſſimo dolo Cæſarem impetere,
Tutior viſa eſt nocendi via per blandas inſidias;
Venenum per corruptos Sycophantas miſcent,
Ut vitam ei tollant, per quem ipſi vivebant.
Quid non formidandum eſt Regibus,
Si per ipſas epulas, quarum fructus eſt vivere,
Magnorum Capitum mors præparatur?
Luctabatur jam in Viſceribus lethum,
Sed robur ademit toxico virtus Principis,
Occidi non potuit, quia non debuit,
Unâ viâ ingreſſum venenum quaternâ violenter eſt rejectum.
Adeò pugnabat bonitas Cæſaris hauſtæ malitiæ,
Ut plures cogeretur ad exitus, quàm aditus repererit.
Acrimonia tamen poculi & oculum violavit, & colorem,
Ut & Monoculus deinceps eſſet Imperator,
Et colorem mortis, quàm evaſerat, ſervaret in vultu;
Sed neque inde minùs vidit, nec minùs vixit,
Providus ſemper in futura, animoſus in pericula,
Auſtriaci nominis ſplendorem primus Bohemiæ intulit,
Cui Rudolphum filium Regem dedit.
Sed hic vix viſus, evanuit venenô ſublatus,
Ita bonorum vel non ſecura, vel non longa poſſeſſio eſt.
Ubi vacavit Bohemiæ Corona,
Turbata ſunt Bohemorum Procerum ſtudia,

Quia enim qui eligitur unus eſt, qui eligunt plures,
Arduum eſt multorum capita in unam ſententiam cogere.
Alij Henricum Carinthiæ Ducem poſtulant,
Alij FRIDERICVM ALBERTI Filium juniorem,
Cui inita cum RVDOLPHO & ALBERTO fœdera patrocinabantur.
Sed æquitati prævaluit favor;
Ita in Regum Aulis frequenter
Non tam, quid expediat, cogitatur; quàm quid libeat:
Et pronior ſemper in eam partem eſt inclinatio,
Quam premit affectus.
Evocatur à Bohemis Henricus, ut clavum Reipublicæ teneat:
Fœdera de ſufficiendis ſemper ALBERTI Filijs negliguntur,
Bello decidenda lis fuit, communi Regum infelicitate,
Quibus eam legem æmulorum poſuit ambitio,
Ut prius mutuo ſanguine tingatur purpura, quàm murice imbuatur.
Occurrit cum numeroſiſſimo exercitu ALBERTUS Henrico,
Ut pacta facto afferat, & FRIDERICUM Regem ſanciat,
Victoriam jam gerere videbatur in ſinu, cùm vitam perdidit
Ad ripam Rheni ejus manu transfoſſus, quem ipſe educaverat,
Ita in portu victoriæ fecit naufragium vitæ
Auſtriacus Achilles, Mars Alemannicus ALBERTVS,
Qui numero ſignorum Zodiaci ſuas victorias diſtinxit & Triumphos.
Sed Principum vita cordi eſt ſuperis,
Nec moriuntur inviti alienæ Vitæ protectores,
Cædit auctorem, præcipitavit Fortunam ſocios eliſit.
Nuſquam tutus eſt, qui teſte cœlo eſt reus.
Diſcite Juſtitiam moniti, & non fundere Regum
Ferro rebelli ſanguinem.
Nam COR REGIS IN MANU DEI EST,
Fulmen cælo provocat, qui illud impedit.

CAPUT XV.

Æmulatio de Pomo Imperiali. Sepultura Alberti Cæſaris Spiræ celebrata. Joannis filij Henrici Cæſaris nuptiæ cum Eliſabetha nepte Rudolphi I. Cæſaris.

BOhemiæ Regnum Henricus Carinthius cum Anna uxore ſolus jam abſque competitore, ſive æmulo gubernabat. Fridericus enim Auſtriacus, cui poſt Rudolfum fratrem vitâ functum pater id regnum armis aſſerere ſtatuerat, eo ipſo è vivis ſublato, ad Imperij dignitatem animum adjiciens, minus jam de Boëmia laborabat. Is competitorem habebat Philippum Pulchrum, Galliæ Regem, qui magna ambitione, multíſque largitionibus ſummum decus à ſuis, utì ferebat, majoribus partum, & Germanis traditum ad ſe transferre nitebatur. Pontifex verò Electores per literas & nuncios exhortabatur, ut electionem maturarent, antequàm Rex aliquid moliretur. Ex ea re magnū Regis odium Pontifex incurrit. Utróque igitur præterito, Henricus Lucemburgi Comes eo nomine ſeptimus, domi militiæque vir præſtans Francofurti, fine Novembris Anni 1308. Romanorum Rex ſalutatur. Is ſequentis anni initio, Sacro Epiphaniæ die, quo clariſſimi ſideris ductu tres ex ultimo Oriente Reges ad Chriſtum profecti, & ipſe Rex apparere Chriſto, ſacrâque inauguratione ſuâ illius diei lætitiam Aquiſgrani cumulare voluit, quare argenteam majorum inſtituto coronam adeptus, alijſque partis Regni inſignibus, ipſe cum uxore Margarita, ſanctiſſimâ Præſulum cæremoniâ Rex conſecratus eſt. Inde Coloniam prodijt, veneraturus ſacra trium Magorum corpora, quæ aureis oblatis, gemmeíſque donarijs, inſigniter honoravit.

Henricus VII. Rex Aquis coronatur.

Coloniâ in Lutzenburgiorum natale ſolum, propriúmque flexit iter, unde Spiram non multò pòſt ad trajiciendos occiſorum Regum cineres feſtinavit, & quo, aut illuſtrior extaret ipſius in deceſſores pietas, aut quòd ita conſuêſſent ſucceſſores, majorum ſepulchris exſtinctos Reges intulit. Cæſaris Adolphi, quòd arctâ hunc ſanguinis propinquitate contingeret, ſuismet humeris capulum ſubijſſe ait Nemetum ſcriptor, proſecutum lugentis habitu cum lachrymis, Balduini Archi-Epiſcopi Trevirenſis acta prodidêre. Alberti funus Regina Hungariæ Alberti filia ſub brachiorum alis ad pompam incedente deduxit, & exequijs magnâ

Sepelit Reges deceſſores.

religione, publicè per Episcopum Spirensem Sigebothonem procuratis, Adolphum mausoleo Agnetis, quæ Filia fuit Friderici secundi Imperatoris, cum ejusmodi titulo condidit:

ANNO DOMINI M. CCXC. VIII. ADOLPHUS DE NASSAVVE REX ROMANORUM VI. NONAS JULIJ OCCISVS. ANNO VERO REGNI SUI VIII. Albertum inde, Beatricis Ahenobarbi conjugis sepulchro amplissimè funeravit, hâc insculptâ mortis oppetitæ memoriâ.

ANNO DOMINI M. CCC. VIII. KALEND. MAIJ ALBERTVS ROMANORVM REX RODOLPHI ROMANORUM REGIS FILIVS OCCISVS. ANNO SEQUENTI IIII. KALEND. SEPTEMB. HIC EST SEPULTUS.

Regimen Henrici Carinthi impium.

Anno 1310. Regnabat adhuc in Bohemia Henricus Carinthius, sed ejus regimen prorsus tyrannicum fuit, illudque triennio perferre debuit Bohemia. Ignari porro Proceres quo pacto tyrannicum validè jugum excutere possent, ad præpotentem tunc familiam Lucemburgicam in Imperio ad clavum sedentem, illuc vota & consilia proceres ac præcipuè Joannes Episcopus Pragensis direxerunt. Itaque missa legatione ad Cæsarem Henricum ejus filium Joannem oblatâ priùs in Conjugem Elisabethâ minimâ natu Wenceslai II. Regis filiâ, sibi in Regem dari postulârunt. Suscepta petitio à Cæsare gratanter est: Regia Virgo Elisabeth Wenceslai II. Regis filia, filio Henrici Lucemburgici octodecennis quatuordecenni despondetur; missus cum copijs Germanorum Joannes Adolescens, exercitui Bohemorum, quem ductabat Henricus de Lippa, conjungitur; felix Regno auspicium Plsnenses dedêre, qui patefactis portis Regem suum primi agnovêre; eâ gratiâ Joannes Plsnensibus deditissimus, suam effigiem armatam clypeo Urbis adjecit in urbica porta stanti, ut indicaret se per hanc Urbem ad Regnum Bohemiæ aditum habuisse; quo

Plsnæ laus.

beneficio ornata Plsnensis Civitas, ab eo tempore semper in fide Regum, vel cum extremi exitij periculo permansit. Ob tantam autem fidem multum à Regibus præsertim ex Domo Austriaca amata, multísque Privilegijs ornata. Admirari lubet hìc divinam providentiam in expellendo è Regno Bohemiæ Henrico Carintho, & inducendo in Regnum Behemiæ Familiam Lucemburgicam. Per hanc enim Austriaci Principes, avitum jus postliminio in Regnum Bohemiæ post mortem Cæsaris Sigismundi revocârunt. Is enim unicam filiam Elisabetham

Regni hæredem poſt ſe reliquerat, quæ vivente adhuc Sigiſmundo Alberto Archi-Duci Auſtriæ, qui poſtea Imperator nominis hujus ſecundus fuit, deſponſata eſt.

CAPUT XVI.

Odium Henrici Cæſaris in filios Alberti, quod tandem favore mitigatur. Sponſalia Catharinæ filiæ Alberti I. Cæſaris cum Henrico VII. Cæſare, Sponſæ Virtutes & pia mors.

Auſtriacæ Provinciæ ſæpe bellorum cauſas dedêre. *Gerard. de Rhoo Hiſtoria Auſtr. Lib. 2.*

ANno ſupra memorato filij Fridericus, Leopoldus, Henricus, Albertus & Otto Cæſarem Henricum hoſtem primò, deinde fautorem experiuntur. Petierat Cæſar vocatis ad ſe Principibus Auſtriacis, ùt Auſtriæ & Styriæ Imperio decederent, quod multis verbis perſuadere conatus eſt. Cúmque has provincias magnorum ſæpe bellorum cauſas præbuiſſe, & quinque jam Regibus fatales fuiſſe diceret, excedens ex conſilio Fridericus, videndum eſſe ait, nè ipſe, ſi ſe fratréſque hæreditate exuere pergeret, ſextus ad illorum numerum accedat. Cæſar poſtea à Principibus adductus, poſſeſſionem illis provinciarum confirmat in has conditiones, ut in Italiam ituro ſibi cum ducentis galeatis præſtò ſint. Quo ipſo tempore motus quidam in Auſtria à nonnullis Proceribus excitatur, qui Ottonis Bavari Hungariæ Regis (is ex captivitate elapſus in patriam redîerat) auxilijs freti, novis rebus ſtudebant & Principibus legitimis obſequia præſtare abnuebant. Ejecti Vienna & ex alijs locis Principes præter duas arces, & novam Civitatem nihil in Auſtria habebant; cauſam defectionis memorabilem adducit, qui tum vivebat, Franciſcus Canonicus Pragenſis: quòd videlicet fratres Principes, patrijs hominibus & Auſtriacâ Nobilitate præteritâ, Suevos advocarent, Reipublicæ admoverent, ijſque præcipua quædam in Auſtria munia, ac dignitates conferrent. Principes tam turpiter à ſubditis excluſi Henrici VII. Cæſaris auxilium implorârunt, polliciti ſe acturos, ut dotales urbes, quas adhuc in Bohemia Eliſabeth vidua Rudolphi eorum fratris obtinebat, Joanni Regi Bohemiæ reſtituerentur; Henricus igitur Principum cauſam ſuſcepit, ejúſque operâ ſunt reducti. Aliter hæc narrat Gerardus de Rhoo in Hiſtoria Auſtriæ, affirmans Auſtriacorum conatus in ipſis principijs ſine

Vienna adverſus Dominos conſurgit. *Epitome rerum Bohem. Lib. 3. c. 17.*

Lib. 2. f. 82.

magno negotio oppreſſos per Udalricum à Waldſee Styriæ Præfectum.

Friderici Auſtr. Favor in Garthuſianos.

Anno 1311. Fridericus Dux Auſtriæ non contentus, quòd Toſſenſe Monialium Cœnobium proventibus annuis auxiſſet, & cœptum Königsfeldenſe locupletius reddidiſſet, mirâ Carthuſianorum innocentiâ ac vitæ integritate captus, eos magis magíſque colere, & tanquam Angelos quoſdam de cælo miſſos venerari cœpit. Utque eorum vigiliæ, preces, & exempla publico ſervirent, eos in inferiorem Auſtriam advocare, & de conſenſu ſuorum fratrum Cœnobium fundare conſtituit.

Henricus VII. Imp. in Italiam proficiſcitur. Annales Trevirenſes ad anni 1311. Bibliotheca ſcriptorum Societatis Jeſu Nathanaelis Sotnelli f. 139.

Eodem anno Henricus VII. Imperator comparato magno pedeſtrium, atque equeſtrium copiarum numero in Italiam ad capeſſendam Coronam proficiſcitur: ſequitur ex Belgio ingens Imperatorem nobilitas. Ex Germanis propè innumeri Italiam petunt, quos inter Leopoldus Auſtriæ Dux, Alberti Cæſaris filius mille & quadringentorum equitum ſelectiſſimorum turma ſtipatus, ſolers & rei omninò militaris peritiſſimus, quibus titulis eum ornat Chriſtophorus Broverus Societatis JESU Annalium Trevirenſium Scriptor celeberrimus, Antiquitatíſque tum Eccleſiaſticæ, tum prophanæ eruendæ feliciter ſtudioſus, hócque nomine à Cardinali Baronio Tomo Annalium Eccleſiaſticorum X. mirificè aliquoties laudatus.

In hac expeditione Cæſari magno uſui fuit Leopoldus, Mediolani enim cum mille quadringentis Germanis relictus à Turrianorum molitionibus urbem tutatus eſt, & poſt egregiè navatam operam Joannis patruelis ſui parricidæ hæreditatem Cæſaris beneficio obtinuit.

Brixia à Cæſ. ſubacta.

Anno 1312. Cæſar Henricus Brixiam dudum obſeſſam ad deditionem cogit. Fracti enim jam animis ac ferro, vigilijs & inopiâ cibariorum attriti, conſilium urbis dedendæ Brixienſis jam anno 1311. exeunte ceperunt, opportunum profectò remolliendæ Cæſaris iræ. Igitur ceu ſuſpendioſi capiſtris in colla injectis, ſeſe portis ſupplices effundunt, ac magnâ cum miſericordia, ut in deditionem Rex eos accipiat, petunt atque obſecrant, nec gravius etiam in liberos, conjuges, atque fortunas ipſorum ſtatuat, deprecantur. Henricus poſſeſſionibus ſalutíque eorum ſe conſulturum oſtendit, ſi ſexaginta millia nummorum appendant in belli ſumptum, & obſides ſexaginta juſſi tradant. Quod ubi ab ijs factum, muris cum turribus proſtratis, per expletas aggere foveas, partémque murorum disjectam, civitatem

tem triumphantis in modum Rex introijt, atque aliquot ibi diebus moratus, cum Balduino fratre Archi-Episcopo Trevirensi jus dixit.

Rebus Brixiæ constitutis in Liguriam hibernatum concessit, ac Genuæ omni officiorum & honorum genere, clavibus obviam portatis, exceptus; tristes istic ferè menses, dum hyems maximè desæviret, cum militiæ Ducibus & Palatinorum comitatu substitit. Regina conjux per id tempus morbo admodum tenaci conflictata, & sive quassato fatigationibus corpusculo, sive Italici cæli insolentia attenuata, undecimo Decembris moritur. Cùm & in hac obsidione magno usui esset Cæsari Leopoldus Austriacus, statuit in sequenti anno Cæsar ejus sororem Catharinam accipere in uxorem, ut hoc vinculo & favore Austriacorum Principum potentiam suam magis firmaret. Verùm, ùt incerta sunt humana omnia, Henricus Cæsar medio in spatio, & in ipso rerum maximarum conatu, alienissimo Italiæ, atque Imperio Romano tempore, priusquam portum conspicere potuit, occidit vigesimâ quartâ Augusti die, qui sacer erat sancto Bartholomæo, annum agens unum & quinquagesimum, cùm regnasset annos tres, menses octo, annúmque imperâsset & mensem, diésque viginti & ampliùs. Jamque insigni apparatu in Italiam ex Austria Catharina deducebatur Alberti Regis filia, ad ipsius Imperatoris connubium evocata. Et Henricus in honorem Sponsæ etiam monetam cudi curaverat, in qua ab una parte Catharinæ effigies cum inscriptione:

Catharina Henrici VII. Imperatoris uxor, Alberti Imperatoris filia cernebatur; in altera flos obversus Soli cum hac inscriptione:

Deorsum nunquam.

Quo indicare voluit ejus jugem cælestium contemplationem, quæ cum formæ præstantia toti Christianitati nota fuit. Nupsit postea Catharina Carolo Duci Calabriæ, & obijt anno 1323. De qua ad annum 1319. Lucas Wadingus Annalium Minorum celeberrimus Scriptor hæc refert: Paulò, inquit, ante hoc tempus originem habuit Monasterium Clarissarum Campi regis Constantiensis Diœcesis ab Elisabetha Romanorū Regina, sed dum morte præventa non instruxit sufficienti dote, Catharina ejusdem & Alberti Imperatoris filia, neptis Rudolphi Imperatoris, & soror Friderici Austriaci in Regem Romanorum electi, quæ nupsit primùm Henrico VII. deinde Carolo Duci Calabriæ, Roberti Regis Siciliæ filio, ejus patrocinium suscepit, obtinuítque à Joanne Pon-

Genuæ Cæsar excipitur.

Mortua conjuge sponsalia init cum Catharina Austriaca.

Moritur in ipso apparatu nuptiarum an. 1313. *Annal. Trevirens. ad an. 1313.*

Monetam curat in honorem Sponsæ.

Lucas Wadingus in An. minor. ad annum 1319. N. 18. f. 242. Monaster. Campiregis.

tifice, ut ei uniretur Eccleſia Parochialis in Windeſch dictæ diœceſis, cujus jus patronatûs pertinebat ad ipſum monaſterium. *Apoſtolicæ Sedis* 8. Idus Julij. Impensè diligebat (verba ſunt citati authoris) hæc heroïna Ordinem Minorum dum vixit, apud quos ad ædem S. Laurentij Neapolis tumulari voluit, dum in juventutis flore nullâ relictâ ſobole obijt anno 1323. hoc appoſito Epitaphio.

Hic jacet Catharina filia Regis Alberti, & Neptis Regis Rudolphi Romanorum Regis, ac ſoror Friderici in Regem Romanorum Electi, Domini Auſtriæ, ac conſors ſpectabilis Caroli primogeniti Domini Principis, Domini Roberti Dei gratia Hieruſalem & Siciliæ Regis Illuſtris, Ducis Calabriæ, ac Domini noſtri Vicarij Generalis inſigni vita, & moribus exemplaris, quæ obijt Neapoli anno Domini noſtri Jesu Chriſti M. CCC. XXIII. die XV. Menſis Januarij indict. VI. Regnorum prædicti Domini noſtri Regis anno XIV. cujus anima requieſcat in pace, Amen.

Moritur quoque anno 1313. V. Cal. Novemb. Eliſabetha Alberti I. Cæſaris conjux, ac nurus Cæſaris Rudolphi I. atque Auſtriacæ propaginis feliciſſimæ hucuſque productrix. Cuſpinianus eam prædicat Illuſtriſſimam fœminam, magni & acuti ingenij, quæ ſalis mineram & uſum faciendi reperit in Auſtria propè Gemundam. Ut verò largitori Deo liberalem ſe cum Alberto marito probaret, annuam penſionem Salis Auſtriæ Cœnobijs aſſignavit, vocatúrque Sal ille (Gotts Heil-Saltz) Saluber Dei Sal, vel Sal Divinè ſalutaris. Sepulta eſt Eliſabetha in *Campo Regio*, vernaculo idiomate *Königsfeld*, quod Cœnobium ad mariti memoriam & honorem cum prolibus conſtruxit.

CAPUT XVII.

Duo ſimul Cæſares eliguntur. Bellum ex hac Electione ortum.

Interregn. in Imper. *Gerard. de Rhoo Hiſtor. Auſtr. l. 2. f. 48. Petr. Bert. Comment. rer. Germ. l. 2. f. 256.*

MOguntinus Elector pro munere ſuo ubi reliquos Electores Francofurtum ad eligendum novum Imperatorem convocâſſet, eò etiam Fridericus Auſtriacus, qui quòd Imperatoris eſſet filius & nepos, gratiáque & viribus polleret, apertè pro ſe ambiebat ſuffragia, adnitentibus etiam pro ipſo fratribus Leopoldo & Alberto; operámque ſuam addicentibus Rudolpho, & Ludovico ejus fratre, amitæ Mechtildis filijs. Horum ope jam penè confecta res erat, cùm Moguntinus, Trevirenſis & Bohemiæ Rex Ludovicum occupant, monéntque ut patiatur ſibi dignitatem

gnitatem istam deferri. Qui cùm fidem Friderico Austriaco jam datam opponeret, suggessit ei exceptionis legem Moguntinus, in promissis istiusmodi semper intelligi immunem esse personam eam quæ loquitur, cùm par sit, ut sibi quisque bene esse malit, quàm alteri: Ergo Ludovicum delegerunt Moguntinus, Trevirensis, & Rex Bohemiæ; quibus suffragium suum accomodavit Legatus Brandeburgicus. Fridericum verò Coloniensis, Palatinus, & Saxo. Ambo igitur à sua quisque factione electi, Ludovicus Aquisgrani à Moguntino, Fridericus Bonnæ à Coloniensi, hic à quo debuit, non ubi debuit; ille ubi, sed non à quo debuit, coronati sunt, ùt ait Albertus Argentinensis. Hinc cùm alter alterum vitiô creatum esse contenderet, neuter verò abiret Magistratu, multis inde magnísque incommodis, & intestino bello Germania involuta est. Bavarus Oppenheimum, Austriacus Heidelbergam vires undíque contrahunt, & quàm plurimos quisque potest donis, promissis, precibus, minisq; sibi conciliant. Inferiores ad Rhenum civitates Ludovicum agnoscebant, superiores Fridericum. Inter Helveticos pagos Urios, Underwaldios, & Suitzenses Ludovicus obsequentes habebat, Fridericus oppida cætera præter Bernam, & Solodurum, quæ utrumque aversabantur. Cum Austriaco Comites & nobiles quidam imprimis Hugo, Henricus, & Albertus fratres Werdembergici fœdus contra Ludovicum, Urios, Suitzenses, & Undervaldios faciunt. Illorum auxilijs ad se vocatis Leopoldus, is qui posteà *Gloria militum* cognomen tulit, in Suitzenses duxit, sed mille quingentis (si benè numerum inijt Stumpfius) amissis retrocedere coactus est. Aderant in ejus exercitu Tigurini quinquaginta, suæ civitatis colorem induti, qui omnes ad unum cæsi sunt, & Tigurini post adversam pugnam Ludovico se adjunxêre. Interim per vicinas regiones summa annonæ & aliarum rerum, quibus vita humana carere non potest, penuria erat, & itinera passim latrocinijs infestabantur. Multæ igitur civitates fœdera inter se sanciunt, præfectos creant, seque ipsæ ab aliorum vi & injuria defendunt. Moguntia, Argentoratum, Spira, Nemetum, & Vangionum urbs conducto milite vias, ut tutò inter se commeare mercatores possint, latronibus purgant: Fridericus interim Eslingam arcta obsidione cingit, Nigríque amnis alveum ab oppido avertere adnititur, eam rem cives missilibus impediunt. Cúmque videret Rex ad expugnandum non satis validas se copias adduxisse, post mensem discedit, & comparatis omnibus, quæ deesse sibi notaverat, se-

Duo Cæsares simul electi, Ludovicus Bavarus, & Fridericus Austr. *Gerard. de Rhoo suprà citatus.*

Intestinũ Bellum.

quenti anno obſidionem inſtaurat. Cives verò & ipſi propugnando oppido neceſſaria curaverant. Igitur toleratâ aliquamdiu obſidione, nuncios ad Ludovicum Regem mittunt, non diutiùs ſe crebras oppugnationes durare poſſe, quare ſuppetias actutum veniat, aliter non ſe tantùm, ſed alias quoque civitates Friderico deditionem facturas. Hoc nuncio perculſus Ludovicus, acceptis à Boêmorum Rege auxilijs accurrit, caſtra non procul ab hoſte ponit. Qui pabulatum exiêrant, velitari primùm inter ſe, nunc hi nunc illi cedere, utríque à ſuis ſubſidia petere, donec accurrentibus utrímque multis juſta conſeritur pugna, certatur totum ferè diem, plures equi quàm viri cadunt, nox pugnam dirimit incertâ victoriâ. Indè omnibus bella civilia execrantibus, à neutra parte in aciem proceſſum, & tacito quodam conſenſu, à cognato ſanguine hauriendo utrímque temperatum eſt. Ludovicus verò ut Auſtriacos ab obſidione Eſſingæ avocaret, arma ſe in ipſorum ditionem translaturum rumore vulgabat. Interim Leopoldus copias omnes Spiræ Nemetum admovet, cui cùm obviam ex itinere Ludovicum ire audiviſſet Fridericus, fratri ſe conjungit, quâ de re certior Ludovicus, pugnæ copiam facere noluit, quòd diceret Fratrum concordiam arcanâ quadam lege naturæ invictam eſſe. Itaque in Bavariam ducens Fratrem Rudolphum, quòd Friderico ſuffragium dediſſet, nec opinato adventu propè oppreſſit, eóque fuga elapſo, omnem ejus ditionem occupavit, quam tamen poſteà è vivis ſublati filijs reſtituit, eorúmque tutelam, quo ad pubertatis annos excederent, geſſit.

Fratrum concordia inexpugnabilis.

Interim cùm Romæ à morte Clementis diu Pontificia ſedes vacâſſet, electus erat Joannes XXII. Eum utérque Romanorum Rex in ſuas partes ſollicitabat, & rejecto altero, electionis confirmationem pro ſe petit. Pontifex auditis utriúſque Legatis, Ludovici poſtulata abnuit, Friderici in aliud tempus rejicit, dubium utrúmque relinquit. Nihilominus ſubſequente anno Fridericus Imperium ſibi ſtabilire conatur, apud quem Pontifex contra Ludovicum & ei adhærentes, miſſis ad Fridericum nuntijs, duo equitum millia, cum exercitu peditum haud contemnendo impetrat, ipſi confirmationem Imperij, fratri ejus Alberto Archi-Epiſcopatum Moguntinum paciſcitur. Cum ijs copijs Henricus Friderici frater in Italiam profectus eſt. Otto & Albertus bello abſtinuerunt, hic quia pedibus æger erat, ille quòd ductâ in uxorem Eliſabethâ Stephani Bavariæ Ducis filiâ, arctam cum Ludovico affinitatem haberet. Fridericus etſi facilè animadverteret,

1317.

verteret eam Pontificis postulationem magìs ex ipsius,quàm Imperij commodo esse, nè tamen æmuli Regis partes per Italiam nimìs invalescerent, Pontifici obtemperandum esse statuebat. Ea enim Pontificis auctoritas, ea apud pleróſque reverentia erat; ut ab ejus confirmatione Imperatoria dignitas penderet, multíque per Germaniam neutrum ex Regibus agnoscere vellent, quoad de Pontificis voluntate constaret. Nec deerant Ecclesiastici quidam proceres, qui ob denegatam Ludovico confirmationem, Friderici partes sequebantur. Qui, cùm eo facto quamplurimos offendi videret, nè proprij commodi aut ambitionis gratia Imperij jura in Italia labefactaret, copias eò missas domum revocat. Sunt, qui & à Gibellinis missos ad eum legatos monuisse dicunt, timendum esse, nè adjutus ab ipso Pontifex omnia per Latium, Hetruriam, & Insubriam loca, quæ sub ditione & judicio Imperij fuerant, sui juris faciat, ità ut neque ipsi, nec cuiquam alteri Rom. Regi tutus imposterùm aditus Romam pateat, neque enim pro ipso, sed contra Imperium ea auxilia esse missa, cui commodare potiùs, quàm officere deberet. Henricus nuncijs à fratre acceptis, nè Pontificiorum animos offenderet, aliam discessui causam prætexit; quas secum habebat copias suo stipendio militare, quos diutiùs in officio retinere non posset, nisi civitates nonnullæ in belli sumptus pignori tradantur. Id cum negatum haud præter opinionem ejus fuisset, cum suis in Germaniam redit, neque promissis ullis retineri se patitur. Fridericus postea legatos in Italiam mittit, offensum Pontificis animum lenit, pacem, quia inter factiones facere non potest, inducias conciliat.

Anno 1313. Leopoldus Dux Austriæ, qui insigni rei bellicæ gloriâ sub Henrico VII. Cæsare in Italia militârat, quòd gravius à Ludovico Rege bellum imminere cerneret, cum Suitzensibus, eorúmque fœderatis bellum gerens inducias ad quinque annos facit, Solodurum dum obsideret, quod oppidum præter cives, præsidium quadringentorum militum, quos Bernates eorum socij miserant, habebat. Leopoldus supra oppidum ponte sublicio Arulam fluvium junxerat, quo, dum copias suas trajicit, inundationibus soluto, multi periêre, oppidani verò (rarô inter hostes exemplô) complures submergendi periculo lembis & porrectis hastis ereptos, absque precio in castra ad Leopoldum misêre, qui hoc eorum facto motus, bello ultrà persequendos esse non putavit, & paulò pòst Bernam profectus pacem cum vicinis civitatibus fecit.

Necdum Anno 1319. cessatur ab armis, quin imò tota eo bello fervet Germania; Leopoldus enim Austriæ Dux cum exercitu satis valido in Nemetes movet, agros eorum, qui cum Ludovico sentiebant, fædè pervastat, cùm neminem exire ad pugnam videret, magnas secum prædas agens in Ergoviam revertitur, milites pleró sque missos facit. Interim ut suis opem ferret Rex Ludovicus, crebris antea nuncijs vocatus, cùm magna militum manu adcurrit, quâ re compertâ Leopoldus copias quas potest revocat, novas conscribit, magnísque itineribus ad Udalricum Ferretarum Comitem, & Joannem Argentoratensem Episcopum, qui castra propè Bruscam amnem habebant, contendit. Cùm verò Ludovicus advenire diceretur, Leopoldus Bruscâ trajecto retrocessit, castrísque ad Holtzhemium positis reliquas equitum & peditum cohortes, & fratrem Regem cum suis advenientem expectat. Argentoratenses, qui Fridericum hactenus utì Rom. Regem agnoverant, Ludovicum magno cum exercitu ad se venientem recipiunt, & nè bellum in se concitarent, in ejus verba jurant. Is paucis diebus illic peractis in hostem pergit, *castra* propè eum locat. Interea Fridericus cum equis non multis properè ex Austria ad fratrem advolat, parúmque abfuit, ut festinabundus ex locorum ignorantia in hostilem exercitum incideret, quòd utrique parvo inter se spatio abessent. Errore cognito, in fratris castra pervenit, quem Leopoldus obortis præ lætitia lachrymis amplexatus, cur ità diù fratrem in extremo rerum discrimine constitutum deseruerit, interrogat? Qui cum Ludovico erant, suaserant, nè absente æmulo rei summam prælio committeret, in quo si vinci ipsum contingat, maxima acciperentur incommoda, si vincere, Fridericus nihilominus bellum instauraret. Itaque audito jam Friderici adventu, fecialem in hostium castra mittit, qui num verè is advenisset, sciscitaretur, & futuro prælio diem constitueret Feciali ad se venire jusso Fridericus, utì erat animo imperterrito, & spei pleno: dic, inquit, cognato, nullam me, si congredi ipse volet, prælio moram esse facturum, jámque tempus videri, ut finem dissidijs aliquando faciamus, & Imperio optata contingat quies, ejúsque subditis ad pacis munia redire liceat. Postridiè militem corpora curare jubet, ac ad prælium se comparat, & quod peditum sibi, quàm equitum usum ijs in locis commodiorem esse putaret, equos omnes ab exercitu segregat, & ad tympani sonitum per castra proclamari jubet, si quis calcaria indutus in conflictum descenderit,

derit, hoc illi capitale futurum. Atque ità suos omnes extra vallum in aciem educit, idem facturum esse Ludovicum ratus. Is verò hostem paulò antè rerum suarum trepidum, nunc ità animatum esse, ut ultro provocaret, admiratus aucto utì fit ex aliena confidentia metu pugnam in tempus magìs idoneum differendam esse decernit, & Haganoam per saltuosa loca evadit, quem Austriaci per totum biduum assequi non potuêre. Sequentibus annis nihil memorabile inter partes adversas in Germania gestum.

Attamen Leopoldus inter strepitus belli hujus minimè Pietatis oblitus Ecclesiam in Todt-moß, de qua ad initium libri egimus & à Rudolpho Cæsare, tunc solùm Comite erectã scripsimus, Monasterio Divi Blasij Ordinis S. Benedicti donatione perpetuâ hoc eodem anno 1319. attribuit.

CAPUT XVIII.

Prælium duorum Imperatorum.

ANno tandem 1323. tres Fratres Austriaci Fridericus, Leopoldus, Henricus in Bavariam exercitum ducunt, longè latéque omnia depopulantur, Ludovico in munitis Oppidis Castellísque suos continente: attamen exitiali huic bello aliquid lenimenti allatum est. Uterque enim Rex, contractis undíque copijs, de summa rei armis decernere decrevére. Productis utrinque copijs 28. Septembris, Festo S. Wenceslai, die cruentissimum & atrocissimum prælium commissum est, in quo Ludovicus Bavarus Cæsar æmulum Imperij Fridericum Austrium (præter Austriacorum, & Styriorum ingentes copias) maxima auxilia aliorum Electorum trahentem, ope potissimùm Joannis Regis Bohemiæ, qui in auxilium Ludovici quantas maximas potuit è Bohemia copias adduxerat, fugavit ac devicit. Pugnatum est die toto ad oppidum Müldorfium, Fridericúsque Austriæ Dux & æmulus Ludovici, Vir fortissimus, cùm suâ manu quinquaginta hostium confodisset, fortunâ fortitudini infensâ sibi ad extremum captivitatem, Imperium æmulo peperit. Captus est cum Friderico frater Henricus, & in Bohemiam per Joannem Regem abductus, neque satìs honestè pro dignitate Ducali ab eo in carcere habitus. Cujus fortitudo in tam adverso casu summè enituit. Ut verò fratri captivo succurrere, eundemq; cum Leopoldo carcere liberare citiùs posset, ad sui è captivitate dimissionem in gra-

Prælium Friderici Cæs. cum Ludovico Bavaro.

ves conditiones cum Joanne Bohemiæ Rege descendit.

Rem porrò miram & Annalibus dignam refert circa captum Henricum Benessius de Weitmil, ejus temporis Scriptor, quam ejus verbis recitabo: Cùm Henricus captivus Castrum Krziwoklad, & in eo Palatium ingrederetur, ecce Clenodium, quod erat ibi depictum multùm sumptuosè, & summitatibus Testudinum Clypei terrarum, quibus olim Rex Ottogarus præfuerat, positi erant de opere sculpto & sumptuosè; ecce in ipso ingressûs sui momento Clypeus Austriæ cunctis videntibus ante pedes Principis captivi decidit in terram, & omnino in casu contritus est in partes minutas; verumtamen in summitate Testudinis ejusdem Clypei pars parva in signum tanti miraculi remansit, quæ hæret ibi usque in hodiernum diem. Hucúsque Benessius. Unde quidam falsò augurabantur tunc Domum Austriacæ ruituram. Sed illa fundata in Rudolphi I. pietate, cultûque SS. Evcharistiæ firmiter in adverso casu Friderici & Henrici stetit, statque etiam hodie.

In Chron. Pragens. l. 2. Balbinus in Serie Duc. & Reg. Bohem. f. 140.

Fateor magnis hactenus semper invidiæ tempestatibus jactatam esse Augustam Domum, sed salvam semper in portum evasisse, pressam sæpenumerò nunquam oppressam. Crescit ex adversis, stat contra omnes impetus fortis, innixa fulcris inviolabilibus: Zelo fidei, pietati, cultui SS. Evcharistiæ, devotioni erga Deiparam Immaculatè Conceptam. Dicat nunc Author Phosphori: *Causa perpetuitatis stemmatis Austriaci est Pietas & concordia in Orthodoxa Religione.* Dicat iterum: *Austriacos à summo Numine suscitatos protectósque, Dei ut essent dextera, quâ Catholicæ Religionis antiquus status, ac à Jesu Christo per majorum manus ad nos manans veritas defenderetur, contráque innumerabiles conjuratos hostes protegeretur; falsitas verò, mendacium, atque impietas hydræ nunquam quietæ compescerentur: boni ac probi haberent, ubi tutò delitescerent: mali & improbi, quod horrerent ac reformidarent.* Memoratu dignum est, quod Clarissimus Lambecius in suo Libro primo Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea Viennensi literis consignavit, nimirum extitisse olim inter antiqua Augustissimæ Domûs Austriacæ cimelia *annulum ex auro, quod Magi Christo obtulerunt*, fabrefactum, cujus admiranda hæc erat virtus, ut tempore belli oraculi instar consuleretur, & victoriam insolito ac plus quàm naturali splendore portenderet; is altari impositus, cùm coram Imperatore Friderico Imperatoris Rudolphi I. nepote, ante initium memorati infelicis prælij sacrum celebraretur, ex oculis omnium evanuit. Est tamen post multos annos in Austria repertus, atque

Schönleben de Orig. Domûs Austr. Prolegom. Part. II. c. 9. f. 212.

Alber-

Alcerto Contracto Friderici Fratri redditus, & in thesaurum Austriæ Principum Viennæ depositus. Porrò (ut hoc obiter hìc dicam) Cimeliarchium Cæsareum hodie Viennæ duplex est: *Sacrum*, & *Prosanum*, *Admirandorum Naturæ & Artis absolutissimæ Epitome*. juxta præfatum Lambecium. Certant enim ibi tanquam in Palæstra suâ Natura & Ars, & quidem tantâ intentione virium, ut difficile dijudicatu sit, utra ab alterutra vincatur. Certat ibi dignitas rerum cum copiâ, copia cum ordine, & controversiosum quodammodo est, ipsane rerum præstantia, an numerus, an dispositio majorem admirationem mereatur.

Notæ & Additamenta.

DE fortitudine ac robore insigni corporis Friderici aliud hìc adjungere opus haud videtur, nisi ut Lectorem diuturna fortè lectione fessum recreemus ex amœnioribus Musis, carmen ceu varietatem aliquam subjungimus. Cujus descriptionis veritatem (etsi Poëticam) ipsi comprobare oculati testes possumus, utpote qui primâ Maij anni currentis Augustissimas exuvias ac robur adhuc virile vel in ossibus hærens contemplati sumus. De hoc Poëta P. Melchior Guttwirt Societatis Jesu, quem in hoc opere Lib. I. Cap. II. & Cap. XII. citare de nomine debebamus, ita canit:

SAnguineo quatiebat agros bellona flagello,
In densas grassata neces, vastósque replebat
Funeribus campos, torvorum strage virorum.
Qualis ubi Æmonios inter deprênsa Philippos
Hinc Pompejanis iras incendit in armis,
Cæsareos hinc sæva enses; discurrit, & implet
Stratorum torrente virûm latera omnia circum,
Corporibúsque vias, & cæsis hostibus arva
Impedit, inque novos post tot jam funera montes
Æmathia assurgit. Simili certamine Bojum
Austriacúmque Ducem stimulat, sed faustiùs iræ
Austriacis Mavortis eunt; licèt impiger obstet,
Atque novo penset non segnis funere funus
Vindelicus Ductor. Flexo Dux ipse repellit
Undantes umbone viros, nunc accola Rheni,
Nunc Franco jugulatur eques, nunc horri crepante
Armorum sonitu, & pavido glaciata timore
Agmina Pannoniûm trepidant, nec sufficit armis
Ira levis, virtus vim Martis colligit omnem

Nonnisì magnanimam jurata occumbere mortem,
Si victos fortuna velit. Durate ſecundi,
O ſocij, Ludovicus ait. Vel judice ferro
Imperium lux iſta dabit, vel funus avitæ
Dignum virtutis. Tandem tot cladibus enſes
Hi ſtatuent capiéntve modum. Furit impigra pubes,
Incensíque animis, fidíſque hortatibus audent.
Nec minùs Auſtriacæ forti cum Principe turmæ
In cædes & bella calent. Hos propria virtus,
Hos animat ſtimulátque pudor; tamen omnibus anteít
Vis bellatoris Ducis inclyta. Robora ſubdit
Sola viris, hæc ſola animos pugnantibus addit,
Atque videre Ducem tanto virtutis in æſtu
Adverſos viciſſe fuit. Quis Apolline toto
Ebrius, & ſacras ructans Aganippidos undas
Sat memorare queat, quantum tum prodiga virtus
Mortales egreſſa vires, majúſque lacertis
Humanis patrârit opus! penè omnia ſolus
Parte omni Fridericus obit. Nunc milite complet
Reſtituítque alas, nunc raptis arma miniſtrat,
Nunc ad ſigna vocat, nunc increpat Auſtrius heros
Dux eadem miléſque manu. Tantæ hoſtia dextræ
Prima fuit, Cimbro cretus de ſanguine Brunus
Mox nova ſacratus puer ad cunabula Marti
Quippe fero exceptus clypeo, non deſide Matre
Naſcenti, verùm torvâ obſtetricante Minervâ.
Ibat atrox grandíſque manu, non vulnere vili
Sanguineæ ferrum tincturus cuſpidis, unum
Te Friderice petit. Jámque ore ocultíſque manúque
Deſignat, quò vulnus eat, quò miſſile telum
Ingenti det iter animæ. Stantem Auſtrius Heros
Occupat, & vanas cum ſanguine miſcuit iras.
At ſocij caſu majores ſurgite contrà
Arminius Battúſque ferox; hic origine Trevir,
Tenchterus hic, Marti primis juratus ab annis,
Ingens quiſque animi, nec ſe plebeia ferre
Funera dignati, magnum virtute miniſtrâ
Signabant hoſtem. Sed jam furor incitat ambos,
Stratíque accendit miſerabile funus amici.
Ergo librant ictus grandi at temeraria ferro

Dextra cadit, quis te, mollissime? dixit & ense
Divisit Battum Cæsar, comitisqe cadentis
Ulturum cædem Arminium non impiger haurit.
Ite, ait, occiso nunc Bruno dicite vestras
Vindicias gemini. De nostra agnoscite dextra
Romuleis natum sceptris. Nec plura, sequentes
Respicit Austriadas, similésque lacessit in ausus.
Interea circùm studijs ferventibus ardent
Vindelici, nullóque dato discrimine cædunt,
Ingentésque animas omni de parte cruento
Obtruncant ferro. Ruit hîc ante ora propinqui
Cæsaris & Pharetrâ, & Getico dexterrimus ense
Saxonius Wilibar. Largáque aspergine chari
Sanguinis infecit bellantis Principis ostrum.
Elysius ruit inde Thoas, summásque coactâ
In vires animâ medio jam funere mersus
Indignum exclamat, Friderice, ulciscere fatum.
Elevat hic hastam, cattíque Ariostonis armum
Transadigit lævum, subitáque in nocte relinquit.
Inde Hundum, usipiâ dum cuspide surgit in ictum,
Martia cúmque Adaram, geminósque intercipit Accos
Vangionum de gente satos, nupérque trophæis
Insignes Geticis; Chromij tunc ora Cherusci,
Pectora Dumnorigis, Senani latus ilia torvi
Perforat Ortiagi. Missurum hastile lacertis
Exuit, & truncum campo sinit ire Trebocum.
Oedipodionij sileat miracula campi
Thebais, Oenei laudatrix fabula Nati;
Tydeos in solo vis major Cæsare vivit,
Nec claudunt juga vasta virum, non obice tuto
Defendunt, clypeósque juvant tecta hospita Sphyngis,
Argolicæque petræ venientûm cominus ictus
Excipiunt. Patulis bellat Dux Austrius arvis,
Pectúsque expositum non uni porrigit ensi,
Sed virtus juvat arte Ducem, fallitque tot ictus,
Quot lea Mænalia latitans protecta sub ulmo,
Sævus Hyperboreis dum grandinat imbribus æther,
Nec frustra sinit ire minas, at vindice ferro
Increpat audaces, tantúmque in morte quiescit
Tot bellatorum juvenum, nec sufficit iræ

Biſſenas hauſiſſe animas, triſtíque dediſſe
Tot letho heroas. Penè illi exercitus uni
Deficit, unum acies circùm conſumitur ingens,
Corporibus clauſum innumeris, ſpolijſque cadentûm.
Jam quinquaginta magnorum vaſta virorum
Corpora magnanimo Friderici dextera ferro
Straverat unius; poterat laſſata videri
Jam tantâ virtute manus. Nil ille: moríne
Qui velit, an ſupereſt? tanto occubuiſſe lacerto
Qui ſeſe jactare velit? Rex Gnoſius iſtâ
Laudabit cecidiſſe manu. Narrate profundi
Oenide Tydeô turmǽque Etheoclis iniqui
Majoris vulnus dextræ. O memoranda tot inter
Auſtriadas, Friderice, Duces, quis fortior auſit,
Virtutem exæquare tuam? trepidâſſet Achilles
Grajus, & hoc uno timuiſſet ab Hectore vinci.
Thermodoonthiacis tibi Mavors inclytus armis
Invidit robur, clypeóque irata Meduſæ
Erubuit Pallas. Sed nempe faventia cælo
Numina in Auſtriacam fæcundo prodiga nimbo
Infudêre Domum decora omnia, præſentémque
Rudolphi Auguſto poſuêre in ſtemmate Martem,
Quodque oculata aliàs raro videt orbita ſolis,
Magnanimam in pulchro clauſerunt corpore mentem.
Virtutis longævæ Heros, ditiſſime magnæ
Mentis, in Empyreo reſidens jam victor Olympo,
Vivere cum ſera quoque poſteritate videbis
Dextram animúmque tuum, quando concuſſa fatiſcent
Ferdinandeis Nordlingæ mœnia palmis,
Et nova captivo Victoria plaudet ab Horno,
Sive bonâ ſtellâ ſuper Albo monte triumphi
In cælum aſſurgent, majorémque inde ſtupebis
In Leopoldina virtutem creſcere dextra,
Et Pulchri dotes procul exuperare Parentis.

Lubet & hæc quæ ſequuntur notis adjungere.

MAgna difficultas eſt & controverſia inter Scriptores circa Fridericum Auſtriacum, utrùm inter Romanos Reges numerandus ſit, quot Friderici ante Imp. Maximiliani I. patrem ad Imperiale faſtigium pervenerint, ut Fridericus Pacificus, vulgò, tertius

tertius, vel quartus, seu revera quintus dicendus sit. De singulis ex clarissimi Lambecij Diario Sacri Itineris Cellensis agam, ex quibus patebit Fridericum Pulchrum è syllabo Cæsarum Romano Germanorum nullatenus excludendum esse, ac proinde jure merito Fridericum Pacificum, de quo nobis imposterum toties mentio recurret, Quinti titulo ornandum. Dabo ipsa verba Lambecij, ne quid de meo addidisse aut veritati aliquid decerpsisse videar. Ait itaque de Fridericis loquens: Primus eorum est Fridericus cognomine Ænobardus, sive Barbarossa, qui Anno Christi 1152. ex Duce Sueviæ in Imperatorem Romanorum Francofurti legitimè electus, & post acceptationem oblati Imperij, eodem anno, eodémque mense Martio, Aquisgrani ab Arnoldo Archi-Episcopo Coloniensi coronatus est, & sinè ulla controversia in omnibus Imperatorum Romanorum Catalogis debitum locum obtinet. *Lambec. in additamentis Diarij Sacri Itineris Cellensis Additamento l. p. 117. & seq.*

Secundus eorum est Fridericus jam memorati Imperatoris Friderici I. ex filio Imperatore Henrico VI. cognomine Aspero nepos, qui unanimi omnium Principum Germaniæ consensu successit defuncto Imperatori Ottoni IV. Anno 1218. & hoc modo tanquam per novam electionem legitimam ex violento Imperij invasore legitimus factus Imperator, in omnibus Imperatorum Romanorum Catalogis æquè memoratur.

Tertius eorum est Fridericus cognomine Pulcher, Imperat. Rudolphi ex filio Imperat. Alberto I. nepos, qui post mortem Imperatoris Henrici VII. cùm S. Imperium Romanum integro plùs anno jam vacâsset, An. 1314. contra Ludovicum Bavarum Imperator electus est à parte Electorum; quæ sinè ulla controversia major fuisset ac potior, nisi contra voluntatem Woldemari Electoris Brandeburgensis, fraude Legati ipsius Nicolai de Boock, corrupta esset electio: uti testatur ejusdem sæculi Scriptor Albertus Argentinensis in Chronico suo, quod usque ad annum Christi 1378. pertingit, his verbis: Mortuo itáque Henrico Imperatore, & vocatis Principibus in Franckfurt, Fridericus Dux Austriæ, filius Alberti Regis, & nepos Rudolphi Regis pro Regno laborabat. Cui Petrus Trevirensis, Mogunt. & olim Episcopus Basiliensis, quem Albertus quondam Rex læserat, & Balduinus Trevirensis, & Joannes Boëmus se opponunt. Fridericus autem Australis alloquitur Rudolphum & Ludovicum Duces Bavariæ Palatinos Rheni, exhibens se ad assistendum eis. At illi æstimantes, se tanto negotio impotentes, se Friderici servitio astrinxerunt.

Dux quoque Saxoniæ, & Woldemarus Marchio Brandenburgensis Friderico adhæserunt. Hi enim Laici omnes & uxor Bohemi fuerunt quondam Regis Rudolphi nepotes. Item Henricus de Virnenberg Coloniensis, qui acto inter alios tractatu fecit, quòd filia fratris sui Comitis de Virnenberg copulata fuit Henrico Duci Austriæ fratri Friderici, similiter adhæsit eidem. Veniente autem Friderico cum forti exercitu valdè,& castra metante juxta Franckfurt apud Saxenhausen, Petrus Moguntinus naves afferens victualia juxta Moguntiam abstulit Friderico. Exercitus autem Moguntini, Trevirensis & Bohemi, se ex inferiori parte Mœni collocavit. Inductus est autem Dux Ludovicus Bavariæ junior, qui & aliàs Friderico prævaluit in conflictu, quòd contra eum eligi se permisit, qui in promissione facta Friderico, ipse Ludovicus intelligebatur exceptus. Inductus est etiam N. miles Woldemari Brandenburgensis, habens ab eo mandatum sufficiens in genere eligendi, Ludovicum elegit contra Domini voluntatem. Electi sunt igitur in discordia, in die beati Lucæ Evangelistæ anno Domini M.CCC.XIV. Fridericus Dux Austriæ ab Archi-Episcopo Coloniensi, à Rudolpho Bavaro Palatino Rheni, & à Duce Saxoniæ. Ludovicus verò, à Petro Moguntinensi, Balduino Trevirensi Archi-Episcopis, Woldemaro Marchione & Joanne Rege Bohemiæ: nec ij Principes convenerant, sed quisque in suo exercitu per se, vel per Procuratorem elegit, & in suis exercitibus publicârunt. Fridericus autem Austrialis præ fame recedere est coactus, multíque dextrarij in ascensu manserunt in via. Ludovicus itaque Aquisgrani à Moguntino & Trevirensi, in loco quo debuit, sed non à quo debuit; Fridericus verò in Bonna à Coloniensi, à quo debuit, sed non in loco, in quo debuit, coronati sunt. Hæc Albertus Argentinensis. Confirmat eadem & illustrat Joannes Cuspinianus Imperat. Maximiliani I. Historiographus in Opere suo de Imperatoribus Romanis, ubi de controversiosa ista electione Imperatoria aliquanto prolixiùs agit his verbis: Mortem Imperatoris Henrici subsecutum est interregnum, quod annuo penè spacio & ampliùs durat. Vacabat enim à morte Henrici Imperium mensibus tredecim, & dies aliquot. Nam post Virginis partum anno quarto decimo post millesimum trecentesimum, die, quo celeberrimi divi Lucæ Evangelistæ solennitas peragitur, electio utriúsque Francofurti indicta est; quæ & difficilis & periculosa fuit, utpote quæ inter duos competitores consobrinos suborta est. Fridericus enim Austriæ

Dux

Dux, filius Alberti Ducis Austriæ, & Romanorum Regis, Ludovicus verò Mechtildis filius filiæ Rudolphi Romanorum Regis erat. Periculosum itaque fuit alterutrum vel contemnere, vel alteri præferre, quanquam si electio integra mansisset, non largitionibus corrupta & dolis inversa, penès Fridericum Austriæ Ducem stetisset concors & parte maximâ. Id quod apertissimè & serie quadam explicabo. Cùm enim Fridericus Austriæ Strenuissimus Princeps, nè à majorum nobilitate degeneraret, & Patris & Avi vestigijs innixus, pro Regno adipiscendo elaborabat, contrarios, quos non sperabat, reperit Petrum Moguntinum Præsulem, quem Albertus Rex Pater ex Basiliensi ad hanc extulerat dignitatem, Balduinum item Trevirensem Antistitem Henrici Septimi Imperatoris defuncti fratrem; cui Joannes Boëmiæ Rex Henrici quóque filius adhæsit Hi se Friderico opponunt. Fridericus itáque Consobrinos suos adiens Rudolphum & Ludovicum juniorem fratres Duces Bavariæ Palatinósque Rheni operam suam jis pollicetur. At illi tanto negocio se impares asserunt, Friderico operam suam promittunt, seque illi obligant. Favit Woldemarus Marchio Brandeburgensis Friderico quoque, & item Saxoniæ Dux senior Albertus. Omnes enim hi unà cum uxore Regis Boëmiæ Rudolphi Regis olim nepotes erant. Præterea cum Saxoniæ Dux senior jam à Pontifice designatus esset Pataviensis Præsul, literas has Apostolicas (quibus ei provisum erat) acceptate recusat; renuncians literis, nè electionis munus amitteret. Quanquam aliqui hunc causabantur indignum, quòd Henricum Lucenburgensem priùs elegisset, eligendíque munus nunc Juniori Saxoniæ Duci fratri competere assererent. Qui fratrem quoque inhabilem affirmavit, quòd Sacris esset initiatus, & ob id ille Friderico contrarius extitit, Ludovicóque suffragia sua contulit. Ad hæc Henricus de Virnenburg Præsul Coloniensis, Friderico favebat, quoniam filia fratris Comitis de Virnenburg, Henrico Duci Austriæ fratri Friderici in uxorem paulò antè data fuit. Cùm ergo Comitiorum dies advenisset, Principes quoque non omnes in Francofurto convenirent, sed alij per Procuratores, alij per literas sua vota explicarent: ecce immensum militis cujusdam alioqui strenui, Nicolai cognomine de Boock dolum & facinus animadversione dignum! Hunc Waldemarus Marchio Brandeburgensis cum literis Diplomate munitis ac corroboratis, Principum Congregationi nuncium misit, cùm ipse aut venire nollet, aut non posset, Fridericum Regem suo suffragio constituens.

tuens. Miles is quòd nihil ſe ſperabat à Friderico conſecuturum, ſimul etiam quòd plurimum animos in Ludovicum cerneret inclinatos abrasâ membranâ, expunctóque nomine Friderici, Ludovicum ſubſtituit contra Domini ſui voluntatem literis adulteratis. Ob quod etiam ſcelus Waldemarus Marchio, poſtquā intellexit, electionem in aliam partem inclinatam proditione legati ſui, militem redeuntem vinculis alligatum cuſtodiæ demandat, inediáque conficit. Quotidiè enim delicatiſſimos cibos, quibus hunc cupidè novit veſci, ei apponi juſſit adhibitis militibus, qui hos vorarent eo ſpectante & ligato, donec is fame periret. Alij ſcribunt binas literas militem à Marchione pari ſigillo munitas accepiſſe, quarum unæ raſæ extiterant, quas fidei ſuæ commendavit, ut illis uteretur pro occaſione. Qui fractâ fide, cùm Ludovicum delegiſſet per literas contra Domini voluntatem, animúmque Domini prodidiſſet, has tamen proditionis pœnas luiſſe. Fit ergò à Principibus electio, Colonienſis Epiſcopus Fridericum eligit Auſtriæ Ducem. Huic accedit Rudolphus Bavariæ Dux & Rheni Palatinus, fidem promiſſam ſervans, nec fratrem ſuum Ludovicum eligens. Ob cujus dehinc odium etiam exulare coactus. Dux item Saxoniæ ſenior in Fridericum conſentit. Si Marchio jam præſens fuiſſet, abſqe hæſitatione Fridericus plura ſuffragia ſortitus tantùm prævaluiſſet: quamvìs & ſic numero ſuperior eſſet, antecelleretque Bavariæ Ducem Ludovicum. Qui etiam ei operam ſuam ſtrenuè pollicitus erat. In ſuiipſius tamen electione promiſſionem factam ſervandam minimè arbitrabatur. Ob id inductus miles literas Marchionis protulit, quæ in Ludovicum vertebantur. Cui Moguntinus & Trevirenſes Antiſtites conſenſerant, & item Boëmus. Nemini igitur dubium, quin Auſtriæ Dux legitimè electus fuerit per plura honeſtioráque ſuffragia. Ludovicus verò ut ſe cunctis monſtraret ritè electum à ſingulis Principibus literas petijt, quas undíque populis oſtendit. Subſtitit interim, dum electio fieret Friderici exercitus in oppido Saxenhauſen, quod è regione Franckfordiæ ultra Mœnum jacet. Cui Moguntinus victum commeatúmque ſubtraxit. Nam haud longè à Moguntia, Trevirenſis, Moguntini & Boëmi exercitus aberant, finem negocij utrobíque expectantes. Dum ergò ij electionem alterius improbarent, quiſque aſſertores ſuos habebat, electionem nunc ex abſentia quorundam, nunc ex inhabilium Electorum votis improbantes diſcordia hæc armis erat ſedanda. Mox igitur Ludovicus Aquiſgrani, in loco quidem

dem, quo debuit, à Moguntino, astante Trevirensi Episcopo, coronâ est insignitus. Fridericus pariter Bonnæ à Coloniensi Præsule (cujus certè est primam Imperij coronam dare) sed non in loco, quo debuit, coronatus est. Hucusque Joannes Cuspinianus. Ex his Alberti Argentinensis & Joannis Cuspiniani jam citatis duobus locis satis apparet, Fridericum Austriacum cognomine Pulchrū, respectu electionis & coronationis Germanicæ, non minori jure Catalago Imperatorum Romanorum inserendum esse, quàm Ludovicum Bavarum. Qui plura hac de re scire cupit, legat Clarissimi Lambecij Diarium Sacri Itineris Cellensis, qui Additamento I. pag. 226. & seq. tria Diplomata pro Friderici Electione publicavit.

In horum uno ad Sacram Sedem Apostolicam & futurum summum Pontificem (vacavit enim tunc S. Sedes Apostolica post mortem Pontificis Clementis V. qui Anno 1314 die 2. vel secundùm alios, die 20. Aprilis obijt, per integros duos annos, menses tres, & dies 17. nempe usque ad diem 7. Augusti Anno 1316. (quo Joannes, qui vulgò XXII. appellatur in summum Pontificem electus est) hæc in laudem Friderici leguntur: *Tandem in Illustrem Principem, Dominum Fridericum, Ducem Austriæ & Styriæ, virum utique Catholicum, Orthodoxæ fidei fervidum Zelatorem, serenum & sagacem, conversationibus & moribus non modicùm ornatum, devotum & humilem, de Romanorum Regum prosapia oriundum, Sacri Imperij gubernacula regere magnificè, & jura ipsius manutenere potentem, nec non Reipublicè præesse utiliter & prodesse valentem, in omni morum honestate perspicuum & præclarum, affabilem, benignum & mansuetum, ac in alijs agibilibus pro regimine Reipublicæ plurimum circumspectum, divinâ favente Clementiâ consensimus, & in ipsum vota nostra direximus, ipsúmque nominavimus eligendum in Regem Romanorum in Imperatorem promovendum.*

Quòd verò Fridericus (licèt ab Imper. Ludovico superatus prælio, subierit captivitatem triennalem) Imperatorio suo juri & Titulo recuperandæ libertatis causâ renuntiaverit, à quibusdam falsò traditur; nam posteaquam Anno M. CCC. XXV. è custodia dimissus est, pari deinceps potestate cum Imperatore Ludovico Imperium Romanum gubernavit, uti ex subjuncto Reconciliationis diplomate, quod Joannes Cuspinianus in sua descriptione Austriæ primus publicavit, videre est. Versio illius diplomatis ex Germanico prodijt in lucem Monachij typis Nicolai Henrici Anno 1618. quam Joannes Georgius Hervastus ab Ho-

henburg, Serenissimi Ducis Bavariæ olim Consiliarius intimus, & Inclytorum Bavariæ Ordinum Cancellarius Apologiæ suæ pro Imperatore. Ludovico Bavaro inseruit, & hæc est:

Nos Ludovicus & Fridericus Dei Gratiâ, Romanorum Reges semper Augusti.

„NOtum facimus omnibus has literas visuris, aut legi audi-„turis, quòd in nomine Dei, ad Dei & Sanctorum ejus lau-„dem, Ecclesiæ Romanæ honorem, Romani Imperij utilitatem & „Sanctæ Christianitatis pacem ac defensionem, juxta sapientum at-„que doctorum virorum clericorum, laicorum consilium & in-„formationem, nos invicem reconciliavimus & confœderavimus „in perpetuum eâ lege, ut Romanum Imperium, ad quod am-„bo electi & consecrati sumus, cum omnibus suis dignitatibus, „honoribus, juribus, hominibus atque bonis, & quidquid habet, „& ad illud pertinet, in universo mundo pariter tanquam una „persona, unus non meliùs, quàm alter, nec plus, aut minus „possideamus, habeamus, procuremus, & administremus. Volu-„mus etiam nos invicem adjuvare perpetuâ fide, vindicando, la-„borando, satagendo, loquendo, agendo, & cum omnibus, atque „in omnibus rebus, quoúsque nostrum corpus & bona perdurant, „contra quoscunque, ac debet, alter alterum non deserere, nec ab „ipso discedere, si alteri peculiaria negotia fierent secularia, aut „spiritualia: sed causa unius esto etiam alterius, in omni loco, & in „omni necessitate. Debemus insuper malum & bonum, emo-„lumentum & damnum pariter æstimare omnibus in rebus, pa-„rem quoque dignitatem habere in vijs, in Ecclesijs, & in omni „loco; & nos ambos Romanos Reges & Augustos scribere & no-„minare, & nos fratres vocare & scribere invicem, atque etiam „ceu fratres gerere. Et qui ex Nobis alteri scribit, is eum præpo-„nat, cum verò scribimus ambo simul privilegia, vel literas, tùm „præponat se hic hodie, ille cras; ut in hoc prærogativa sit nulla. „Cùm agit unus nostrûm quippiam altero absente quacúnque „in re, id agat alterius & suo nomine, illúmque præferat, ut non „animadvertatur, actum ejus esse meliorem, qui eum perficit, „quàm alteriùs, quandoquidem actiones utriúsque nostrûm in-„divisæ fieri debent in omnibus rebus. Debemus etiam duo no-„va sigilla facere, in quibus ambobus utriúsque nostrûm nomina

scripta

„ſcripta ſint, & in noſtro Regis Ludovici ſigillo debet Regis Fri-
„derici nomen præcedere, ſicut in noſtro Regis Friderici ſigillo
„debet Regis Ludovici nomen præire, & debent ſigilla ejuſdem
„magnitudinis, formæ & litteræ eſſe. Quæ majora feuda, utpote
„Regna, Principatus, Comitatus & quæ aliàs majora feuda ſunt, ad
„Imperium devolvuntur, ea debemus ambo ſimul conferre,
„non alter abſque altero. Alia ſecularia feuda & Eccleſiaſtica,
„præpoſituræ, Eccleſiæ, quomodocúnque nominentur, ſi vacent,
„eáque alteruter conferat ex nobis, alter ratum habeto, & firmum.
„Si autem ſimul conferamus feudum; qui inveſtituram priùs
„conſequitur, is acquirit feudum: Et in ſecularibus feudis, quæ
„vacant, alteruter qui ex nobis ea confert, homagium pro feudo
„ita recipiat, ut nobis ambobus juretur & præponatur in juramen-
„to, qui non eſt præſens. Vaſallum item ad alterum dirigat,
„quàm primùm eum adire poterit, ut feudum ab eo quoque acci-
„piat. Quòd ſi verò Eccleſiaſticus aut ſecularis Princeps Præla-
„tus vel Dominus, qui ſua feuda ab Imperio accipere tenetur, ab
„altero noſtrûm acciperet, is homagium ab eo recipiat, eúmque
„ad alterum dirigat ſicut ſuprà ſcriptum eſt. Alter noſtrûm abſ-
„que altero, non debet, nec poteſt Imperij civitates, caſtra, muni-
„tiones, dominia, terras & homines & quidquid tàm magnum
„eſt, alienare, neque oppignorare, neque res valdè magnas pertra-
„ctare. Si proficiſcatur unus ex nobis in Italiam huic debet alter
„mandatum ſuum eò tradere, & iſte huic hîc (in Germania) re-
„linquere ſponte. Quid etiam unus noſtrûm impoſterùm facit,
„hoc debet alter ratum habere & confirmare ſuis literis. Quid-
„quid autem antea utérque noſtrûm fecit, donando, feuda con-
„ferendo, providendo, oppignorando, & quocúnque alio modo,
„ſive in Secularibus ſive in Eccleſiaſticis rebus, in quibus poteſta-
„tem habet, id firmum eſto omnibus, niſi id communi conſilio &
„voluntate in melius ad Imperij utilitatem mutare poſſimus,
„& nominatim quidquid Nos Rex Ludovicus erga noſtrum fi-
„lium Marchionem Brandenburgenſem, & erga noſtrum gene-
„rum Marchionem Miſnenſem feuda Principatuum, aliáque eis
„conferendo fecimus, ratum & firmum eſto. Si utrinque rem
„aliquam & bonum quodcúnque, duobus vel pluribus dedimus,
„in feudum contulimus, oppignoravimus; quicúnque poſſidet
„hoc & evicit, penès illum maneto. Omne quoque, quod alter-
„uter noſtrûm de Imperio poſſidet, aut deinceps acquirit, ter-
„ras, homines, aut quidvis aliud, id alteri ſubjiciat; & quicúnque

„uni juravit vel jurat, is alteri quóque juret, sive sit Princeps Se-
„cularis, sive Ecclesiasticus, Comes, Liber, Vasallus, Civitas, Op-
„pidum, Clericus sive Laicus, & quisquis unius nostrûm amicus
„est & fautor, alterius quoque amicus & fautor esto: qui verò
„hoc negaverit, contra hunc debemus nos invicem juvare pro
„viribus, ut ille vel illi cogantur. Debemus quóque Nos ambo
„eundem Judicem Curiæ, & eundem Scribam Curiæ habere, ut
„nostrum judicium indivisum sit; & hi debent per dimidium
„annum, vel per quartam partem anni modò apud unum, modò
„apud alterum nostrûm per vices manere; & quidquid coram
„uno ex nobis judicabitur, hoc erit coram altero ratum; & quod
„inchoatur coram uno, hoc potest finiri coram altero, & vicissim
„reassumi, quotiescúnque termini elabuntur; & quisquis ab uno
„nostrûm bannitur, is potest coram altero absolvi, siquidem
„unum est judicium & unus Judex. Quidquid etiam coram No-
„bis judicatum est inter eos, qui Nos pro Regibus habebant, hoc
„debet ex utráque parte ratum esse, & ad finem perduci: quid-
„quid autem Nos Rex Fridericus contra illos qui Regis Ludovici
„partes sequebantur ad nostrorum actionem; & Nos Rex Ludo-
„vicus vicissim contra Regis Friderici sectatores super nostrorum
„postulationem judicavimus, hoc est utrínque cassum: & debet
„quilibet imposterum ab altero jus petere, & facere super hæc
„omnia, in omnibus rebus, dignitatibus, honoribus, in omnibus
„terris totius orbis, ad omnia jura & dignitates, circa res omnes,
„erga Principes Ecclesiasticos vel seculares, Comites, Liberos,
„Civitates, Divites & Pauperes Nobiles & Ignobiles, quibus omni-
„bus sumus paris potestatis & dominationis, adeò ut neuter no-
„strûm prior vel posterior, superior vel inferior sit in omnibus,
„quæ Imperium habet: & debemus Nos ambos tanquam unus
„Vir opponere, si contra Nos vel alterum ex nobis in Spiritua-
„libus & Secularibus negotijs, sive Clerici, sive Laici, aliquid un-
„quam agere vel facere vellent aut antehac egissent, fecisséntve
„in Nostrum aut Imperij præjudicium quocúnque modo: de-
„bemus item nos invicem non deserere per illam necessitatem
„Ecclesiasticam vel Secularem. Et quandoquidem Nos in Deo,
„& cum Deo, omne quod suprà scriptum est, unanimiter faci-
„mus, promittimus per juramentum nostrum & fidem, quæ su-
„per hæc corporaliter præstitimus, & dedimus sub omni obliga-
„tione, qua nos erga Deum coram nostris confessarijs antea con-
„strinximus: quòd nos omnia de verbo ad verbum, sicut suprà
scriptum

„ſcriptum eſt, uſque ad noſtrum utriúſque obitum, inviolabili-„ter rata ac integra tenere amabiliter & fideliter, & perficere vo-„lumus in omnibus ſuis partibus: & præcipuè quòd nos in hac „reconciliatione Romano Imperio ſuum honorem, ſua bona & „dignitatem promovere, tutari, tenere & augere volumus omni „noſtrâ ope ac vi quantâ maximâ poterimus, in corpore & bonis „ſecundùm veram fidem & Chriſtianam vitam. In quorum te-„ſtimonium, damus has literas, cum dependentibus noſtris ſi-„gillis, & promittimus ſub omni obligatione ſuprà ſcripta, quòd „illas velimus renovare, & ſigillare noſtris novis ſigillis quam „primùm illa ſculpta fuerint. Omnium ſuprà ſcriptarum re-„rum ſunt teſtes Comes Bertholdus de Henneberg, Fridericus „Burggravius de Nürnberg, Frater Conradus de Gundelfingen „Magiſter Teutonici Ordinis in Alemania, Hermannus à Liech-„tenberg Cancellarius, Magiſter Ulricus Wilde ſupremus ſcri-„ba noſtri Regis Ludovici, Dietericus de Pillichdorf, Joannes „Dapifer de Dieſſenhoven, Beigandus à Trauſnicht, Frater Conra-„dus Prior de Monachio, & Frater Gottfridus Prior Maurbachenſis „in omnium Sanctorum Valle, utriúſque noſtrûm Confeſſarij „qui omnes interfuerunt. Hæ literæ datæ ſunt Monachij die Jo-„vis ante Dominicæ noſtræ diem cùm naſceretur, anno à Chri-„ſti nativitate M. CCC. XXV. undecimo anno noſtri Regni.

Hucuſque Latina verſio germanici iſtius diplomatis, ex quo, ut ſuprà jam monui, cuilibet videre eſt, Imperat. Fridericum Pulchrum, licèt is ab Imperatore Ludovico Bavaro Anno 1322. ſuperatus prœlio, triennalem ſubiêrit captivitatem, Imperatorio tamen ſuo Juri & Titulo recuperandæ libertatis causâ non renunciâſſe, ſed, poſteaquam Anno 1325 é cuſtodiâ dimiſſus eſt, pari deinceps poteſtate cum Imperatore Ludovico Bavaro Imperium Romanum gubernâſſe, ideoque maximam illi fieri injuriam, ſi Imperatorum Romanorum Catalogo excludatur.

Poſt mortem Imperatoris Ludovici Bavari, quæ in annum 1347. incidit, & poſt recuſationem Eduardi Regis Angliæ, cui ſub principium ſequentis anni 1348. major Electorum pars contra Carolum IV. qui ſuperſtite adhuc Imperatore Ludovico Bavaro Anno. 1346. Imperatoris titulum ſibi acquiſivit, Imperium obtulerat, legitimè quidem ab ijſdem Electoribus eodẽ año in Imperatorem electus eſt Fridericus Landgravius Thuringiæ & Marchio Miſniæ, Princeps acer ac ſtrenuus, qui unus tunc inter omnes Germaniæ Principes prudentiæ, gravitatis, fortitudinis & opum

gloriâ excellebat, & ad Imperium benè adminiſtrandum omnia neceſſaria belli & pacis præſidia allaturus eſſe videbatur, ſed quia præter omnium ſpem & opinionem, nè per novum cum Impe. Carolo IV bellum Germania plùs ſatis jam afflicta, denuo perturbaretur, electioni non conſenſit, jure ac meritò is Imperatorum Romanorum Catalogo excluditur: utpote cum ad Imperatoriæ Majeſtatis ſubſtantialem perfectionem non ſolùm legitima electio ſed & electi legitimus conſenſus neceſſariò requiratur.

Fridericus Quartus qui ante Imperat. Fridericum Imperat. Maximiliani I. patrem ad Imperiale faſtigium pervenit, eſt Fridericus Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis Ducis Magni Junioris & Catharinæ filiæ Woldemari Marchionis Braudenburgenſis filius, princeps bellicoſus & prudens, qui Anno Chriſti 1400. Francofurti poſt abdicationem Imperatoris Wenceslai Ignavi ab Electoribus legitimè & cum legitimo ſuo conſenſu in Imperatorem electus eſt, & licèt eodem anno in reditu à Comitijs inſtinctu Archi-Epiſcopi Moguntini, qui ſolus ejus electioni adverſatus erat, propè Fritzlariam per Comitem de Waldeck inſidiosè circumventus, & ante coronationem ſuam perfidè occiſus ſit, Catalogo tamen Imperatorum Romanorum non eſt excludendus; quippe cùm certò conſtet, ſi quis ſecundùm conſtitutionem S. Imperij Romani, quæ Aurea dicitur Bulla, vel ab omnibus Electoribus, vel à majori & potiori eorundem parte, in Imperatorem ritè eligatur, ipſe autem ijs conſentiendo oblatam S. Imperij Commiſſionem acceptet, & pro Imperatore ſe gerens, univerſis & ſingulis Principibus Electoribus Eccleſiaſticis & ſingularibus omnia ipſorum jura, privilegia, dignitates, conſuetudines & poſſeſſiones ſine morâ ac contradictione confirmet, hoc facto, etſi nec Germanica quidem adhuc ſubſecuta ſit coronatio, reverà tamen illum jam eſſe Imperatorem, ideóque ſine injuriâ titulo quoque Imperatoris condecorandum eſſe.

Hinc igitur apparet, quo jure in Diario Sacri Itineris Cellenſis (verba ſunt Clariſſimi Lambecij) monuerim, Imperatorem Fridericum Imperatoris Maximiliani I. patrem, qui vulgò Tertius vel Quartus cognominatur, reverà Quintum eſſe appellandum, nempe reſpectu electionis ſuæ per Principes Electores Germaniæ, à quibus Anno 1440. die 2. Februarij Francofurti legitimè, & cum legitimo ſuo conſenſu Imperator creatus eſt. Quód autem Ipſe Imperator Fridericus tàm in Epitaphio, quod ipſe ſibi vivus compoſuit & etiam nunc Vindobonæ in Cathedrali Baſilicâ S. Stephani

juxta

juxta sepulchrum ejus marmoreæ tabulæ insculptum cernitur, quàm in suprà memorato Vitæ suæ Diario propriâ Ipsius manu exarato, alijsque varijs monumentis manuscriptis, quæ in Augustissima Bibliotheca Cæsarea adservantur partim integrâ scripturâ partim verò per abbreviatam hanc Nominis sui notam.



Tertium se appellat, non fit respectu electionis & coronationis Germanicæ, & quasi supputatione hac Imperator Fridericus Austriacus cognomine Pulcher & Imperator Fridericus Dux Brunsuicensis, & Luneburgensis Imperatorum Romanorum numero excludantur, sed respectu coronationis Romanæ per Summum Pontificem; quippe quam ex quatuor præcedentibus Fridericis duo tantùm consecuti sunt; nempe Imperator Fridericus I. sive Ænobarbus & Imperator Fridericus II. Imperatoris Friderici I. ex filio Imperatore Henrico Aspero nepos, quibus ipse accessit Tertius, utpote qui Anno 1451. à Summo Pontifice Nicolao V. Romæ in Basilica Vaticana S. Petri coronatus est.

CAPUT XIX.

De ijs, quæ durante bello inter duos Cæsares evenêre.

ANno 1316. Fridericus Pulcher, à quibusdam etiam Probus dictus cum Elisabetha Jacobi Arragonum Regis, & Leopoldus ejus Frater cum Catharina Amadei Sabaudiæ Ducis filia nuptias Basileæ celebrârunt, quibus magna Principum & Nobilium aderat frequentia. Plures dies per ludos equestres, & alia Nobilitatis digna experimenta & exercitia transacti. Et nè ad pietatem aliquid deesset, ostensa sunt etiã ex theatro Imperialia ornamenta, & insignia; pars magna Crucis Christi Liberatoris nostri, Sacra Lancea quâ latus ejus tranfixum, & è clavis unus, quo in Cruce pependit. Ad hæc Ensis, & Corona Caroli Magni, Chiroteca & Paludamentum, quæ omnia ab obitu patris Alberti Fridericus

Fridericus Pulcher nuptias celebrat.

 reti-

retinuit, seque pro Rege Romanorum gessit, stante parte Imperij pro ipso.

Anno 1320. 5. Februarij Kœnigsfeldensis Cœnobij (de cujus erectione in obitu Alberti I. Cæsaris egimus) Ecclesia à vidua Imperatrice, & filia Agnete condita consecratur à Ioanne Episcopo Argentinensi dicata honori Beatæ Virginis & omnium Sanctorum princeps ara consistens in loco, quo Albertus Sanguiné fuderat, titulũ Corporis & Sanguinis Christi, nec non sanctæ Crucis obtinuit. In medio hujus templi Regium curavit exstrui Mausoleum superimposito ex quadrato lapide monumento, cujus coronis cum basi albo marmore constabat, reliquum nigro decorabatur. Longitudo continebat novem pedes geometricos, latitudo quinque & medium, altitudo fabricæ, basi & superiore parte exceptâ, quatuor laterum ligneis clathris circumdatũ fuit, desinentibus angulis in quatuor scuta, in quibus Aquila Cæsarea, & Insignia Austriæ, Carnioliæ, Carinthiæ, & Tirolis, uti & comitatûs Habspurgici cernuntur, & in signum Cœnobij à Regina *Hungariæ* ædificati additum fuit scutum rubrum, duplici Cruce Ungariæ insignitum coronâ desuper eam exornante. Exstant versus de fabrica hujus Ecclesiæ sequentes:

Consecratio Eccles. Königsfeldensis.

Fugger in Speculo Honoris Domûs Austr.

Ejusdem Ecclesiæ memorabilia.

En Regum, Regis signatum sanguine, Campum!
Hæc, Reginarum marmora struxit amor,
Heroum saltèm cineres tegit urna: sepulchri
Sed titulus vivax Austria semper erit.

In eo mausoleo undecim Cæsareæ, Regiæ, Ducalésque personæ Austriacæ, vel eam affinitate attingentes tumulatæ sunt. Quarum Personarum aliarúmque effigies depictæ erant, vetustate (ut longo temporis tractu evenire solet) multùm attritæ. Nomina earum, nè intereant, ex suprà citato libro damus Posteritati.

Anno Domini 1291. 18. idus Augusti, obijt D.D. Rudolphus Rex Romanorum, Pater Domini Alberti Romanorũ Regis.

Anno Domini M. CCC. VIII. Kalend. Maij occisus est Dominus Dominus Albertus Rex Romanorum, in loco, ubi nunc est majus Altare.

Anno Domini M. CCC. XIII. V. Kalend. Novembris obijt Serenissima Domina Elisabetha Regina Romanorum, fundatrix istorum duorum monasteriorum, Conthoralis quondam Domini Alberti Regis Romanorum.

Anno Domini M. CCC. obijt Serenissimus Dominus Dominus Andreas Rex Hungariæ Conthoralis quondam Dominæ

Agne-

Agnetis Reginæ Hungariæ. Illustrissima Domina Domina Agnes, quondam Regina Hungariæ, filia Domini Alberti Regis Romanorum, per cujus procurationem ista duo monasteria plenè sunt ædificata.

Anno Domini M. CCC. VII. IV. Nonas Julij obijt Dominus Rudolphus Rex Bohemiæ, filius Domini Alberti Regis Romanorum.

Anno Domini M. CCC. XXVI. pridie Kalend. Mart. obijt Dominus Leopoldus Dux Austriæ, filius Domini Alberti Romanorum Regis.

Anno Domini M. CCC. XXVII. III. Nonas Januarij obijt Dominus Heinricus Dux Austriæ filius Domini Alberti Regis Romanorum.

Anno Domini M. CCC. XXXIX. XIII. Kalend. Martij obijt Dominus Otho Dux Austriæ, filius Domini Alberti Regis Romanorum.

Anno Domini M. CCC. LVIII. Kalend. Augusti obijt illustrissimus Dominus Albertus, Dux Austriæ, Styriæ & Carinthiæ.

Dominus Rudolphus, Alberti Ducis Austriæ filius.

Dominus Rudolphus, Dux Lotharingiæ, obijt 1346.

Domina Margaretha, Ducissa de Cabilon.

Domina Elisabetha, Ducissa de Barri.

Hoc ipso tempore adhuc ex morte Bernardi Passaviensis Episcopi, qui anno 1314. obijt, vacabat Sedes Episcopalis propter dissidentia Canonicorum vota. Major enim pars Gebhardum quendam de Walsee Austriacum Nobilem & præpotentem, altera Albertum Ducem Austriæ poscebat. Cùm itaque non possent in Electione convenire, ad Romanum Pontificem, tanquam arbitrum provocatum est: ad quem cùm Gebhardus de Walsee ipse Romam proficisceretur, & pro clavo Passaviensis Ecclesiæ per biennium contenderet, morte ibi sublatus est. Obtinuerat itáque solus Episcopatum Passaviensem prædictus Albertus Austriacus; sed cùm eodem tempore Albertus animum ad ducendam uxorem adjecisset, pro oblato sibi honore Canonicis gratias agens, amitinum suum Saxoniæ Ducem Albertum, ex Agnete patris sui sorore natum, ijsdem pro successore studiosè commendat, & quod orat, feliciter obtinet. Dictus est ex gestis suis Albertus *Liberalis & Justus, Sapiens, Fortis, Felix, Magnificus, Misericors, Modestus, Marianus*, quem titulum præ omnibus alijs libentiùs admisit. Insuper dictus: *Contractus* propter manuum pedúmque ægritudi-

nem, ut vult Cuspinianus, sed ab alijs Scriptoribus ob haustum venenum á Medicis in nervos ex necessitate diffusum. In hoc Alberto admiranda sanè ac singularis apparuit Dei Providentia. Cùm enim penè ad sobolis excitandæ impotentiam devenisset, homo infirmus, aridus, & ad instar cadaveris, Austriacam stirpem per extinctionem suorum fratrum eorundémque prolium intereuntem generando complures filios denuò quasi resuscitavit. Uxorem duxit Joannam Ulrici (alij Udalrici) ultimi Ferretensium Comitum filiam & hæredem anno 1324.

Notæ & Additamenta.

Controversia non levis est circa nonnulla, quæ de Alberto II. asseruntur & inter alia Cuspiniauns, Lazius, & qui eos secuti sunt, memorant Albertum II. Sacris initiatum, Canonicum Passaviensem & Parochum Viennensem egisse: uxorem fratribus omnibus sine hærede defunctis conservandæ familiæ Pontificis auctoritate duxisse. Carolo IV. Imperatore Comitatum *Ferretanum* comparâsse. Postremò *Contractum* veneno in pueritia hausto, & inde artubus debilitatum cognominatum. Quæ omnia secus habentur; membrorum enim usum non violentia veneni, sed arthritidis vitium corrupit. Et Ferretanus Comitatus ex dote & hæreditate uxoris, non Caroli beneficium est; neque eam duxit post fratrum & liberorum omnium obitum. Vixerunt enim fratres Alberti (si Rudolphum Mitem excipiamus) Fridericus Pulcher, Leopoldus, Henricus, Otto (his anno 1324. adhuc cælebs) Friderici autem Pulchri vixit eriam filius Fridericus. Ecclesiasticum fuisse certum est, sed non Sacris initiatum, sic sensisse cum pluribus alijs videtur P. Gans Societatis Jesu, qui Canonicum Pataviensem Albertum vocat, nullâ factâ de indulto Pontificio mentione. Hoc enim modo ipsa sola Romani Pontificis officiorum ac dignitatum Ecclesiasticarum renuntiationis acceptatio pro dispensatione sufficiens fuit, ut Albertus matrimonio jungeretur.

CA-

CAPUT XX.

Regia magnanimitas Friderici Pulchri Cæſaris in carcere inconcuſſa; ejuſdem ibidem ſingularis Pietas. Mors Leopoldi & Henrici fratrum Ducum Auſtriæ.

PRiuſquam de magnanimitate Friderici agamus, operæ pretium duximus fidelitatem & amorem in Fridericum Cæſarem Friderici III. à Leibnitz Archi-Epiſcopi Salisburgenſis memorare. Probatus eſt amor ille bello, quod Fridericum Cæſarem in carcerem detruſit, verùm unà occaſionem Principibus Auſtriacis dedit gratitudinis officium in Archi-Epiſcopum, Sedémque Archi-Epiſcopalem exercendi. Rem verbis Gerardi de Rhoo ex Hiſtoria Auſtriaca deſcribam. Epiſcopus, inquit, Salisburgenſis quoque egregiam & fidam Friderico Cæſari in hoc bello præſtitit operam, majorem enim nobilitatis ſuæ partem (inter quos nonaginta tres viros Equeſtri dignitate præditos fuiſſe invenio) cum mille equis in auxilium ei miſit: ſed eandem cum reliquis fortunam experti, ab hoſte vel cæſi vel capti ſunt. Captivos Epiſcopus multo ære redemit, in extremum penè diſcrimen hac ſua officioſitate adductus, niſi accepta Auſtriaci damna aliqua ex parte reſtituiſſent, indignum judicantes, amicum tot ipſorum causâ perpeſſum incommoda, irremuneratum linquere. Itáque Epiſcopo quatuor arces Altenhofium, Leſſendalium, Lavantum & Novoforum in Carinthia, cum omnibus ſuis juribus & emolumentis, tam diu poſſidendas & uſurpandas concedunt, quoúſque certâ pecuniarum ſummâ redimerentur. Manſit autem hæc conceſſio ad Fridericum Romanorum Imperatorem ejus nominis quartum uſque, qui ſolutâ promiſsâ pecuniâ, & datis Epiſcopo alijs quibuſdam immunitatibus, arces illas Auſtriacæ Domui rurſus vendicavit. Friderici magnanimitas uti proſperis attollebatur nunquam, ità etiam nunquam adverſis potuit deprimi. Et quam fortitudinem oſtendit, dum quinquaginta hoſtes manu ſuâ fudit, ità fortem ſe præbuit, cùm in carcerem adversâ belli aleâ raperetur. Eleganti vena fortitudinem Friderici non nemo ſequenti Poëmate expreſſit:

Amor Archi-Epiſcopi Salisburgenſis in Fridericum Pulchrum.

Gerard. de Rhoo Hiſt. Auſtr. lib. 2. in fine.

Gratitudo Princpũ Auſtriæ.

TU nè cede malis: quàmvis contraria ſtantem
Fulminei quatiat Fortuna furoribus orci,

Exitióque petat. Quænam illæ, corpore nullo,
Inſiſtunt Saxo plantæ, & veſtigia ſervant
Inconcuſſa pedes? facit hos conſtantia paſſus,
Hos virtus invicta gradus. Violenta ſiniſtram
Tolle manum Fortuna viro, dum dextera reſtat,
Nil dicet perijſſe ſibi; ſi tollis & iſtam,
Nil perijt, ſi pectus habet! nec pectore rupto
Ceſſabit ſpirare virum: Gemino ariête Mavors
Impellas utrumque latus, fractóſque repellas
Coſtarum muros, nunquam ſtatione recedet,
Aſſiduò par ipſe ſibi. Non punicus illum
Carcer, non Siculi frangent tormenta Tyranni.
Infauſto patriæ ſuccumbant Marte cohortes,
Succumbet nunquam. Quo te FRIDERICE ſiniſtra
Deſtituit Fortuna loco? ferróque togáque
Te magìs inſignem, quem tunc Germania vidit?
Poſtquàm vitales Lucina recepit in auras,
Ad cunas pro Te Charites cum Pallade viſæ
Decertare tuas; ipſæque recentibus ortum,
Aſpersêre roſis puerum, tum labra genáſque
Ambroſiâ pinxêre manus, Phœbíque rubentis
Inſtar, Tyndarides animârunt lumina flammis
Talem qualis eras, dixerunt nomine PULCHRUM,
Quæ teneris in te Pietas maturuit annis,
Creſcentem comitata Virum eſt: tranquilla quietis,
Auſtriacis ſeû jura dares, ſeû obvius hoſti
Norica fulmineo per jugera Marte tonares;
Horrendùm metuendus eras! ter Bojica caſtra
Adventu tremuêre Tuo; ter milite verſo
Ceſſerunt totis trepidi formidine campis.
O! magnis adverſa animis Fortuna fefellit
Invida Virtutum (cui ſe ſe credere PULCHER
Abſque metu poterat) bellóque oppreſſit iniquo:
Obruitur Frater: quæ te LEOPOLDE moratur
Spes Fratrem, ſine fratre procul? ſuccurre, pióque
Marte laboranti fer opem, jam proditus hoſti eſt,
Clauditur & cæco clariſſima carcere Virtus,
Nec ſpatio contenta brevi, tua fata ſiniſtra
Exercent per luſtra Ducem; ſed fortior illum
Poſt caſum ſtat adhuc, vim fracto robore Martis

Infra-

Infractam Fridericus habet, sortémque severam
Austrius ingenti virtute redarguit hœros:
Non cecidit, firmis cui stant præcordia fibris,
Marmoricum cui robur inest, non viribus ullis
Concutitur, solidis constant vestigia plantis.

Ità ille. Quadrabunt forsitan huc ejusdem Scriptoris versus de Friderico sequentes:

Pulchra tibi pulchro venit cum nomine forma,
Sed virtus animi pulchrior illa tui est.
Quem licèt adversis Fortuna agitaverit Evris;
Stat tamen immoto firmior ille pede.

Valet in Friderico Pulchro illud Romani Sapientis: *Virtus ac bona voluntas omnibus præstat, nè unquam vincatur, quoniam quidem etiam inter superantia animus invictus est, ac accidere illud viro bono non potest, ut vincatur: nunquam enim succumbet, nunquam renuntiabit, ad extremum usque diem stabit, & in hac statione morietur.* Atque ità postea fatis concessit Fridericus contestans, non nomine tenus, sed re ipsa sese Imperatorem gessisse, qui stando moreretur.

Seneca Lib. 5. de beneficijs.

Suetonius in Vespasiano.

Né autem Pietatem Friderici vel in ipsis adversis & carcere cultam prætereamus, illud encomium Friderico dant multi ac magni nominis authores, Fridericum nullatenus induci potuisse, ut se artibus malis libertati assereret, quinimò cùm nicromanticus homo sese offerret ad Cæsarem è carcere educendum, signo Sanctæ Crucis sese communiens malas artes dispulit, satiùs judicans animum Cæsaris in libertate religiosa conservare, quàm corpus turpi libertati concredere. Sunt qui asserant fratrem Friderici, Leopoldum nempe, authorem fuisse ut se per præstigiosas illas artes in libertatem assereret; alij autem uxoris has suasas, sed non persuasas artes imputant. Ob quam opinionum variationem prudens lector fortè mecum consentiet, non ab alio, quàm ab infernali lavernione, qui artibus suis præsertim in rebus desperatis & adversis promptus adesse solet, has malas artes oblatas esse. Audiatur hìc Joannes Adlzreitter Boicæ gentis Annalium Scriptor Parte II. Lib. I. Num. 58. & 59.

Pietas singularis Friderici in carcere existentis.

Tantum, inquit, Leopoldo fratris liberandi desiderium, ut, nisi fallitur Argentinensis, non dubitârit, etiam eam ad rem Acheronta movere. Factum illaudatum plures, an ex vano, descripsêre. Si vera referunt, apud hominem inferorum evocatione & occulto cum dæmone comercio infamé egerat, ut qua-

 lem-

lemcúnque fratris in libertatem asserendi viam reperiret. Mago rei tentandæ prompta voluntas fuit petito ex inferis auxilio. Evocatus impio carmine damnatus genius, mox emersit, formam hominis habitúmque viatoris mentitus, malè calceatus, vili galero & lippientibus oculis deformis. Sustinuit tamen Leopoldus tali spectro sua vota, & fratris salutem commendare: opémque pollicitum Trausnitium ad exportandum Fridericum mittere. Adfuit nefarius veterator sub literatoris in Ergovia olim nota persona, & explicato in Friderici oculis linteo, quod de collo gestabat, suasit fugam, ostentans libertatis recuperandæ promptam facilémque rationem. Se enim mox, si pannum ingrederetur, ipsum ad Leopoldum fratrem ducturum. Quærentem quisnam & unde esset novus iste paredrus? jussit supersedere quæstionibus & bajulo confidere. Fridericus id, quod res erat, suspicatus, inclamato Christi nomine & Crucis munitus signô tenebrionem rejecit, séque sacris amuletis & precibus à custodibus jussit custodiri. Addit Arenbeckius, voluisse eum clathris carceris inseri cruces ferreas ad pellendum dæmonum terrorem. Idem inprobum hoc Friderici liberandi inventum; hujus uxori, non Leopoldo, utpotè nimis generoso Principi impingit, fortasse neutri debitum, quod tam varia narratio jubet arbitrari. Certè Deo cordi fuit, ut Fridericus vellet Ludovico potiùs, quàm malo genio suam libertatem debere. Hæc citatus Scriptor, innuens Leopoldum Ducem cum uxore sua ab hac præstigiorum nota immunem.

Qui accuratiùs acta Leopoldi Ducis Austriæ filij Alberti I. Cæsaris scrutati sunt, referunt ob captivitatem fratris Friderici tam tristem effectum ut toto triennio, quo captivum Ludovicus Cæsar carcere tenuit, nullum signum lætitiæ ediderit. Quin imò Elogia, seu Corona duodecim Cæsarum ex Augustissima Domo Austriaca, quam Ferdinandus tertius, Cæsar XIII. Ferdinando IV. Romanorum Regi decimo quarto, Septemvirorum Sacri Romani Imperij unanimi consensu imposuit; memorat Leopoldum totâ vitâ suâ post captivitatem fratris nunquam risisse. Id ipsum Gerardus de Rhoo Historiæ Austriacæ Libro secundo affirmat. Leopoldus, inquit, auditâ fratris fortunâ mœstus, & vix illum vivere credens Basileam redijt, nec ullum quamdiu vixit, post hac lætitiæ signum de se dedit; magnum sanè veri in fratrem amoris indicium. Decessit ex hac vita Leopoldus Argentorati pridie Calend. Martij Anno 1326. Delatus inde ad sepulturam in

Mors Leopoldi Ducis Austr.

Cœno-

Cœnobium Campi-Regij, vulgò Königsfeld. Quid in Sacris ex innata familiæ ſuæ pietate egerit diximus in Cœnobij Königsfeldenſis Erectione. Præterea ad annum 1319. Deceſſit porrò actualis Eremi Deiparæ matris in Helvetia Advocatus.

Hic Leopoldus nomen S. Leopoldi primus ſortitus eſt ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca, ſub quo deinceps plures floruerunt, ac etiamnum floret Cæſarum Auguſtiſſimus Leopoldus.

Non nemo verò apud Joannem Jacobum Fugger in Speculo Domûs Auſtriacæ Lib. III. Cap. IV. ita de Leopoldo luſit:

Victrices caluêre manus in fata parentis. (a)
Præſidium frater (b) ſenſit & ipſe ſuum.
His ſimul affinis (c) ſervatam debuit auram:
De tribus Auguſtis hoc meruiſſe bene eſt.
Famæ materies armis infracta, vocabat
Gloria hunc equitum, militiæque decus.

(a) Albertus I. (b) Fridericus Pulcher. (c) Henricus VII.

Henrici Auſtriaci obitus.

Leopoldum ſecutus eſt in ſequente anno Henricus frater, qui 3. Februarij Mureponti in Styria deceſſit. Ob ſuavitatem morum dictus eſt *Comis*, promeritus etiam agnomen *Fortis*. Cùm enim à Rege Bohemiæ carcere teneretur, adverſum hunc fortunæ caſum invicto animo tulit. Tumulatus eſt primò Græcy; inde agente potiſſimum conjuge Eliſabetha in Königsfeldenſem Eccleſiam delatus. Cujus fundationis cum fratribus coadjutor extitit, aſſenſúmque cum ijsdem ad condendam Carthuſiam Maurbacenſem Friderico Pulchro præbuit. Extant de Henrico verſus apud nominatum Fugger ſequentes:

Lubrica ſors æquo caulam pede pulſat, & aulam,
Ac celeri ſummos verſat in orbe rotà
Suſtulit hæc mucrone patrem, fratríſque, meáſque
Juſſit pro ſceptris vincula ferre manus.
Tollere non ſica potuit non claudere ſera
Virtutis famam libera ſemper ovat.

CAPUT XXI.

Fundatio Ottonis Ducis Auſtriæ Neomonti in Styria pro Ordine S. Bernardi Abbatis Clarevallis.

QUo amore Rudolphus I. Cæſar Habſpurgo-Auſtriacæ Domûs Inclytus conditor proſequeretur ſacram Familiam

Ciſtercienſem palàm fecit dum ad ſublime Imperij faſtigium provectus, nihil antiquius habuit, quàm ad Abbates Ciſtercienſes Ciſtercij congregatos quantocyùs recurrere eorùmque preces, & ſuffragia apud Deum pro ſtabiliendis Imperij ſui exordijs implorare. Ea de re Libro I. Capite IV. diximus & ſubſequentibus Capitibus plura amoris argumenta erga hanc religionem demonſtravimus. Paternum amorem æmulatus eſt Albertus I. Cæſar, dum Regijfontis Cœnobium Anno 1302. eidem Religioni liberaliſſimè erexiſſet. Avi patríſque affectum erga eandem Religionem luculento teſtimonio expreſſit Otto Dux Auſtriæ dum Neomonti in Styria Anno 1327. Monaſterium fundaret. Quam fundationem Caſparus Jongelinus ſequentibus verbis expreſſit. Anno Domini M. CCC. XXVII. Illuſtris Dominus Princeps Otto Dux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ, diſpenſatione habita ſuper cognatione carnali inter ſe, & conſortem ſuam Dominam Eliſabetham de Bavaria, qui in tertia, conſanguinitatis linea ei cohærebat, Monaſterium fundare diſpoſuit: cúmque eodem anno ſibi primo genitus filius Fridericus in die S. Scholaſticæ natus eſſet, Abbates & Patres Ciſtercienſium Ordinis de S. Cruce, & alios perquirens, in loco apto ſuper Myrzam fluvium in Styria, montibus, vallibus, rivis, pratis, paſcuis, & nemoribus decorato ſuum propoſitum eſt exorſus. Ipſum quoque locum initiatum, in laudem B. V. M. Novum-Montem cenſuit appellandum quem diverſis, & multis prædijs, pro ſuſtentaculo Victualium, in temporalibus & magnis libertatibus, & ad cultum Dei varijs ornatibus communivit. Quæ ſua fuerant, obtulit: quæ aliorum, recompenſa digna pretij commutavit ſpecialiter cum quodam Bernhardo, cum cujus areâ, ipſe commutationem talem fecit, ſicut David cum Iebuſeo Areuna, &c.

Habſpurgo-Auſtr. Principes amatores Ordinis Ciſterc.

Fundatio Cœnobij Neomonti

Notitia Abbatior. Ord. Ciſt.

Fundationis hujus meminit M. S. Chronicon Zvvethallenſe aſſerens illam fuiſſe factam cum conſenſu Fratrum. Sapientiſſimus Princeps ea in re ſecutus eſt conſilium Friderici fratris, qui ſolerti conſilio Stabilire voluit fundationem ſuam Maurbacenſem & pia legata requiſito, etſi fortè non neceſſario omnium fratrum conſenſu, ut nè ullum ſuæ devotionis interverſorem metueret. Nobilitatum eſt hoc Cœnobium ſepulturâ ipſius Fundatoris, duarum ejuſdem conjugum, nempe Eliſabethæ Stephani Bavariæ Ducis filiæ, & Annæ Caroli IV. Cæſaris ſororis, præterea ſepulturâ duorum filiorum Friderici & Leopoldi. Quid porrò memorabile ratione Sepulturæ Fundatoris contigerit ad annum 1339. memora-

memorabimus: Cœnobium hoc est filia S. Crucis Sacri Ordinis Cisterciensis in Austria. Ab hac autem in Ordinem Cisterciensem munifica Pietate etiam devotus muliebris sexus noluit excludi quin affectûs sui luculenta testimonia in eundem Ordinem posteritati relinqueret contestatum. Námque Mater Ottonis Cœnobium Regijfontis (Kônigsbrun) cum marito fundavit. Avia verò Monasterium Sanctimonialium in Staincz cum marito Rudolpho in specialem protectionem suscepit, teste Lequile Parte tertia paginâ 62. ita loquente:

„ Anna Dei gratiâ Romanorum Regina, viris providis & ho„nestis Rudolfo ministro de Stauffach, & Wernhero de Sewen sa„lutem, & omne bonum. Cum dilectas in Christo Sanctimoniales „in Staincz Ord. Cisterc. Constantiensis Diœcesis cum universis „possessionibus & omnium bonorum facultatibus earundem in „nostram protectionem, & defensionem acceperimus specialem, „de beneplacito inclyti Domini nostri Regis, volentes, ut aliquam „precariam dare à nostris officiatis aliquatenus compellantur. Et „cùm intellexerimus, quòd tu Rudolfe minister de Stauffach ob „ejusmodi precariæ exactionem equum propignore memoratis „Sanctimonialibus abstulisti. Volumus, & mandamus tuæ discre„tioni, diligenter te rogantes, quatenus dictum equum restituas, „sinè mora, & contradictione qualibet. Vos ambo illas non veli„tis ampliùs in exactionibus ejusmodi gravare, ab omnium nihil„ominus incursibus, & injurijs pro viribus vestris, & posse constan„ter, & fideliter protegentes. Datum apud Kyburg 2. Non Sept. „anno Regni memorati Regis secundo, hoc est anno 1274.

De præmemorato ab Ottone erecto Cœnobio plura daturi eramus si in Styriam excurrere tempus, & occasio permisisset. Servamus nobis copiosiorem scribendi materiam ubi aliquam notitiam majorem ab ipsis Monasterij hujus possessoribus ex Archivis erutam nacti fuerimus. Quod ipsum ab omnibus qui hoc opus Pietatis Austriacæ ampliatum volunt affectuosè ac perhumanè denuò efflagitamus. Ex valle S. Bernardi in campum & planitiem S. Augustini calamum convertimus.

CAPUT XXII.

Fundatio Monaſterij Viennæ pro Fratribus Eremitis S. Auguſtini.

CUm Sanctus Auguſtinus Doctor Doctorum Eccleſiæ, & SS. Trinitatis Apoſtolus poſt mortem ampliſſimum Monachorum, ac Clericorum germen Eccleſiæ reliquiſſet, illius inſtituti tum Clerici, tum Monachi, per omnes terrarum oras laudabilis vitæ converſatione excellere, & ramos ſuos extendere cæperunt; ſic ut jam anno in ſequente mortem ipſius, Italia Eremitas Auguſtinianos, mox Anglia, Hybernia, aliæque Provinciæ admitterent, & amplecterentur. Rudolphus I. Cæſar & Auguſtiſſimæ ſuæ Domûs Inclytus Conditor hunc Eremitarum S. Auguſtini Ordinem ſingulari cultu proſequebatur, eique Tiguri Anno 1265. condidit Monaſterium. Pietatem, & amorem glorioſiſſimi Avi æmulatus Fridericus Pulcher Cæſar eundem Ordinem coluit, fovitque & voti reus Divo Auguſtino votum quod in carcere voverat ſolvit ſolenniter Viennæ Eccleſiam, quam hodie Aulicam nominamus, cum adjacente Aſceterio ædificando. Quod ne alicui dubium eſſe videatur, ipſas fundationis literas recitabimus.

Rudolph. I. Cæſar Fautor Ordinis Eremitarum S. Auguſt. *Schönleben in Rudolpho I. Cæſare.* Fundatio Viennæ pro Eremitis FF. S. Auguſtini.

In nomine Domini, Amen.

Fridericus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, omnibus in perpetuum.

„ILluſtratur ſereniùs Regia Celſitudo, dum præſidendo temporalis Regni Regimini, pietatis exercitio pro tranſitorio permanſurum, & pro terreno Cælitum lucrari ſtuduerit incolatum. „Hac enim commutatione utique celebri, & devotâ, nedum manſione polorum ſiderea, imò perenni viſione, & glorificatione Deificâ perfruetur. Quo circa conſiderantes attentiùs nos poſſe „potiſſimum pietatis exercitium in Divini augmento miniſterij, & „Religioſæ vitæ propagatione perficere, oculos Regalis Clementiæ & favoris in viros Religioſos Fratres Eremitarum Ordinis S. „Auguſtini devotos noſtros Chariſſimos, quos eo ampliori gratiarum Prærogativa in Dei laudem confovere diſponimus, quò magìs ipſos Monaſticæ, ac Cælibis vitæ inſignis clarere cognoſcimus „dignum duximus convertendos. Ipſis gratia S. Spiritûs inflammante,

„mante, unà cum Illuſtribus Alberto & Ottone, Ducibus Auſtriæ „& Styriæ, Fratribus & Principibus noſtris Chariſſimis, donantes „& aſſignantes donatione irrevocabili, inter vivos Domum in „Vienna, quæ olim pertinebat ad Monaſterium Maurbacenſe ſi„tam in alta ſtrata, cum quibuſdam areis adjacentibus, ubi ad „cultum Divini Miniſterij augmentandum, novum eiſdem Mo„naſterium cum Choro, Eccleſia, Domo & alijs officinis eis ne„ceſſarijs fundandum & erigendum permiſimus, per ipſos tenen„dum, inhabitandum, & perpetuò poſſidendum. Ita quòd de„relicto inferiori ipſorum Monaſterio extra Werderthor, quod „priùs inhabitabant, ante dictum novum Monaſterium ex noſtra „& prædictorum Fratrum noſtrorum parte, tredecim Sacerdo„tes continuè inhabitent, vel etiam plures, ſi Eleemoſynis Chri„ſti fidelium commodè ſuſtentari queant, ad quod ipſis conſen„ſum voluntarium impertimur.

„Volumus præterea authoritate Regiâ nihilominùs perenni„ter ſtatuendo, ut idem novum Monaſterium unà cum Fratribus „& perſonis illud ad laudem & honorem Dei inhabitantibus, „omnibus libertatibus, & honoribus gaudeat & fruatur, quibus „talia Monaſteria à Romanorum Regibus ac alijs Principibus fun„data perfrui dignoſcuntur, quodque idem Monaſterium, cum „perſonis prænotatis ſub noſtra & prædictorum Fratrum ac ſuc„ceſſorum Noſtrorum protectione ſpeciali permaneat, nè ullis „adverſitatibus, quibus Divinum obſequium præpediri valeat, „perturbentur. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc noſtræ „donationis & fundationis paginam infringere. Vel ei auſu te„merario contraire, ſicut Omnipotentis Dei gravem ultionem & „noſtræ Majeſtatis læſionem voluerit evitare. In cujus rei teſti„monium, & perpetuam firmitatem Sigillum noſtrum Regale, „unà cum Sigillis prædictorum Fratrum noſtrorum duximus „præſentibus appendendum. Et nos Albertus & Otto Dei gra„tiâ Duces Auſtriæ & Styriæ prænotati recognoſcimus omnia & „ſingula præmiſſa, per prædictum Dominum & Fratrem noſtrum „Dominum Fridericum Romanorum Regem, & per nos con„ſenſu unanimi, ritè & concorditer eſſe facta. In cujus eviden„tiam etiam noſtra Sigilla decrevimus præſentibus appendenda. „Datum Viennæ, Idibus Martij, Anno Domini 1327. Regni verò „noſtri Anno tertio decimo.

(L. S.) (L. S.) (L. S.)

Sciendum tamen, quòd hic Fridericus morte præventus non potuerit propositam fabricam complere, sed tota cura devoluta sit ad Ottonem Fratrem cognomento *Hilarem* & *Jocosum*, cujus ope Conventus unà cum Ecclesia intra paucos Annos assurrexit. Plerique scriptores Austriæ præteritis reliquis duobus Fratribus, Friderico Pulchro, & Alberto hunc solum Ottonem pro Fundatore dictæ Ecclesiæ & Conventûs nominant, cùm tamen omnes tres, & principaliter Fridericus Pulcher Fundatoris nomen sibi meritò vendicet, prout ex suprà dicto diplomate constat.

Errant etiam illi, qui dicunt, quòd in hoc Conventu ante PP. Augustinianos calceatos fuerint PP. Carthusiani; habuerant quidem domum sæcularem ad se quondam pertinentem, quam postea cesserunt Friderico Pulchro tanquam Fundatori suo, non tamen in illa habitârunt, multo minùs Monasterium aliquod in eo loco habuerunt, sed noviter illud suprà dicti Duces pro PP. Augustinianis ædificaverunt. Patribus autem Carthusianis domus, quam hodie vocamus Seitzerhoff à Friderico Pulchro loco præcedentis cum jure civili data est.

Ex allatis patet, quàm verè affirmaverit toties citatus hoc opere Schönleben de Friderico, nimiùm valde devotum ipsum vixisse Sacro Ordini Eremitarum S. Augustini. Prædictam porrò fundationem à Friderico de consensu fratrum suorum factam attestatur etiam publico instrumento primus ejus Cœnobij Prior. Est autem testimonij hujus tenor sequens.

Frater Hermannus Prior,

„TOtúsque Conventus in Vienna Fratrum Eremitarum „ Ordinis S. Augustini Cælestis coronam bravij feliciter adipisci. Universis Christi fidelibus inspecturis.

„CUm præsens vita umbræ, vento, ac sono similis in imagine „labentis seculi fluxibiliter agatur, Regiam constat excellen„tiam tunc feliciùs gubernari, dum vitæ præsentis dominium sic „duxerit, ut divini amplificatione Ministerij ac vitæ fulcimento „Monasticæ, sideream jugiter celsitudinem meditetur. Quod D. „Fridericus Romanorum Rex Christianissimus Regni cælestis de„siderio devotiùs considerans, voluntate ac consensu Illustrium „Principum fratrum suorum Alberti & Ottonis Ducum Austriæ „& Styriæ unanimi, Divinum cupiens augere Ministerium, & re„ligiosam vitam pijs confovere præsidijs, Monasterium ex novo „in alta sua Civitatis Viennensis strata, liberâ nobis donatione fun-

„fundavit per XIII. Sacerdotes noſtri Ordinis, quos ſuæ funda-
„tioni ſpecialiter deputari voluit, vel etiam per plures, quotquot
„eleemoſynis poterunt fidelium ſuſtentari, inhabitandum, te-
„nendum & perpetuò poſſidendum: quod etiam Monaſterium
„pijs accumulavit muneribus, libertatibus, honoribúſque dotans
„Regijs, ad ſuam ſuorúmque prædictorum fratrum, ac ſucceſſo-
„rum ſuorum protectionem perpetuam aſſumendo. Quod re-
„cognoſcentes tenore præſentium, in perpetuam rei memoriam
„Sigillum noſtri Conventûs duximus apponendum. Anno
„M. CCC. XXVII. 7. Kalend. Septemb.

Hoc porrò Cœnobium apud calceatos Patres Auguſtinianos cum Eccleſia (de cujus conſecratione ſicut etiam Sacelli Sancti Georgij Libro III. agemus) manſit ad annum 1630. quo die 15. Maij ad inſtantiam Imperatoris Ferdinandi II. per Nuntium Apoſtolicum de mandato SS. D. N. Urbani Papæ VIII. traditum eſt Patribus diſcalceatis S. Auguſtini. Quæ autem à præmemorato anno ſub novis incolis quoad noſtrum inſtitutum ab Auguſtiſſima Domo occaſione præcipuè templi geſta ſunt, ea ſuo loco non præteribimus. Interim in planitie cum Magno Auguſtino verſati tantiſper in eremum S. Brunonis abeamus & initium fundationis Maurbacenſis depromamus.

CAPUT XXIII.

Origo Carthuſiæ Maurbacenſis.

INitium equidem fundationis celeberrimi hujus Monaſterij datum eſt anno 1313. antequam Fridericus Dux Auſtriæ ad Imperij clavum regendum evocaretur. At belli flamma, de qua jam egimus, complementum fundationis hujus per complures annos impedivit. Dabimus fundationis ſeriem prout geſta eſt ex manuſcripta hiſtoria à Reverendiſſimo Domino Leopoldo Brenner loci profeſſo & ab anno 1678. Prælato Sacrique Ordinis in ſua Provincia Conviſitatore. Aſſervatur illa ab annis compluribus in Bibliotheca Cæſarea Vindobonæ, ſeu Wiennæ, quam cum nonnullis Schedis collectaneíſque documentis hiſtoriæ fundationis hujus antiquiſſimi celeberrimíque Monaſterij inſervientibus mihi communicavit in omni doctrina laudatiſſimus D. Daniel de Neſſel J. C. S. C. M. Conſiliarius & Aulicus Bibliothecarius, idque primo meo ad Cæſaream Bibliothecam reſerato aditu. Quæ ſecuturis paginis daturi ſumus meliori fortè loco fuiſſent colloca-

Origo Carthuſiæ Maurbacenſis.

ta, ſi ea præmittere licuiſſet ac Libro primo, ubi de Rudolpho primo Cæſare ex profeſſo egimus, inſerere. Verùm cùm hæc privilegia, quorum mentionem hìc faciemus tam ſerò ad manus noſtras pervenerint, apto adhuc loco collocaturi, ea nos ominamur, ſi faventem Lectorem nacti fuerimus, ac præſertim talem, qui operam noſtram maturâ argumenti hujus copiâ ac materiâ copioſâ adjuverit. Et hinc ob copiam materiæ, utpote fortè minus debito loco recenſitæ Caput nimis latè excurrere videbitur alicui, ideoque Caput præſens in plures paragraphos partimur.

§. I.

Privilegium Ottogari Regis Bohemiæ Carthuſiæ Seitzenſi collatum.

„NOs Ottogarus Dei gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, „Styriæ, Carinthiæ, Marchióque Moraviæ, Dominus Car„niolíæ, Marchiæ & Egræ, ſcire volumus univerſos præſentes Li„teras inſpecturos, quòd Frater Jacobus Prior Monaſterij Seitz ex„hibuit nobis quoddam Privilegium ſub ſigillo Ducis Ottogari „piæ memoriæ, non cancellatum, non vitiatum, cujus tenor eſt „talis.

„In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Ottogarus „Dei gratiâ Dux Styriæ, omnibus Chriſti fidelibus tam futuris „quàm præſentibus, per præſentia ſcripta notum fieri volo, quòd „Pater meus memoriæ felicis Ottogarus Marchio Styrienſis ad „laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & ejus Genitricis ac per„petuæ Virginis Mariæ, Sanctíque Joannis Baptiſtæ, omniúmque „Sanctorum, conſilio & auxilio Reverendiſſimi Papæ Alexandri, „fratres de Ordine Carthuſienſi adduxit in Marchiam noſtræ di„tionis, eóſque in loco, qui nunc vallis S. Joannis Baptiſtæ dicitur „collocavit. Nos verò nominis & hæreditatis ipſius ſucceſſores, „votum deſiderij animi ſui prælibatum, ſed morte, quæ nulli par„cit, præveniente minùs perfectum pleniùs conſummavimus. „Fratres autem qui primò venerunt, morem gentis neſcientes, „terra utrum fæcunda, an non fæcunda eſſet minùs cautè atten„dentes, multo minùs quàm eis ſufficere poterat acceperunt, cùm „Pater meus multò plura eis dare voluiſſet. Unde ad tantam pe„nuriam poſt mortem Patris mei devenerant, quòd locus penè „deſtructus fuerat. Nos verò hoc cognoſcentes ad reſtitutionem „eorum citiùs manum porreximus. Pater meus dederat eis 12.

modios

„modios ſalis in Grouſcar, viginti maſſas ferri in Leűben, & unam „ſaumam olei ibidem, 19. menſuras mellis in Tiver & alia quàm „plura. Nos verò addidimus ad hæc cutes & pelles omnes, qua-„rum carnes conſumimus de tribus præpoſituris Marchburg, Ra-„kerſpurg & Tiver, abſque Dominicis diebus & tribus diebus in „Natali Domini & Paſchæ, & Pentecoſtes, dedimus etiam eis vil-„lam, quæ ſibi contigua eſt, nomine Seitz & omnes ſervos & an-„cillas, qui tunc temporis in eadem erant villa. Dedimus quoque „eis quidquid in villa quæ Rogon dicitur habebamus & manſum „unum Oplotniz. Præterea conſtituimus eis ſingulis annis dari „octo marcas de Eleemoſyna Patris mei, Grætz unam, Ruckerſ-„purg unam, Marckpurg unam, Rohatz unam, Tiuer unam, Di-„enſtein unam, Leſcenich dimidiam marcam, Leuben dimidiam, „Judenburg dimidiam, Saxenvelde dimidiam. Adhuc autem quia „paſcua, quæ infra terminos eorum ſunt, pecoribus eorum non „ſufficiunt, conceſſimus eis paſcua per terram noſtram, tam in „alpibus quàm in campis planioribus. Conceſſimus etiam ſi quis „miniſterialium noſtrorum prædia, vel alia quælibet, quæ abſque „conſenſu & licentia noſtra dare non poſſunt, eis conferre voluerit „quòd liberè & abſque ullius contradictione facit, & ipſi liberè & abſque ullius infeſtatione perpetuo jure poſſideant. Ortulphus „quoque de Gonwiz & Otacherus & Leopoldus fratres ejus pro „remedio animarum ſuarum, atque omnium prædeceſſorum „fratribus in præfato loco Deo ſervientibus liberè & abſolutè con-„ceſſerunt piſcationem per totam aquam, quæ Oplotnitz dicitur, „& per illam ſimiliter quæ Treuna nuncupatur, & hoc ad memo-„riam perpetuam in hoc privilegio notari præceperunt. Hæc & „alia, quæ ſive frater meus, ſive nos eis contulimus, quæſita cum „inquirendis, culta cum colendis & cum omnibus uſibus ad ea „pertinentibus, agris, vineis, pratis, paſcuis, piſcationibus, ve-„nationibus liberè, & absque omni ſæcularium inquietudine tra-„dimus. Tale quoque præceptum ſtatuimus, nè quis terminos „Eremitarum ibidem inhabitantium, venationibus, piſcationi-„bus, vel paſcendis pecoribus, vel lignis ſuccidendis ſive alijs „quibuslibet tumultuoſis acceſſibus contemplatores Dei inquie-„tare, vel quietem tantæ Religionis audeat perturbare. Si quis „verò hujus noſtri Edicti temerarius contemptor extiterit, advo-„cato loci, ſi liber vel miniſterialis eſt, X. libras componat, ſi de „ordine plebeio. 30. ſolidos perſolvat. Advocatiam verò ejuſdem „loci, neque Pater meus, neque nos alicui tradere volumus, nisì

„nobismet ipſis. Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, „privilegio confirmamus & impreſſione noſtræ imaginis arctiùs „roboramus. Adhuc autem addimus & firmum ac ratum eſſe de-„cernimus, ſi quando Deus eis in prædijs eorum argentum, vel „aliquid tale invenire donaverit, liberè & absque alicujus infe-„ſtatione poſſideant. Hujus rei teſtes ſunt, Otto de Chuneſperg, „Heinricus de Trus, Leutuvinus de Sunenberg, Heinricus de Pu-„ten, Leopoldus frater Ducis, Dietmarus & Ulricus frater ejus „de Butenow, Arnoldus de Ruſtdorf, Arnolfus de Wartenburg, „Otto Sun, & filius ejus Duringus, Otto Heinricus & Hergninguer, „Popo de Cklam, Pertholdus de Stegue, Rudolphus de Chin-„denberg & alij multi.

„Sanè divinæ bonitatis Clementia, quia tantò majora tribuit, „quantò per ea ſuæ dignitatis Religionem viderit ampliari. Nos „æternæ felicitatis intuitu, nec non pro noſtrorum progenito-„rum ſalute univerſas donationes, libertates, gratias cum juribus „univerſis prædictis Fratribus & domui in Seitz per memoratum „Ottocharum Ducem Styriæ & Patrem eiuſdem Ottocharum fa-„ctas, ratas habentes, eiſdem fratribus & domui in Seitz duas vil-„las, videlicèt Præpuhel & Præpuel ſitas in officio Marchpurch, „proximas Petow habentes. 46. manſus cum omnibus attinen-„tijs, pratis, paſcuis, ſylvis, agris cultis & incultis in recompenſa-„tionem octo marcarum denariorum, quas diviſim accipiebant „in locis ſeu officijs diverſis, prout ſuperiùs eſt expreſſum, proprie-„tatis titulo donamus & conceſſimus, & etiam tradimus perpetuò „poſſidendas, ſimilibus libertatibus, quibus prædicti fratres alia „bona ſua hactenus poſſederunt. Inſuper octo maſſas ferri pon-„deris majoris dictis fratribus & domui in Seitz donamus, & apud officiales in Leuben quicunque pro tempore fuerint, ordinamus, „pro viginti maſſis ferri, quas in Leuben priùs recipere conſueve-„runt. Volumus etiam ut deinceps præfati fratres prædictas octo „marcas à noſtris officialibus non requirant. In cujus rei teſtimo-„nium præſentes literas noſtrorum juſſimus ſigillorum munimi-„ne roborari præſentibus teſtibus infrà ſcriptis qui ſunt. Ulricus „Capitaneus de Purrenholz, Otto de Haſiauur, Otto de Perhtolt-„ſdorf, Heithengerus dapifer de Landenſe, Gundacharus Pincerna „de Hauchſpach, Heinricus de Hauuenvelde, Vlricus de Hauchſ-„pach, Heinricus de Helffenberg, Fridericus de Petovia, Fridericus „de Græz & frater ejus Ortolphus Chraſco Plebanus, Ortolphus

„de

„de Gurgfelde & alij quàm plures. Datum per manum magiſtri „Ulrici Protonotarij. Anno Domini 1270. indict. XIII.

§. II.

Privilegium Ottogari Regis Bohemiæ, continens privilegium filij Fundatoris de Libertate Monaſterij Seitzenſis.

„NOs Ottogarus Dei gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, „Styriæ, Carinthiæ, Marchióque Moraviæ, Dominus Car-„nioliæ, Marchiæ & Egræ, ac portûs Naonis. Scire volumus uni-„verſos præſentes Literas inſpecturos, quòd ex parte fratrum „Monaſterij in Seitz vidimus & recepimus quoddam privilegium „ſub ſigillo felicis memoriæ Ducis Ottogari non cancellatum, „non vitiatum, cujus tenor talis eſt.

„Nos Ottogarus, divina miſeratione Dux Styrienſis. Judi-„cibus Præpoſitis, & Officialibus univerſis ſub noſtro Dominio „conſtitutis gratiam & ſalutem. Quoniam divina bonitas ſuos „cultores beneficijs nunquam deſtituit, ſed divitijs & honoribus „circumquáque multiplicat, felicis memoriæ Patris noſtri Ottoga-„ri Marchionis Styriæ pium erga fratres nobis dilectos in Seitz fa-„vorem & inextinctum propenſiùs exequi cupientes confirma-„mus eiſdem conceſſas omnes libertates, donationes & gratias „ab ipſo, præcipientes eaſdem ab omnibus obſervari, Volentes „inſuper prædictos fratres majore libertatis Privilegio gratulari, „nè ſubreptione aliqua poſterorum à nobis indulta eis largitas „quandóque intereat, præcipimus quæcúmque ipſis de noſtra „gratia ſuperaddita ſunt, in ferro, cutibus, & ſale & alijs ſecun-„dùm continentiam ſuorum privilegiorum indifferenter ab om-„nibus quocúnque nomine cenſeantur, qui vice noſtri pro tem-„pore fuerint conſtituti Capitanei, Judices, vel Proviſores in Sty-„ria inviolabiliter cuſtodiri. Adijcimus etiam firma ſanctione, „nè quis contractus, donatio, ſive injuriæ remiſſio vel compoſitio „circa invaſores dictæ fundationis abſque conſenſu Prioris & fra-„trum prædicti loci facta teneat à quocûnque. Et nè quis homi-„nem capere, occidere & ignem apponere, intra clauſtrum ipſo-„rum & hoſpitale, aliqua temeritate præſumat, vel ipſos fratres „aut homines eorum ad aliquas præſtationes vel operas, in mu-„ris foſſatis, vel calce coquenda, ſeu vecturis in expetitionibus „faciendis, & ad quævis alia publica ſervitia compellere, Interdi-„cimus quoque, & ſub noſtræ obtentu gratiæ, diſtrictiùs inhibe-

„mus, nè quis officialium nostrorum sive Judicum nec non mini-
„stralium tractatibus sive causis in exercendis judicijs contra ho-
„mines eorum aliqualiter se, nisi rogatus, immisceat, quicquid il-
„lud fuerit quæstionis & ubicúnque natum fuerit exceptis civita-
„tibus Oppidis & alijs locis principalibus, ubi de amore à nobis
„& à nostris Officialibus causæ soleant agitari & hoc solùm exten-
„di ad proprios Ecclesiæ ordinamus. Interdicta etiam eis in hac
„parte jurisdictione qualibet sic ubi in possessionibus eorum com-
„pitis, sive villis, inter colonos eorum effusio sanguinis oriatur.
„Quod si ex occasione hujusmodi percussus interierit & ad publi-
„cum judicium causa deducta fuerit per querelam, nisi præ-
„misso legitimo examine, utrùm livore malitiæ, seu ulciscendi
„animo, an causa propulsandæ injuriæ commissum inciderit, con-
„tra reum decernimus nullatenus procedendum, cedentibus bo-
„nis ejus vel eorum, qui pro talibus, sive pro quibuslibet alijs sce-
„leribus indistinctè plectendi fuerint, Fratribus & Ecclesiæ supra-
„dictis integraliter jure vel consuetudine contrariâ non *obstante*.
„Sin autem Officiales nostri, vel judices ob vindictam *patrati sce*-
„leris malefactorum nequaquam expectant; nisi publicus Latro
„vel fur fuerit, seu aliàs damnatorum varietate criminum macu-
„latus. Concedimus etiam hominibus eorum in silvis & pascuis,
„aquis & piscationibus cum nostris hominibus ubique plenam
„communionem habitam ex antiqua consuetudine vel præscri-
„ptam. Inhibemus etiam nè quis homines eorum exactione sive
„Steura, vel tributis persolvendis de rebus suis quas conservan-
„das vel vendendas ad publica fora inferunt, seu emptas deferunt
„aliqualiter audeat perturbare. Ut autem ista firma & inconvul-
„sa inposterum permaneant, nostri sigilli munimine præsens scri-
„ptum fecimus communiri. Datum Racherspurg V. Calendas
„Octobris, Indictione 3. Incarnationis Dominicæ 1155. præsenti-
„bus Ottone de Chunegesperg, Dietmaro de Buthenowe & Ulri-
„co fratre ejus Rudolpho Chinnenperch, Arnolpho de Warten-
„perch, Ludwino de Schonenperch & alijs quàm pluribus. Verùm
„quia divini numinis bonitas suæ liberalitatis in nos gratia tanto
„copiosiùs diffundit, quanto nos majestati obnixiùs & studiosiùs
„noverit inservire. Nos æternæ retributionis intuitu ac nostro-
„rum progenitorum salute cupientes fratres prædictos & do-
„mum de Seitz largitatis Regiæ privilegio seu beneficijs collætari,
„confirmamus & approbamus scripti præsentis indicio univer-
„sas donationes, libertates & gratias, concessas sibi per memo-
ratum

„ratum Ducem Ottogarum & Patrem ejuſdem, præcipientes eas „ſibi ac ſuis hominibus inviolabiliter ab omnibus quemadmo-„dum ſuperiùs expreſſum eſt, cuſtodiri. Adhuc ſuæ Religionis „propoſitum favore amplioris gratiæ proſequentes abſolvimus „eos & liberos eſſe volumus, ab omni penitus exactione, ſive „ſteura & ab alijs quibuslibet ſervitutibus ac præſtationibus vel „ſubſidijs atque ratione juris civilis quod vulgò Burgrecht dici-„tur, vel arearum ſuarum, quas diviſim detinent Nicolaus de „Seiz, & Wolfhardus civis in Marpurg, unà cum Cellario in-„terjecto, ſeu aliàs quomodolibet tenebantur, mandantes ipſos „ex nunc & inpoſterum in his & ſimilibus minimè moleſtari. Vo-„lumus etiā, nè quovis modo jure vel conſuetudine, niſi de man-„dato noſtro & imperio ſpeciali ac fratrum prædictorum conſen-„ſu homines ipſorum proprios libertate manumiſſionis quis „emancipet. Si qui ex talibus hactenus aufugerunt ad dominium „Eccleſiæ ex præcepto & indulto poteſtatis Regiæ revocatis. „Datum in Grætz per manum Magiſtri Ulrici Prothonotarij, In-„carnationis Dominicæ Anno 1274. VII. Calendas Maij, Indict. 2.

§. III.

Renovatio & confirmatio Privilegiorum primorum Fundatorum per Rudolphum I. Cæſarem.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

„UNiverſis Sacri Romani Imperij fidelibus præſentes li-„teras inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum.

„REgalis excellentia tunc præcipuè auctori ſuo, per quem „ſumpſit plenitudinem poteſtatis, devotionis ſuæ rependit „meritum, cùm ob ejus reverentiam Religioſarum perſonarum „juſtis ſupplicationibus ſe inclinans venerabilia ipſarum loca, & „in eis Domino famulantes piâ ſtudet providentiâ, in ſuis juſtis „petitionibus & juribus confovere. Venientes itaque ad noſtræ „Majeſtatis præſentiam honorabiles & Religioſi viri, Prior & fra-„tres, Monaſterij de Seitz, Ordinis Carthuſienſis Celſitudini Re-„giæ devotè & humiliter ſupplicârunt, ut Privilegium ſibi ab Illu-„ſtribus Ottogaro quondam Duce Styriæ & Ottogaro Patre ejuſ-„dem Marchione quondam terræ ejuſdem gratioſè conceſſum, „cujus reſcriptum ſub Inclyti Ottogari Regis Bohemiæ Principis

„nostri dilecti sigillo nobis exhibitum vidimus, eis de benignitate „dignaremur Regia confirmare, cujus rescripti tenor talis est.

„Nos Ottogarus Dei gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Styriæ, „Carinthiæ, Marchióque Moraviæ, Dominus Carnioliæ, Marchiæ „& Egræ, &c. Nos igitur pietate solitâ, quâ profectum & utili-„tatem omnium Ecclesiarum amplectimur, prædictorum Prio-„ris & fratrum devotis supplicationibus annuentes, divinæ retri-„butionis intuitu & pro nostræ salutis augmento prædictum pri-„vilegium & contenta in ipso de Regalis gratiæ plenitudine con-„firmamus. Collationem duarum Villarum Præpuhel & Præ-„puel videlicet sitarum in officio Marchburg prædictis fratribus „in recompensam prædictarum octo Marcarum denariorum, „per inclytum Ottogarum Regem Bohemiæ factam ratam ha-„bentes nihilominus & acceptam. Si quis autem hanc nostræ „confirmationis & ratihabitionis paginam infringere, vel eidem „in aliquo ausu violento præsumeret contraire, gravem nostræ „Majestatis offensam se noverit incursurum. In cujus rei testimo-„nium & perpetui roboris firmamentum, præsens scriptum præ-„dictis fratribus tradimus Majestatis Regiæ sigilli munimine ro-„boratum. Datum Viennæ 2. Idus Januarij Anno 1277. Regni „verò nostri anno quarto.

§. IV.

Approbatio & Innovatio memoratorum privilegiorum per Albertum Ducem Austriæ, filium Rudolphi Cæsaris.

Albertus Dei gratiâ Dux Austriæ & Styriæ, Dominus Carnioliæ, Marchiæ ac Portûs Naonis.

„OMnibus in perpetuum.
„

„ACcedens ad nostram præsentiam Vir honorabilis & discre-„tus Frater Andreas, quoddam privilegium de Monasterio „suo in Seitz Ordinis Carthusiensis, per Serenissimum Domi-„num & Genitorem nostrum Charissimum Dominum Rudol-„phum Romanorum Regem semper Augustum confirmatum „nobis exhibuit, petens humiliter & devotè quatenus id ipsum „privilegium approbare & innovare de speciali gratia dignaremur. „Cujus quidem privilegij tenor de verbo ad verbum talis est.

Rudol-

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„UNiversis Sacri Romani Imperij fidelibus: & alia „juxta superiùs annotatâ.

„NOs igitur prædicti fratris Andreæ devotis precibus inclina„ti, memoratum privilegium & omnia contenta in ipso si„cut præmittitur, renovamus & liberaliter approbamus. In cu„jus nostræ innovationis & approbationis testimonium & caute„lam præsentes exinde conscribi & nostro sigillo jussimus com„muniri. Datum Viennæ Idus Novembris, Anno Domini 1290.

§. V.

Confirmatio privilegiorum antiquorum de libertate Monasterij hujus per Rudolphum filium Alberti collata.

Rudolphus Dei gratiâ Dux Austriæ & Styriæ, Dominus Carnioliæ Marchiæ, ac Portûs Naonis.

„UNiversis præsentium inspectoribus in perpetuum. „

„PRrivilegium venerabilibus Patribus Religiosis viris Priori & „Conventui domûs Vallis Sancti Joannis Baptistæ in Seitz, „Ordinis Carthusiensis, à piæ recordationis Domino Ottogaro „Illustri Duce Styriæ olim traditum & indultum, diligenter per„speximus & vidimus per omnia sub his verbis. Nos Ottogarus „divina miseratione Dux Styriensis Judicibus, præpositis, & offi„cialibus universis sub nostro Dominio constitutis gratiam & sa„lutem. Quoniam divina bonitas suos cultores beneficijs nun„quam destituit, &c.

„Nos igitur æternæ retributionis intuitu, nostrâ & progeni„torum nostrorum salute ac remedio animarum, eorundem fra„trum pijs precibus inclinati, dictum Privilegium & singulos in „eo contentos articulos de verbo ad verbum unà cum privilegijs „& libertatibus & gratijs universis, quas piè memoriæ Dominus „Rudolphus Rex Romanorum quondam avus noster, & Domi„nus Albertus Rex Romanorum Genitor noster, tunc Dux Au„striæ, super singulis dictorum fratrum privilegijs confirmârunt, „approbamus, innovamus & præsentis scripti patrocinio confir-

„mamus nostri sigilli munimine roborati in evidens testimo-„nium promissorum. Hujus rei testes sunt, Illustris Leopoldus „Dux Austriæ frater noster, Venerabilis Pater Dominus Ulricus „Secoviensis Episcopus, Magister Berch Prothonotarius noster, „Marschallus de Landenberg, Ulricus de Walse Capitaneus Sty-„riæ, Bertholdus Dapifer de Emberberch, & quàm plures alij fide „digni. Datum & actum in Brukka Styriæ, anno Domini 1305. „Nonas Maij.

§. VI.

Eorundem privilegiorum confirmatio per Fridericum Pulchrum Romanorum Regem.

Nos Fridericus Dei gratiâ, Dux Austriæ & Styriæ, Dominus Carnioliæ, Marchiæ ac Portûs Naonis.

„OMnibus tam præsentibus quàm futuris perpe-„tuam notitiam subscriptorum.

„VEnientes ad nostram præsentiam Religiosi viri Gotfridus „Prior & fratres Conventûs Monasterij in Seitz Carthusien-„sis Ordinis, quoddam privilegium confirmationis per Serenissi-„mum Dominum & avum nostrum Dominum Rudolphum „Romanorum Regem divæ memoriæ, eidem monasterio super „suis juribus & possessionibus innovatum & traditum, nec non „per Dominum & Genitorem nostrum Dominum Albertum „Ducem Austriæ & Styriæ in Romanorum Regem postea subli-„matum ad instantiam eorundem fratrum, sicut vidimus, post-„modum innovatum nobis exhibuerunt & humiliter supplicâ-„runt dictum privilegium sibi etiam approbari, & innovari per „nostrum consensum & gratiam.

De hoc privilegio plura videre non licuit, adeóque ut fidelitati, quæ Historicum decet, studeamus, illud mutilum afferre vel inviti cogimur.

Alterum ejusdem Principis integrum damus, ex quo integerrima in Sacra Pietas Lectori innotescet.

Fri-

Fridericus Dei gratiâ Dux Auſtriæ & Styriæ, Dominus Carnioliæ Marchiæ & Portûs Naonis.

„UNiverſis Chriſti fidelibus perpetuam notitiam.
„

„SCriptorum Divina utriúſque teſtamenti teſtantur eloquia, „quòd Deus juſtus & miſericors viam hominis in capite ſuo „ponit, & ſecundùm opera ſua in cælo & in terra remunerans, „ipſum trutinâ meritorum ſuorum aut pro virtuoſis actibus aſſu„mit & eligit, vel pro reprobis abjicit & diſperdit. Cupientes igi„tur Illuſtrium & Magnificorum Principum, qui fundatione Clau„ſtrorum & aliorum ſacrorum locorum magnificentiæ Dei ali„qualem rependerunt vicem, ſemitis ambulare, generoſitatem „clariſſimæ generationis noſtræ glorificantes in terris, Salvatoris „edocti Clementiâ, omnes prærogativas, libertates, gratias & im„munitates, atque omnia jura à famoſiſſimis Principibus Ottoga„ro quondam Marchione Styriæ, & Ottogaro Duce filio ejus, „fundatoribus, & præclariſſimis & nobiliſſimis Domino Rudol„pho Avo noſtro & Domino Alberto Patre noſtro generoſiſſimis „quondam Romanorum Regibus, & prædilectiſſimo fratre no„ſtro Rudolpho quondam Rege Bohemiæ generoſiſſimis prote„ctoribus & conſervatoribus domui Vallis S. Joannis Baptiſtæ in „Seitz Ordinis Carthuſienſis, Aquilegienſis Diœceſis, datas & con„ceſſas, pro remedio animarum progenitorum noſtrorum, no„ſtráque ac fratrum noſtrorum ſempiterna ſalute, approbamus, „ſtatuentes univerſa & ſingula, ab omnibus donationem noſtram, „qualicúnque conditione reſpicientibus, firmiter & inviolabili„ter conſervari, &c.

„Nos quoque pro Regis ſempiterni reverentia, nec non Bea„tiſſimæ Genitricis illius glorioſæ Virginis Mariæ, Omniúmque „Sanctorum, & ut prædictorum fratrum in ævum juvemur me„ritis apud Deum, præmiſſas donationes, conceſſiones, & gratias „univerſas, & ſingulas ratas habentes & gratas, ipſas ſpeciali gra„tiâ approbamus, innovamus, & præſentis ſcripti ſigilli noſtri ro„bore communiti patrocinio confirmamus.

„Nulli ergo liceat hanc noſtræ approbationis & innovatio„nis infringere paginam, vel eidem auſu temerario contraire. „Quod ſi quis ſecus attentare præſumpſerit, indignationem no-

„ſtram graviſſimam, & pœnam dignam ſe non dubitet incurſu-
„rum. Datum Viennæ Anno Domini 1311. XIV. Calend. Octobris.

Nunc greſſum revocamus unde digreſſi ſumus, videlicet ad Carthuſiam Maurbacenſem.

Anno Chriſti M. CCC. XIII. ad Eccleſiæ clavum reſidente Clemente V. in Germania verò ſceptris Imperij potiunte Henrico VII. Auguſto Cæſare, Fridericus cognomento Pulcher, Alberti Cæſaris filius, Rudolphi Habſpurgici nepos, Dux Auſtriæ & Styriæ, Dominus Carnioliæ, Marchiæ & Portûs Naonis, &c. ejuſdémque fratres Leopoldus, Albertus, Henricus & Otto, etiam Duces Auſtriæ, Divinâ inſpirante clementiâ, ut Principum utar verbis, bonâ habitâ deliberatione, maturo conſilio, concordi conſenſu, voluntate liberâ, & devotione ſincerâ, pro animarum ſuarum & omnium parentum ſuorum remedio & ſalute: ad honorem SS. & Individuæ Trinitatis, glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, S. Joannis Baptiſtæ, S. Antonij Abbatis, & omnium Sanctorum, fundârunt Clauſtrum & Hoſpitale in prædio ſuo dicto Maurbach: donantes ea, Clauſtrum videlicet & Hoſpitale S. Ordini Carthuſienſi; quem præ cæteris duxerant eligendum: dotantes prædictam fundationem pro tredecim Monachis, quorum unus ſit Prior, & totidem cellis, ſicut inſtituta dicti Ordinis requirunt: & duodecim infirmis viris videlicet pauperibus, qui in ſuo non minuantur numero; quos idem Prior propter Deum duxerit colligendos. Et urgente Principum Zelo nova Plantula vertente anno circa Virginis Aſſumptæ ſolennia à Matrice Carthuſia R. P. Haymonis Generalis Ordinis auſpicio in filiam eſt admiſſa, ſubſequentium tenore literarum.

„Illuſtriſſimo Principi, & Chariſſimo Domino ſuo atque Re-
„verendiſſimo D. D. Friderico D. G. Nobili Duci Auſtriæ & Sty-
„riæ, &c. F. Haymo dictus Carthuſiæ Prior, & ejuſdem loci Con-
„ventus ſe ipſos totos, & ſi quid poteſt apud Deum Oratio pec-
„catorum. Receptis literis Veſtræ Altæ dominationis, gaviſi ſu-
„mus in Spiritu Sancto, qui vobis talem affectum erga ſe & erga
„pauperem Ordinem noſtrum inſpiravit, ut velitis facere novam
„Domum Ordinis noſtri in ducatu veſtro juxta locum, qui vulga-
„riter Maurbach appellatur, quam domum de communi conſen-
„ſu & conſilio, etiam privati Capituli recipimus, & Vallem S. An-
„tonij decrevimus appellari, cujus Domûs regimini, curæ, & cor-
„rectioni tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus ob reveren-

tiam

„tiam veſtram & fratrum veſtrorum conſentimus & volumus „auctoritate noſtri Capituli fore ſubjectum, unitum & incorpo-„ratum Hoſpitale illud, quod intenditis fundare, vel jam fundare „& ædificare incepiſtis in loco, qui dicitur Maurbach, juxta præ-„dictam novam fundationem, ſeu Domum Vallis S. Antonij pro „perſonis Maſculini ſexûs ſicut decet. Non enim conſuevit Ordo „noſter in domibus ſuis aut etiam grangijs ſub tecto recipere mu-„lieres: quæ etiam perſonæ, ſi malè ſe haberent, poſſent expelli „de dicto Hoſpitali per Priorem, qui pro tempore præeſſet domui „memoratæ: & per Priorem dictum & Conventum Monacho-„rum domûs Vallis S. Antonij inſtituantur & ponantur in dicto „Hoſpitali, cùm fuerit opportunum. Quæ etiam Perſonæ ha-„beant fraternitatem Ordinis noſtri: & ipſæ perſonæ teneantur „ad reddendum pro defunctis noſtri Ordinis, ſicut alij de Ordine „noſtro, ſecundùm Ordinis inſtituta. Et hæc omnia cum liber-„tate & exemptione omnimoda, quam à Diœceſano dictorum „locorum concedi volumus & petimus, ac etiam confirmari. „Ob reverentiam quoque veſtram abſolvimus dilectum fratrem „noſtrum Godfridum ab officio Prioratûs S. Joannis, & ipſum do-„mui noſtræ Vallis S. Antonij auctoritate prædicta præficimus in „Priorem. In quorum omnium præmiſſorum robur & teſtimo-„nium ſigillum Domûs noſtræ, quo in arduis negotijs, utimur præ-„ſentibus duximus apponendum. Datum Anno 1314. Sabbatho „poſt Feſtum Aſſumptionis.

Godfridus porrò Vir integerrimus, qui Carthuſiam S. Joannis in Seitz, ſanctitatis opinione repleverat, dimiſſus cum ingenti fratrum æquè ac popularium dolore; in Auſtria verò receptus cum ingenti Principum gaudio & in novam hanc Religionis palæſtram, quam magìs Vallem Omnium Sanctorum appellari placuerat, cum ſolennitate conductus, ita in brevi virtutum meritis & exemplo Sereniſſimo Fundatori ſe probavit: ut Principibus in conſcientiæ tribunali jus: in ſecretiori verò conſilio ſententiam dicere juberetur, eam in rem Aulæ Palatinæ cum quatuor equis adſcriptus, privilegio, ad poſteros etiam tranſituro.

Inopinato interim fato deceſſit in Italia, Henricus VII. Romanorum Imperator Auguſtus, qui prælucente diro feralis aſtri ſyrmate, eundem ſecum in tumulum pacem Germaniæ, concordiam Principum & Imperij felicitatem in plures deinceps annos intulit. Nam eo demortui Cæſaris nuncio Septemviri Auguſtales in factiones conſternati, uni cælo duos ſoles, Romano Imperio

 duos

duos Cæſares, Fridericum Ducem Auſtriæ, & Ludovicum Bojariæ fratres conſobrinos præficiunt: & illum Colonienſis Bonnæ, hunc Moguntinus Aquiſgrani, ſacri ambo Electores Infulis Imperij inſigniunt: quæ diſcordia calamitatibus Europam auxit, & novo fundatore Carthuſiam.

Præerat ſacris Palatinis Auſtriæ vir induſtrius, divinarum humanarúmque literarum ſcientiâ clarus R. D. Gerlacus Parochus in Dreskirchen: quem Fridericus jam Romanorum Imperator Electorum ſuorum ſtudia bello proſecuturus novæ plantationi ſuæ cum poteſtate præfecit: qui ſpartæ ſibi demandatæ incubuit eâ fide & ſolertiâ: ut intra tertium annum major Eccleſia ſolennem conſecrationem 1316. XVI. Calend. Junij acciperet: eo Zelo & devotione, ut de ſuo minorem Conventum ſex Religioſorum, quem infirmariam appellavit, conſtructâ divinis laudibus celebrandis Eccleſiâ S. Mariæ ad Piſcinas, conſecratâ 1317. ipſis Calend. Junij adjiceret, & quod ait Albertus Myræus (a) Carthuſiam Maurbacenſem duplici porticu inſignem redderet, eo conſilio, ut & Fratres auſteritate vitæ, prolixitate divinorum, jejuniorum multitudine, cæteríſque exercitationis religioſæ laboribus fatigati, judicio Prioris diſcretam in infirmaria reciperent in cibo potûque meliore conſolationem: & ob vicinitatem habitationi præbendarij in Hoſpitali formarentur ad pietatem & exemplo proficerent.

(a) *Myræus in Originibus Carthuſiarum.*

Vidit & probavit Fridericus Imperator pios hos Mandatarij ſui conatus, quantùmvis optati ſucceſsûs & ætatis prærogativam non obtinuerint: eôſque ſolennibus fundationis ſuæ talibus inſeruit: & virum meritiſſimum ſecundarium fundatorem & Complantatorem ſcripto nuncupavit: atque præelectum opus manuum ſuarum, ut fundationem hanc appellare conſuevit, itémque D. Gerlaci cooperationem à Capitulo Patavienſis Eccleſiæ, Pontificali Sede tunc vacante ratam haberi voluit: quod & præſtitum eſt totidem verbis.

„Sereniſſimo ac Magnifico Principi Dominorum ſuorum „Chariſſimo D. Friderico Romanorum Regi ſemper Auguſto. „Meningodus Dei gratiâ Præpoſitus, Meningodus Decanus & Ca„pitulum Eccleſiæ Paſſavienſis: debitæ ſubjectionis ſuæ reveren„tiam cum Orationibus continuis & devotis. Cùm ſumma Chri„ſtianæ Religionis devotis in divini cultûs augmentatione probe„tur: ſpecialiter tamen in multiplicatione Religioſorum, qui „ſolitudinem ferventi deſiderio amplectentes mundo & vanita-

„tibus ejus mortui Deo vivunt. Nos piæ devotionis veſtræ & „ſanctis deſiderijs congaudentes fundationem veſtram, Clau„ſtrum videlicet, quod Vallis Omnium Sanctorum dicitur Or„dinis Carthuſiani, ſitum in Maurbach, & Hoſpitale ibidem, quod „ad S. Antonium nuncupatur, fundationem quoque honorabi„lis viri D. Gerlaci Plebani in Dreskirchen prædicto additam „Clauſtro cum univerſis & ſingulis libertatibus, gratijs & dona„tionibus, in privilegijs & inſtrumentis ipſarum fundationum à „vobis & præfato D. Gerlaco confectis: quæ vidimus & audivi„mus auctoritate Ordinariâ, quâ in præſenti, vacante ſede paſto„rali, Eccleſiæ noſtræ fungimur, ob veſtræ Majeſtatis regiæ ex„cellentiam & honorem in Domino liberaliter confirmamus, ju„re tamen parochialium Eccleſiarum ſemper ſalvo. Ut autem „hujuſmodi confirmationis approbatio robur obtineat perpetuæ „firmitatis, juſſimus noſtras præſentes appenſione ſigilli noſtri „Capituli communiri. Datum Paſſavij Anno 1318. Calend. Junij.

Stabilitis eum in modum Auguſtâ poteſtate, & auctoritate Ordinaria Carthuſiæ Maurbacenſis incunabulis; ad ſupplicem Godefridi Prioris inſtantiam ſupremus Chriſti in terris Vicarius, è throno Sacro-Sanctæ Majeſtatis ſpecioſæ deſerti plantulæ tam feliciter adoleſcenti elevatis manibus benedixit: & ſolennes fundationis tabulas, & Capituli Paſſavienſis conſummatorias unâ ſerie complexus Bullam ſequentem juſſit emanare.

Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei.

„DIlectis filijs Priori & Conventui Monaſterij Vallis „Omnium Sanctorum in Maurbach Carthuſienſis „Ord. Paſſav. Diœceſis ſalutem & Apoſtol. Benedictioně.

„DUm prudenter attendimus, quòd vitalis odor: quo Eccle„ſiam Dei Ordo Veſtræ Religionis implevit, pium ſuſcipit „incrementum ac inſignis lucerna operum Sanctitatis, quam Do„minus in vobis ad illuminationem Domûs inter alias cæleſtium „exemplarium lampades ſuſcitavit, extingui neſcit nube caligi„nis vel abduci: & quod directa in vultum Dei mentium veſtra„rum ſtudia ſurſum aſſiduis deſiderijs eriguntur: quódque inde„ſinenter proficitis in cenſura morum & regularis obſervantia di„ſciplinæ, gratum nobis redditur & acceptum. Sanè petitio veſtra „nobis exhibita continebat, quòd chariſſimus in Chriſto filius no„ſter Fridericus in Romanorum Regem electus, & dilecti filij no„biles Viri Leopoldus, & Albertus, Henricus, & Otto fratres ſui „Duces Auſtriæ habentes ad Ordinem veſtrum ſpecialis devotio-

„nis affectum, quod Monaſterium Veſtri Ordinis, quod Vallis „Omnium Sanctorum vulgariter appellatur, & Hoſpitale paupe-„rum ſita in loco dicto Maurbach Paſſavienſis Diœceſis, in quo-„dam fundo eorum proprio, & jure hæreditario ad eos pertinen-„te fundârunt, & de bonis patrimonialibus dotaverunt, ac dein-„de Jus Patronatûs, quod in Parochiali Eccleſia S. Leonardi ejuſ-„dem Diœceſeos obtinebant vobis filij Prior & Conventus, qui „de novo inſtituti eſtis ibidem, in augmentum facultatum dicti „Monaſterij piâ libertate donârunt, dictorum filiorum Capituli „Eccleſiæ Paſſavienſis tunc Paſtore vacantis, ad id accedente con-„ſenſu, prout in patentibus literis Electi, Ducum, & Capituli præ-„dictorum inde confectis, quarum literarum tenores, de verbo „ad verbum præſentibus inſeri juſſimus pleniùs continetur.

„Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quæ ſuper „præmiſſis ijſdem electo Ducibus & Capitulo piè acta ſunt, rata „habentes & grata ac defectum, qui ex eo, quòd Diœceſani con-„ſenſus ſuper his non affuit intervenit, ſupplentes de plenitudi-„ne poteſtatis, illa vobis veſtríſque ſucceſſoribus auctoritate *Apo-„ſtolicâ* ex certa ſcientia confirmamus & præſentis ſcripti patro-„cinio communimus. Tenores autem literarum prædictarum ſunt tales.

Fridericus D. D. Romanorum Rex ſemper Auguſtus, nec non Leopoldus, Albertus, Henricus & Otto eâdem gratiâ Duces Auſtriæ & Styriæ Domini Carnioliæ, Marchiæ & Portûs Naonis fratres.

„OMnibus in perpetuum.
„

„QUoniam, ut ait Sapiens, generatio præterit, & generatio „advenit, neceſſe eſt, quæ memoriâ digna ſunt ſcriptura-„rum teſtimonio, & teſtium judicio deduci ad notitiam poſtero-„rum. Noverit igitur omnis ætas, quòd Divinâ inſpirante Cle-„mentia, bonâ habitâ deliberatione, maturo conſilio, concordi „conſenſu, &c. Itemque Sereniſſimo & Magnifico Principi Do-„minorum ſuorum Chariſſimo, D. Friderico Romanorum Re-„gi ſemper Auguſto Meningotus Præpoſitus, &c. Ut ſuprà.

„Nulli

„Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ ſupple-„tionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario con-„traire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignatio-„nem Omnipotentis Dei & B. B. Apoſtolorum Petri & Pauli ſe „noverit incurſurum. Datum Avenione 4. Idus Junij Ponti-„ficatûs noſtri anno ſecundo.

Poſt hæc tam favorabilia Carthuſiæ Maurbacenſi gravis emerſit tempeſtas, imò toti Auſtriæ, quam propè obruit & evertit; Nam Fridericus Rex 4. Calend. Octob. 1322. (quidam ſequenti) decretorio ſed infauſto prælio colliſus cum rivali & oppreſſus non virtute, ſed dolo martio palmam irato conſobrino, ùt ſupra Capite XVII. in Notis & Additamentis docuimus, tradidit. Ut verò libertati redderetur urgebat Pontifex Romanus cenſuris, Reges exteri legationibus, armis Duces Auſtriæ, Proceres Imperij precibus: ſed obfirmati animi victor Ludovicus neque hos, neque illos audiebat: quippe Godefrido Maurbacenſi Priori juxta nominis etymon conciliatæ pacis & libertati Principis gloria debebatur. Indefeſſis ille precibus & corporis maceratione divinum ſibi Numen placaverat: cum ea fiducia Ludovicum aggreſſus aheneum illud pectus ſingulari dexteritate penetravit, & Fundatorem ſuum ijs legibus, quas à Victore non expectes: nempe ut imperarent pari ambo cum poteſtate, impetravit. Ludovico Fridericus & Angelo pacis Godefrido præeunte ſtipulantur dextras, atque præter amneſtiam præteritorum juratur concordia, nec non in ſacroſancti fæderis æternum robur Godefridus utrúmque Cæſarem delicta Confitentem Sacramento expiat, & in magna Principum corona ſacris operatus ex eadem numero Hoſtia communicat utrúmque, qui ſumptô amoris Sacramentô mutuos iverunt in amplexus: plaudente Germaniâ, triumphante Bavariâ atque Auſtriâ; Nè glorioſiùs hæc dicta à me pro favore & honore Carthuſianorum quis putet quàm veriùs, videri poteſt Wolfgangus Lazius genealog. Auſt. Lib. II. ubi ait duorum præcipuè Carthuſianorum operâ liberatum Fridericum: cui conſentiunt Cuſpinianus & Sebaſtianus Munſterus in Friderico Pulchro, quis poſterior in terminis aſſerit unius Prioris Carthuſienſis (qui non eſt alius à Godefrido) perſuaſione liberatum: utriúſque Regis Confeſſionem excepiſſe Carthuſianum ait Nauclerus gener. 45. & ex eadem hoſtia utrúmque communicatum eſſe, à Godefrido aſſerit Aventinus.

Ita restitutus Austriæ Fridericus literas fundationis Carthusianis tradit; quarum tenorem exhibemus.

Fridericus D. G. Romanorum Rex semper Augustus, & nos Albertus & Otto eâdem gratiâ Duces Austriæ sui Germani.

„AD universorum notitiam cupimus pervenire, tam „præsentium quàm futurorum:

Lit. Fundationis Carthusiæ Maurbacensis.

„QUòd juxta doctrinam Evangelicam, quâ primùm jube„mur quærere Regnum Dei, delectamur ex intimis, ut à „terrenis Principatuum titulis, quibus dono pollemus Altissimi „per pietatis exercitia virtuosa, ac per divini instaurationem & „amplificationem ministerij attingere, & nancisci queamus præ„cipuum Principum Principatum, commutatione summè desi„derabili, pro instabili stabilem, pro luteo incolatu sidereum, & „pro terreno Principatu cœlicum lucraturi. Sanctam itáque ac „contemplativam Virorum Religiosorum Prioris & Conventûs „Monasterij Vallis Omnium Sanctorum in Maurbach Ordinis „Carthusiensis devotorum nostrorum dilectorum conversatio„nem & cælibis ac Monasticæ vitæ ipsorum rigidam observatio„nem in Domino complectentes, ipsósque tanquam Dei dome„sticos debitis temporalium & donorum nostrorum sustentaculis „conservare cupientes, & ubertate dominij nostri non carere, ut „eorum interpolatione supplici commissorum facinorum no„strorum expiationem, & omissorum bonorum suppletionem „consequi valeamus; prædicto Monasterio Maurbacensi sanô & „maturò consiliô usi, non dolô, seu adulatione circumventi, sed „spontè & concorditer & ex certa scientia in laudem Dei & glorio„sæ Virginis Mariæ Omniúmque Sanctorum, nec non ad nostram „& progenitorum ac successorum nostrorum animarum reme„dium & salutem, &c. renunciando pro nobis, hæredibus & suc„cessoribus nostris, quibuscúnque omni juri, jurísque subsidio, „tam Canonici quàm Civilis, quibus contra donationem præ„missam venire possemus in posterum, seu ad præsens, aliquo in„genio vel cautelâ: inhibendo etiam universis & singulis præ„sentium inspectoribus firmiter & districtè, nè quodam ausu te„merario contra donationem & gratiam prænotatam de jure, „seu de facto venire attentent, sed potiùs contravenire molien„tes cohibeant totis viribus & restringant, sicut Omnipotentis Dei

diram

„diram ultionem, noſtrámque indignationem gravem voluerint „evitare. In quorum omnium & cujuslibet eorum de præmiſſis „evidentiam & perpetuam firmitatem præſentem paginam feci„mus conſcribi, & ſigillorum noſtrorum appenſionibus commu„niri. Datum in Inſprucka 5. Calend. Januarij. 1327.

Notæ & Additamenta.

CArthuſiam Maurbacenſem à Friderico Pulchro Romanorum Rege fundatam ad primum in illam ingreſſum ſupra portam etiam probat antiquus verſus:

Hanc Rex Carthuſiam Fridericus nomine Pulcher
Condidit Auſtriacus Religione pius
Anno M. CCC. XIII.

IN literis fundationis hæc prærogativa Prioris exprimitur: *Prior verò ſpecialis Capellanus Principum terræ ſemper erit, cum tribus equis annumeratus Curiæ adſcriptus.* In literis tamen de anno 1320. datis quatuor equi Priori ejus loci conceduntur.

Circa Titulum Reverendiſſimi, quo Fridericum Pulchrum Generalis Ordinis Carthuſianorum appellavit, notandum eſt; etſi Fridericus tunc cælibem adhuc vitam egerit, illum haud fuiſſe in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutum. Titulus enim Reverendiſſimi per ea tempora Principibus æquè ac Prælatis & Epiſcopis communis erat. Idipſum Joannes Jacobus Fugger in Speculo Honoris Domûs Auſtriacæ affirmat, tractans de Alberto II. Duce Auſtriæ cognomine Sapiente, quod & nos ſuprà attigimus. Plura de hac Carthuſia infrà & libro tertio adferemus.

CAPUT XXIV.

Erectio hoſpitalis Viennæ per Fridericum Pulchrum. Ibidem Ottonis Ducis Auſtriæ fundatio pro Canoniſſis S. Auguſtini. Liberalitas Agnetis filiæ Alberti I. Cæſaris in Coenobium Portam Cæli.

Fridericus Pulcher hoſpitale Viennæ erigit. *Schönleben in Friderico Pulchro.*

COndidiſſe Fridericum Pulchrum hoſpitale Viennæ anno 1327. clarè teſtatur Joannes Ludovicus Schönleben ſequentibus verbis: Eodem anno, nempe 1327. Fridericus condidit Domum Hoſpitalem miſerorum ſolatio extra muros Viennenſes. In

In ultimâ verò ſua voluntate clariſſimis verbis fundationem talem à ſe factam exprimit. Poſtea, inquit, mandamus ut Hoſpitale, quod in Auguſtinianorum aula extra Werdenſem portam fundavimus, perficiatur & in ſtatum deducatur, omni eo modo prout literæ loquuntur, quas nos deſuper dedimus. Has literas poſt adhibitam omnem diligentiam reperibiles non amplius eſſe edoctus ſum. Bella enim, incendia & hæreſis millena ejuſmodi monumenta ſuſtulêre. Deſtructum eſſe hoc hoſpitale ſæculo præcedenti Litteræ Ferdinandi I. Romanorum Regis docent. Pro quo dum alia in urbe commoditas quæreretur, Cœnobium Sanctæ Claræ, in quo pauculæ Sanctimoniales ſupererant, locum hoſpitalis, (quòd Fundator primus Civicum appellari voluit) obtinuit, Virginibus in alium locum translatis. Extant de hac mutatione publicæ Literæ Ferdinandi I. Romanorum Regis, quas hìc ex idiomate Germanico translatas apponere voluimus.

Nos Ferdinandus Dei gratiâ Rex Romanorum ſemper Auguſtus, Germaniæ, *Hungariæ*, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Slavoniæ Rex, Infans Hiſpaniæ, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carnioliæ, Carinthiæ, Marchio Moraviæ, &c.

„NOtum facimus pro Nobis, Hæredibus & Succeſ„ſoribus, & præſentium tenore fatemur.

Translatio hoſpitalis Civis Viennenſis ad Monaſt. S. Claræ.

„SIquidem Honorabiles, conſultiſſimi Noſtri ſyncerè dilecti & „fideles Conſules & ſenatores Noſtræ Civitatis Viennenſis „ante plures præterlapſos annos & nominatim ante obſidionem „Turcicam in ſuburbio ante portam Carinthiacam Hoſpitale (in „quo pauperes, defectuoſi, & debilitati Cives utriuſq; ſexûs, & eo„rum decrepiti & ruinati famuli & famulæ alijque defectuoſi, in„firmi ex bonis & redditibus in hunc finē fundatis ſuſtentabantur) „quod ùti informati ſumus, ob propriam boni memoriam, Ci„vicū nominabatur, habuerint; nunc autem ſic dictum Civicum „hoſpitale in præmemorata Turcica obſidione terribili elapſo „1529. primò exuſtum & poſtmodum 32. annos totaliter demo„litum ſit, quapropter ad præfatorum Conſulis & Senatûs humi„les preces, etiam ex gratia & innata Clementia, qua meritò erga

pau-

„pauperes, defectuosos ferimur, tanquam Dominus & Princeps „terræ gratiosè assentiendo concedimus, ut pro alio Civico hospitali Monasterium S. Claræ Viennense, cum alio meliori commodiórque occasio reperiri non possit, insuper ob prædicti „temporis occurrentes injurias in eodem Monasterio tunc temporis paucæ moniales sint, assumeretur, ac deserviret, & quoniam dictus Consul & Senatus ad præmissam nostram benevolam indulgentiam & permissionem præfato Monasterio pro Hospitali Civico hucúsque aliquot annis usi fuerunt, & ùti nobis „credibiliter demonstrârunt non leves expensas pro necessitate & „habitatione pauperum, & infirmorum ædificando & melioran„do fecerunt, submisissimè supplicando Nos requisiverunt, ut „ejusmodi S. Claræ Monasteriū in statu, quo nunc muris intra Civi„tatem cinctum est, utpote fundationem nostrorum ex domo „Austriaca prædecessorum pro memorato Civico Hospitali, here„ditariè transferre, & ad perpetuum Clementer cedere ac gratio„sè concedere dignaremur, Nos intuitu obedientissimarum ac „submissisimarum precum, simúlque etiam boni Christianíque „operis, quod inibi pauperibus & proximo Christiano præstatur, „insuper animo bene consideratio, maturo de consilio & certa „scientia tanquam Dominus & Princeps terræ, ac ut supremus „Præfectus (Vogt) & Fundator præfati Monasterij Clementer „consensimus, hisce etiam ac tenore præsentium notum facimus, „ita ut præmemoratus Consul & Senatus nunc & inposterum „hocce S. Claræ Monasterium cum omnibus appertinentijs, „ut illud cum muro, Ecclesia, domo, hortis, fundis, cellarijs, ta„bulatis, & alijs omnibus cinctum est, & continetur, & ab anti„quis temporibus hucusque pro eodem Monasterio in Civitate „Viennensi in usu fuit ac deservijt, nullâ re inde exclusâ ac sepa„ratâ, pro suo Civico hospitali uti, sumere, & in simili casu, quod „pauperum necessitas exegerit, ulteriùs ædificando in eo pro„sequi, ac procedere cum eo possint ac valeant, sicuti cum præ„fato priori hospitali Civico ante portam agere ac prosequi licuis„set, sinè omni nostra ac cujusvis impedimento, ita tamen, ut „fructus, census, reditus ac fundationes, quæ antea pro bono „pauperum penès præcedens hospitale Civicum ante portam „Carinthiacam spectârunt, & in futurum testamenti, hæredi„tates, aut alio jure accedere possent, nullo dempto penès hoc „hospitale ad S. Claram pauperibus fideliter communicentur, „bonum laudabilémque ordinem inibi servent, utpote Omnipo-

„tenti Deo deſuper rationem reddere obligati erunt, nec nos in „ijs diffidere volumus, ſicut nobis deſuper tanquam Dominos & „Principes gratioſam & neceſſariam inſpectionem habere conve„nit. Proinde omnibus & ſingulis noſtris ſubditis Eccleſiaſticis & „ſæcularibus, cujuſcúnque ſtatûs ac conditionis fuerint, nemine „excepto, ſeriò ac firmiter tenore præſentium demandamus, & „volumus, ut præfatum Conſulem & ſenatum Viennenſem pe„nès noſtrum Clementem aſſenſum & perpetuam donationem „pacificè permittant, eos nullatenus moleſtent aut onerent, aut „alijs quacúnque viâ contravenire permittant, ſub intimatione „noſtræ gravis indignationis ac pœnæ. Hoc rigidè, ac inevitabi„liter obſervari volumus tenore harum Regiarum litterarum. „Datum in noſtra Civitate Viennenſi die 22. Menſis Decembris, „Anno à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono, „noſtri Imperij Romani nono, aliorum Regnorum decimo tertio.

Ad Mandatum Domini Regis proprium.

H. Weisberger.

Otto Dux Auſtr. fundat Canoniſſas S. Auguſtini Viennæ. Liberalitas Agnetis Auſtr. in Cœnobium Virginū Ord. Præmonſt. Viennæ.

Fundâſſe hoc eodem anno 1327. vel fortâſſe etiam citiùs, Ottonem Ducem Auſtriæ Canoniſſas Ordinis S. Auguſtini Viennæ ad S. Laurentium ultima voluntas, ſeu Teſtamentum Friderici Pulchri, docet. Hoc ipſo tempore habitabant Virgines Candidiſſimi Ordinis Præmonſtratenſis Viennæ in Cœnobio dicto *Porta cæli*, quod pro ſolis Nobilibus Virginibus fundâſſe fertur quidam è Collegio Canonicorū Paſſavienſium nomine Gerardus, qui & Magiſter appellatur. Sed cùm fundatio tenuis videretur Agneti filiæ Alberti I. Cæſaris, eam ipſa liberaliter de ſuo auxit, & in longum tempus ſtabilivit.

CAPUT XXV.

Friderici ultima voluntas & Pietatis monumenta per ſuffragia ſacra inſtituta.

TRibus præcipuè ex rebus ùt plurimùm hominum prudentiam patere dicunt multi: primò ex ducta uxore, ex architectura inſtituta & ex condito teſtamento per ultimam voluntatem. In his omnibus Fridericus non ſolùm *Pulchri* nomen, verùm etiam *Sapientis* eſt commeritus. Talem enim ſortitus eſt conthoralem, quæ ſingulari amore conjugali & fidelitate & ſpecialiſ-

cialissimis denique virtutibus eminuit. Architecturam ita gessit ut etiamnum viri prudentis elogium mereatur erecta Ecclesia S. Augustini Viennæ. Ultimam voluntatem quàm sapienter Fridericus posteritati declaravit Lectori sapienti & Erudito inspiciendam damus.

Nos Fridericus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„PAlam facimus & notificamus hisce patentibus literis, & no-„tum volumus omnibus, qui oculariter has legerint, vel le-„gi audiverint: Quòd nos ex bona & pia consideratione, seu „solicitudine de animæ nostræ, æterno bono & salute, juxta fidem „christianam, agnoverimus & conspexerimus, quòd vita nostra „transitoria in hoc mundo, vita vocari vel esse non possit, nisi „quatenus ordinatur ad vitam æternam: ut per bona terrena „comprehendamus cælestia, & laboribus pijs ad cultum Dei „impensis, sempiterna gaudia, & quietem inde acquiramus & „possideamus. Quapropter cum favore, consensu & consilio „nostrorum charorum Fratrum & Principum Alberti & Otto-„nis Ducum Austriæ & Styriæ, & cum bona deliberatione, & „in tempore quo id facere legitimè potuimus, Testamentum no-„strum confecimus & ordinavimus, omni eo modo, quo hìc scri-„ptum sequitur. Ita quòd Abbas à Sancta Cruce, & Prior ex „Maurbach noster Confessarius, qui hoc tempore adsunt, in Pro-„vincia infra Lycum; - - & Abbates ex Salmansvil, & ex Wet-„tingen in superioribus ditionibus: nostri Testamenti & piæ vo-„luntatis executores esse debeant: cum auxilio nostrorum ante „nominatorum fratrum, qui se ad hoc obligârunt, & cum auxilio „aliorum nostrorum hæredum & successorum, nominatim con-„sortis nostræ charæ Elisabethæ Reginæ Romanorum, Agnetis „deinde Reginæ Ungariæ, nostræ sororis, & Parochi Viennensis, „qui hoc tempore ibi est, omni eo modo, quo nos id testati su-„mus, ut mercedem à Deo inde percipiant, neque per negle-„ctum æternam pœnam & Dei vindictam promereantur. Primò „legamus, seu testâmur, ad fundationes & Monasteria, quæ dein-„ceps nominantur, ad quamvis Cathedralem Ecclesiam & quod-„libet Monasterium pro perpetua Missa & Anniversario. Primùm „Salisburgum centum marcas, Spiram 100. marcas, Argentora-„tum 100. marcas, Basileam 60. marcas, Constantiam 60. marcas,

„Auguſtam 60. marcas, Paſſavium 60. marcas, Friſingam 60. „marcas, Kempten 50. marcas, in Weingarten 50 marcas, in „Weiſſenburg 50. marcas, Pariſios 50. marcas, Monachis Neobur-„gi in Alſatia 50. marcas, in Penne 30 marcas, in Mulenbrunn 50. „marcas, in Vellenbuch 30. marcas, quarum ſumma eſt, mille & „viginti marcæ argenti. Poſt hæc legamus Ratisbonam ad Ca-„nonicatum, & Monaſteria, quæ infra ſcripta ſtant: ad quamvis „fundationem pro perpetua Miſſa, & perpetuo die Anniverſario, „& pro damno quod nos illis fecimus. Primùm ad Canonicatum „Ratisbonæ ſeſquicentum ſexagenas Bohemicorum nummo-„rum. Ad ſanctum Emeramum octoginta ſexagenas, ad S. Pau-„lum triginta ſexag. S. Mariæ Magdalenæ triginta ſex ſexag. San-„ctæ Cruci ſexaginta ſex ſexag. Abbati ex Pruel ſeptuaginta „ſexag. In Pullenhofen triginta ſexag in Pettendorff triginta „ſexag. in Ror ſeptuaginta ſexag. in Peringen triginta ſexag. in „Geiſſenfeld triginta ſex ſexagenas. Poſtea ad S. Leonardum pro „perpetuo die Anniverſario & pro lumine perpetuo quindecim „ſexagenas. Ad Schottos pro perpetuo die Anniverſario ſexde-„cim ſexag. Hoſpitali extra Ratisbonam pro ſuo damno triginta „ſexag. Pauperibus leproſis ſeparatis pro ſuo damno decem ſexag. „S. Petro conſecrato quinque ſexag. Leproſis in Oſten quinque „ſexag. & ad pauperes Eccleſias extra urbem quibus incendio no-„cuimus triginta ſexagenas. In ſumma ſunt ſeptingentæ trigin-„ta novem ſexagenæ: quæ faciunt in argento ſexcentas ſedecim „marcas. Poſtea legamus pro perpetuis Miſſis, & perpetui Anni-„verſarij Monaſterijs, quæ poſt hæc ſunt ſcripta. Primò in Gerſ-„ſen centum pondo, in Glienich centum pondo, In Lambach „centum pondo, in Crembsmünſter centum pondo, in Meldich „centum pondo, ad Sanctum Andream centum pondo, in Her-„zohenburg centum pondo, in Goſtwich centum pondo, ad S. „Hypolitum centum pondo, ad Mariencell centum pondo, in „Vornbuch centum pondo, in Wilerin centum pondo, in Ser-„rave centum pondo, in Engelzelle centum pondo, ad S. Flo-„rianum centum pondo, in Woraw centum pondo, in Segow „centum pondo, ad S. Nicolaum Paſſavij centum pondo, in „Waldthauſen centum pondo, in Reichardsperig centum pondo, „Monialibus in Ybs ducenta pondo pro perpetua Sacerdotali „Præbenda, & pro die Anniverſario. Monialibus ad S. Nicolaum „Viennæ extra urbem ſexaginta pondo. Monialibus ad S. Lauren-„tium Viennæ centum pondo, Monialibus Neoſtadij centum pondo

„pondo, Monialibus in Goſſe ſexaginta pondo, Monialibus in „Kirchberg ſexaginta pondo, Monialibus ad S. Mariam Magda-„lenam Viennæ ſexaginta pondo, ad ſanctam Crucem ad noſo-„comium 200 pondo, quæ pecunia ad cenſum detur ut infirmis „ipſorum præbenda melioretur. Poſtea legamus ſuper Fratrum „Minorum Monaſteria Viennæ, Neoſtadij, Græcij, Marchburgi, „Judenburgi, in Bruck ſuper Muram, Heimburgi, Steinæ, in Ens, Lintij, & in Wels, Tullnæ, & Prædicatorum Monaſterijs Viennæ, „Cremſij, Neoſtadij, in Leüben, & in Retz. Et Auguſtinianorum „Monaſterijs in Bruck, Baden & in Marcheck cuivis Monaſterio „quadraginta pondo pro perpetua Miſſa, & die anniverſario Mo-„naſteria ſunt viginti. Eſt ergo legatorum ſumma octingento-„rum pondo. Poſtmodum legavimus, ad dividendum inter no-„ſtram aulicam familiam, id quod poſt nos intactum manet: „quadraginta pondo ad dandum ſingulis juxta ſervitia ſua. Le-„gamus hoſpitali Monachij quadraginta pondo Viennenſia pro „anniverſario, & pro Miſſa defunctorum una ſingulis ſeptima-„nis. - - - - Deinde legamus Ottoni Haymen centum pon-„do, & ſuam portionem in villa - - - fodina, vel tantum in „quantum ipſius pars importare poteſt uſque ad ſuam & ſuæ ho-„ſpitæ mortem. Legati ſumma ubique erit 4000. ducenta & „octuaginta pondo Viennenſium: quæ ordinamus, unà cum de-„cies ſexies, & triginta ſex marcis argenti, quæ jam nominatæ ſunt, „ad noſtrum telonium in Ens, ut inde prænominata legata, & „argentum expendi debeant, & ut etiam executores noſtri Te-„ſtamenti, qui ante nominati ſunt, iſtud telonium tamdiu occu-„pare debeant, donec inde noſtrum præſcriptum teſtamentum „totum & ex integro exequantur. Poſtea legamus in telonio in „Stein 100 pondo, quæ ſingulis annis inde accipi debent, ad divi-„dendum inter civitates, quibus nos, vel charus noſter frater Rex „Rudolphus piæ memoriæ, de Bohemia, ſolvere tenemur, & „etiam ad civitates, ubi perſonis Sacris, & Laicis damna fecimus: „& etiam ijs, quæ pro nobis pignorando damnum paſſæ ſunt: „etiam ijs quibus injuſtè commercium ſuſtulimus. Et ſi noſter „frater, hæredes vel ſucceſſores hoc legatum ex telonio non am-„plius dare vellent; debeant centum pondo pecuniæ in aliqua „bona civitate collocare, quæ honeſtè illis civitatibus miniſtrari „& dari debent, in noſtrarum, noſtrorúmque anteceſſorum & „poſterorum, animarum auxilium & ſolatium. Et poſtquam „Legatarijs, & qui noſtrâ causâ damnificati ſunt, quomodo-

Quæ hic deſunt præ antiquitate legere non poteram.

„cúnque demum factum sit, ùt præscriptum stat, ex hoc solu-„tum, & satisfactum fuerit, tunc debent pro ante nominatis „100. pondo pecuniæ, annuatim, uno anno inde perpetua sa-„cerdotalis, & altero anno duæ pro infirmis præbendæ in aliquo „hospitali fundari. Postea mandamus ut Hospitale quod extra „Werdensem portam in Augustinianorum aula, fundavimus, „perficiatur & in statum deducatur, omnino eo modo prout lite-„ræ loquuntur quas nos desuper dedimus. Legamus etiam te-„lonium curruum Viennæ ad nostram fundationem in Maur-„bach, ut tam diu ad hoc servire debeat, usque dum Monasterium „& etiam hospitale ex integro perficiatur & in statu sit, omni eo „modo prout literæ loquuntur, quas nos desuper dedimus. Man-„davimus etiam, ut cum Episcopo Segoviensi conveniatur ratio-„ne prætensionis, quam circa arcem in Wiseneck habet, & etiam „cum Lucenbergica circa domum in Ludenburg, ut cum ipsius „consensu obtineatur, & ut Tambergero, arx (seu fortalitium) „Tomberg pro media centuria pondo, redimenda detur, pro qui-„bus constat, aut cum illo conferatur, ut cum consensu ipsius „habeatur.

Mandamus etiam & volumus, & quidem adhuc tempore „vitæ nostræ, dare & expedire in præscriptis nostris legatis, id „quod in telonio in Ens dari debet, & ùt reliquum, quod post no-„stram mortem indispositum manet, ex integro & totaliter exin-„de persolvatur, ùt præscriptum est. Legamus etiam Monaste-„rio in Gurck ex eodem telonio centum pondo, pro perpetua „Missa & pro uno anniversario die. Legamus etiam - - cen-„tum pondo - - - ut supra testati sumus. Hic aliqua omittun-„tur, quæ præ antiquitate legi non possunt.

„Et ideo istud Testamentum, sicut præscriptum est constan-„ter permaneat & executioni detur, hanc literam nostram, & no-„strorum prænominatorum fratrum Alberti & Ottonis sigillis, „signavimus.

„Nos Albertus & Otto Dei gratiâ Duces Austriæ & Styriæ af-„firmamus, quòd hoc præscriptum Testamentum, cum nostra „bona voluntate & favore factum sit, & obligamus nos istâ literâ, „quòd illud velimus exequi, sinè omni dolo plenè & totaliter si-„cut supra scriptum est, & in hujus rei fidem nostra sigilla appen-„dimus ad hanc literam, quæ data est Viennæ, in Sancti Joannis „Baptistæ die in Solstitio, cùm numeraretur à Nativitate Dei decies

„decies ter centesimus annus, & postea in vigesimo septimo an-„no. Nostri Regis Friderici Imperij decimo tertio anno.

Dignum sanè Christiano Principe Testamentum ac omnibus qui salutis æternæ desiderio feruntur patetico exemplo, quo discant: nemini vim inferre, cuivis jus suum aut inviolatum relinquere, aut læsum à quocunque integrè restituere.

Clarius quædam expressit in hac ultima voluntate sui Fundatoris eandèmque meliore ordine disposuit Reverendissimus & Religiosus nominatus Leopoldus titulo sequenti præfixo:

Tabulæ testamenti Friderici Pulchri Imperatoris Anno 1327.

Marcæ argenti legatæ.

Salisburgensi Metropoli	100.	Spirensi Cathedrali.	100.
Argentinensi Cathedrali	100.	Basileensi Cathedrali	60.
Constantiensi Cathedrali	60.	Augustanæ Cathedrali	60.
Passaviensi Cathedrali	60.	Frisingensi Cathedrali	60.
Kemptensi Ecclesiæ	58.	Weissenburgensi	50
Parisiensi	50.	Weingartensi Monaster.	50.
In Gels Monasterio	60.	Ecclesiæ in Peuth	30.
In Miltenbrum	50.	In Vellenbach	30.
Neuburgensi in Alsatia	50.		

Summa 1028. Marcæ.

Singulis his cum obligatione perpetui Anniversarij.

Bohemicorum Denariorum Sexagenæ, vulgò Schock.

* Ratisbonensi Cathedrali	150.	* Gurcensi Cathedrali	150.
* Monasterio S. Emmerami	80.	Monasterio in Prüel	20.
* S. Pauli Monialium	30.	* S. Magdalenæ Monial.	36.
* S. Crucis Monialium	66.	* Puelenhofen Monial.	30.
* Petendorff Monial.	30.	In Rhor	70.
In Peringen	30.	In Geisenfeld	36.
Ad S. Leonardum	15.	* Ad Scotos Viennæ	16.
* Hospitali extrà Ratisbon.	30.	* Leprosorio	10.

* Alijs Ecclesijs extrà muros.

Ratisbonenses	30.

Summa Denariorum Sexagenarum est 879.

Viennensium Denariorum Libræ.

Monasterio Mostbicensi	100.	* Garstensi	100.
Ad S. Hippolitum	100.	* Ad S. Crucem	100.

* Hertzogburgenſi	100.	Melicenſi	100.
Zeidlicenſi	100.	Lambacenſi	100.
* Mariæ Cellenſi	100.	* Farnbacenſi	100.
* In Wellerath	100.	* In Wellering	100.
* In Raittenhaslach	100.	* In Engelhardſcell	100.
* Seitenſtettenſi	100.	Cremiphanenſi	100.
* Ad S. Andream	100.	* Admontenſi	100.
Gottwicenſi	100.	S. Floriani	100.
In Vorau	100.	In Suben	100.
* Walhuſenſi	100.	* Altachij inferioris	100.
* Alderſpacenſi	100.	* Zwethallenſi	100.
Ad S Nicolaum Paſſavij	100.	Reicherſpergenſi.	100.
* Monialibus Ipſij	200.	* Ad S. Laurent. Viennæ	100.
* Ad S. Nicolai Viennæ	60.	* Ad S. Magdal. extrà muros	60.
* Neoſtadenſibus	100.	In Göſſel	100.
Kirckpergæ	60.	Leproſorio ad S. Cruc.	200.
* Monialibus in Dirnſtein	30.	* Græcenſibus	30.

Monaſterijs Ordinis Minorum Viennæ,
Neoſtadij Græcij Marchburgi,
Judenburgi, Murepontí, Hainburgi.
Steinæ, Enſij, Lincij, Welſij, Tullnæ ſingulis, 40.

Monaſterijs Ord. Prædicatorum Viennæ,
Crembſij, Neoſtadij, Leubij, Retzij,
Friſaci, Hainburgi ſingulis, 40.

Monaſterijs Eremitarum S. Auguſtini: Viennæ, Pontibus ad Leitam, Badenæ, Marekij, ſingulis 40.

De Monaſterijs Ordinum jam recenſitis, & de alijs, quæ * aſteriſco notantur ſuperſunt Quietantiæ & Syngraphæ originales perceptorum legatorum in Archivo Maurbacenſi, in quibus omnibus prænominatus Princeps Romanorum Rex ſemper Auguſtus appellatur. In ejuſdem ſplendidiſſimi Monaſterij Archivo etiam nunc Imperatoris Friderici Teſtamentum authenticum adſervatur. Habetur etiam Elenchus Originalium literarum quibus infra ſcriptæ Eccleſiæ & utriuſque ſexûs Monaſteria ad Anniverſarium perpetuum pro Sereniſſimo Friderico III. celebrandum ſe obligant: in quibus omnibus & ſingulis, ſicut factum in ſyngraphis ſupra memoratis vidimus, Fridericus Romanorum Rex ſemper Auguſtus appellatur.

Præpoſiti & Capituli Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonenſis de anno 1329. in die S. Galli.

Deca-

Decani & ejusdem Capituli 1343. in die S. Martini.
Præpositi & Capituli Cathedral. Ecclesiæ Gurcensis, 1327. in die S. Leonardi.
Abbatis & Conventûs ad S. Emmer. Ratisbonæ, 1326. in die S. Galli.
Abbatis & Conventûs Monasterij Admontensis, Anno 1327. in Octav. Assumpt.
Abbatis & Conventûs Monasterij Inferioris Althæ, 1331. in crastino Purificat.
Abbatis & Conventûs Monasterij Seitenstetten, 1327. infra Octav. Assumpt.
Abbatis & Conventûs Monasterij in Waldhausen Bavariæ, 1327. 15. Calend. Septemb.
Abbatis & Conventûs Monasterij Engelcellens. 1329. die quart. post Assumpt. B. M.
Abbatis & Conventûs Monasterij in Wellehrad, 1329. in festo S. Catharinæ.
Abbatis & Conventûs Monasterij ad S. Crucem, 1329.
Abbatis & Conventûs Monasterij in Raittenhaslach, 1327. in Exaltatione S. Crucis.
Abbatis & Conventûs Monasterii ad Scotos Viennæ, 1327. quarto Calend. Novemb.
Abbatis & Convent. Monast. Zedlicensis, 1327. in die S. Ursulæ.
Abbatis & Convent. Monast. Gerstensis, 1329. in Vigilia S. Mathiæ.
Abbatis & Conventûs Monasterii Cremiphanensis, 1327. in primâ Vesp. Nativ. B. M.
Abbatis & Conventûs Monasterij in Wildering, 1327. die quartâ post Assumpt.
Abbatis & Convent. Monasterij in Aldersbach Bavariæ, 1329.
Abbatis & Conventûs Monasterij in Zwettel, 1327. in crastino Assumptionis.
Præpositi & Conventûs Ecclesiæ ad S. Andream, 1330. 1. Januarij.
Conradi Wechsler Canonici Ecclesiæ Ratisbonensis, 1329.

Conventuum Ordinis Prædicatorum.

Judenburgensis, 1327. in die S. Brictij.
Viennensis, 1327. in crastino Assumptionis.
Gembsensis, 1327. in die S. Dominici.
Frisacensis 1329. Dominica post Michaelis.
Neostadiensis 1327. in S. Dominici.
Leobiensis 1327. in festo SS. Simonis & Judæ.

Conventuum Ordinis Minorum.

Viennenſis, 1327. 8. Idus Auguſti.
Grecienſis, 1327. in die S. Colomanni.
Lincenſis, 1327. in die S. Urſulæ.
Welſenſis, 1227. 8. Calend. Septemb.
Marburgenſis, 1327. in die S. Othmari.
Neoſtadienſis, 1327. in die S. Auguſtini.
Tulnenſis, 1327. Sabb. ante Nativit. B. M. V.
Onaſenſis, 1327. in die S. Urſulæ.
Stainenſis, 1327. pridie non. Auguſti.
Pruckenſis, 1327. tert. Id. Septembris.

Conventuum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

Viennenſis, 1327. 8. Calend. Septembris.
Pruckenſis, 1327. in Vigiliâ Nativit. B. V. M.
Badenſis, 1327. in Vigiliâ Nativit. B. V. M.

Sanctimonialium.

Ad S. Laurentium Viennæ, 1329. in die S. Leonardi.
Ad S. Paulum Ratisbonæ, 1330. in Vigiliâ Purificationis.
Ad S. Crucem Ratisbonæ, 1329. in die S. Leonardi.
Ad S. Mariam Magdalenam Ratisbonæ, 1329.
In Pulenhofen, 1329. in die S. Colmanni.
In Pettendorf, 1329. Dominicâ ante S. Leonardi.
In Chirchsperg, 1330. in die Innocentium.
Ad S. Petrum Neoſtadij, 1327. poſt Nativit. Virg. feria 5.
Ad S Nicolaum Viennæ, 1327. in Nativit. B. V. M.
S Magdalenæ extra portam Scotorum, 1327. die eod.
In Tyrnſtein, 1327. in Aſſumpt. Virgin.
Græcij 1329. fer. 4. ante S. Martini.
Ipſij 1327. in Nativit. Virginis.
Hoſpitalis Pauperum Ratisbonæ, 1329. in die S. Colomanni.

CAPUT XXVI.

Friderici Pulchri pius obitus. Sepultura Maurbaci apud Carthuſianos in Auſtria.

Suetonius. AUguſtus Cæſar, cui plurima quàm ulli unquam obveniſſe feliciter tradunt, non deſinebat quietem ſibi precari & vacationem à Republica petere. Identidémque repetebat aliquando ſe victurum ſibi. Præfectus verò Adriani Imperatoris nomine *Similis*, præfecturæ renuntians, ſeptem annos ſibi vixit; unde hoc Epitaphium ſuo ſepulchro incidi juſſit: Hìc

Hìc ſitus eſt Similis.
Qui multos annos egit,
Septem autem vixit. *Xiphilinus in Adrian.*

Horum prior ex deſiderio vitæ ſolitariæ, alter ex ipſa vita ſolitaria laudem promeritus, quam & nos Friderico Pulchro Cæſari Auſtriaco adſcribimus. Etenim ſtabilita fundatione ſua Maurbacenſi præſentiens ob affectam corporis valetudinem immaturam ſui reſolutionem, omnem operam ad piè emigrandum, in quo ſummam hominis felicitatem familiari ſuo lemmate: *morte beatâ nihil beatius*, ſtatuerat collocare. Itaque locum ſepulturæ deſignat in Maurbacenſi Carthuſienſium Cœnobio, & Sanctæ ſolitudini otióque Divinæ Contemplationis ſe tradit. Commendat vitæ inſtitutum Friderici Joannes Euſebius Nirenbergius inquiens: Abſtinentiæ in victu fuit admirandæ, penè ipſis Carthuſienſibus inimitabilis. Vix manducare aliquando ac bibere credebatur. A delicijs & voluptatibus ſingulariter abhorrebat, ignotum ſibi pro pè mundum faciens, & ipſe ſua voluntate jam quoque mundo ignotus. Hebetudinem oculorum in captivitate contraxerat à jejuniorum & lacrymarum frequentia. Anachoretam tum egiſſe viſus, poſtea Monachum omnino induiſſe videri poterat.

Amor ſolitudinis in Friderico Pulchro.

Nirembrg. in Virtute Coronata.

Audiatur & memoratus Scriptor Carthuſiæ Maurbacenſis, qui de liberaliſſimo Fundatore ſuo gratâ memoriâ in hæc ſcripſit: Reſtitutus, inquit, Auſtriæ Fridericus apud Godefridum (Priorem) & ſuos Carthuſianos aſceticæ vitæ delectatus dulcedine, magnam deinceps temporis partem exigere: cæleſtium quàm ſublunarium regnorum potiorem habere ratione͂, curis & ſolicitudinibus coronæ tam infidæ, tot aculeis armatæ, tot ſpinis horridæ quot radijs illuſtri Ludovico permiſſis auguſtius ipſe diadema, & ingentia quæ ſurſum ſunt æternitatis ſpatia animo complecti: placando Numini tàm ipſe ſollicitus collaborare, quàm viros religioſos deprecatores adhibere, quos pijſſimos animi ſui ſenſus ſupremo diplomate Carthuſiæ Maurbacenſi dato luculenter olim oſtendit. Anno 1329. gravi morbo Fridericus tentatur, eóque magìs ac magìs invaleſcente anno ſubſequente die 13. Januarij Sacramentis Eccleſiæ neceſſarijs ritè præmunitus in arce Guttenſtein extremam vitæ clauſulam conficiens animam Chriſto, ùt piè ſperare licet, reddit. Corpus ejus ad Carthuſiam Maurbacenſem funere regio devectum inter ſuorum Carthuſianorúmque lacrymas in medio chori conditum eſt: nullo, quod humilitatem Principis ità jubentis, vel ejus ſæculi ſimplicitatem arguat, ad poſteros monumento.

Vide Cap. XXII.

Mors

Sepultura.

Cùm Maximilianus I. Cæſar Anno 1514. Carthuſiam hanc accederet (quod ad hodiernam diem clementiſſimè dignantur Auguſtiſſimi Cæſares ob commodum venationi locum in vicinia) conſtituit Friderico Pulchro Mauſolæum perelegans erigere; idcirco de ejuſdem ſepulchro quæſtionem ſollicitè habuit, quod cùm præſentium demonſtrare nemo poſſet, id pro poteſtate Cæſar imperavit, ut adhibitis quamprimùm Architectis ſepulturam ſtuderent aperire, indignum videlicet ratus tanti Principis exuvias tot annis inglorias ſub terra deliteſcere. Certatim igitur inſiſtitur operi, & die 16. Auguſti egeſtis ruderibus ſubterranea in medio chori crypta & duæ in ea tumbæ Friderici Regis & Eliſabethæ Virginis filiæ deteguntur. Quo nuntio ad Cæſaris imperium Georgius de Sclavonia Epiſcopus Viennenſis, Laurentius Saur Vice Dominus Auſtriæ, Vitus Achs Cæſarearum ſilvarum præfectus aliíque Principis adminiſtri inventionem Fundatoris recognoſcere juſſi, oſſa Regia inter pſalmos & obſecrationes à Carthuſianis vino lota, paratíſque ad hoc feretris impoſita ſuis ſinguli ſigillis obſignârunt, & quoaduſque Cæſar de Mauſolæo decerneret, ad utrúmque altaris latus in Sacriſtia depoſuerunt. Interea Cæſar moritur, & honor quem ex Mauſolæo erigendo habiturus erat, apud Carthuſianos Maurbacenſes manſit. Etenim Joannes Seelos in numero Priorum Maurbacenſium trigeſimus & Viſitator Provinciæ anno 1557. evocatis Aulæ Proceribus ſolenniſſimas Fundatori exequias depoſitis Regijs exuvijs marmoreum in ſarcophagum, largiſſima etiam in pauperes erogata ſtipe celebravit. Auguſtæ porrò memoriæ & honori Fundatoris hos verſus marmori inſcriptos affixit: Obijt M. CCC. XXX.

Maximil. I. Cæſar Mauſolæũ Friderico Pulchro erigere ſtatuit.

Hoc jacet in tumulo Cæſar ſub marmore tectus
Auſtriacus nomen cui Fridericus erat
Pulcher: Dux pius & juſta probitate ſeverus,
Templa etiam vitæ ſunt monumenta ſuæ.
Nam quæ nunc cernis Turcarum diruta bello,
Fundârat multo Dux bonus ære ſuo.
Virginei partus poſtquam ſol mille trecentos
Triginta atque annos fecerat orbe ſuo.
Multis cum lacrymis multóque dolore ſuorum
Extremum vitæ finijt ille diem.
Invidiâ Parcarum obijt quoque caſta puella
Quæ jacet ad Buſtas filia Eyſa patris.
Tu qui templa petis voto moriture viator

Eliſabeth.

Funde

Funde preces dignas corde rogante diu:
Ut læti Chriſtum videant conſervet & ipſe
Auſtriacos Patres protegat atque regat.

Notæ & Additamenta.

Erant apophtegmata Friderici Pulchri ſequentia:

Morte beata nihil beatius.
Summum hominis bonum bonus ex hac vita exitus.
Quod pudeat palàm clam ne facito.

SOlet etiam appingi Friderico quadrata ciſta, cui inſiſtunt clava quernea ſupremâ parte exiliori, videlicet detruncata duo crura, quorum dextrum in medio ſectum, ſiniſtrum integrum eſt. Inſcriptio: *Sat adhuc*: Cæſaris hujus cui nihil defuit niſi magnis virtutibus comes fortuna; ſinè lacrymis nunquam memoriam fecit vel audivit Maximilianus I. Cæſar teſte Cuſpiniano. De eo Franciſcus Tertius Pictor Sereniſſimi Ferdinandi II. Archi-Ducis Auſtriæ filij Ferdinandi I. Cæſaris ſequentia annotavit: benigna quidē, inquit, natura fuit, quæ ſpecie digna imperio, & admirabili dignitate corpus Friderici Romanorum Regis Alberti Cæſaris filij honeſtavit, benignior ipſe naturæ Pater, qui internas illius animi dotes mira diſpenſatione per adverſos nimirum caſus notas eſſe voluit. Pulchri cognomen illi natura dedit. Deus conſtantiæ, fidei, & fortitudinis oſtendendæ occaſionem tribuit. Forma virum orbi, virtus Deo conciliavit. Et quod Imperium illi vis & injuria impedivit, ei jus & veritas confirmavit, verùmtamen cum Deo regnat in pace.

Apophtegmata Friderici Pulchri.

Teſtimon. Scriptorū de Friderico.

Franciſci Tertij Bergomatis.

Huic teſtimonio ſubjungimus judicium Nicolai Vernulæi Hiſtoriographi Cæſarei Regijque & Profeſſoris publici Lovanij, qui Hiſtoriæ Auſtriacæ Capite VI. ita de Friderico noſtro ſcripſit: Fridericus Pulcher, ſic dictus ob elegantiam corporis, quâ Principes ſuæ ætatis ſuperabat, omnium formoſiſſimus, Alberto I. Patri ſuo in Ducatu Auſtriæ ſucceſſit, cùm frater ejus Rudolphus Mitis ante patrem obijſſet. Fuit hic Fridericus in omnes liberaliſſimus, proptereáque gratiſſimus. Occiſo patre Cæſare acriter homicidas perſecutus eſt cum fratre ſuo Leopoldo, cujus iram innata ſibi manſuetudine plurimùm temperavit. Nemo unquam ab hujus Cæſaris alloquio, niſi contentus, receſſit, nec quiſquam illi ſervivit, qui non in magnas opes evaſerit. Citatus ſupra Ni-

Nicol. Vernulæi.

Joan. Euſebij Nirenbergij.

renbergius præter ea, quæ tam ex ipſo alijsque Scriptoribus diverſis locis attulimus ſequentia in laudem Friderici Pulchri addit. Habitabat, inquit, in Ftiderico Pulchro pulchrior anima, corporis lineamentis ad decentiſſimam ſymmetriam compoſitis. Mentis generoſitas hunc Principem edocuit faſtidire ac ſpernere diadema, &c. Bis Victor adverſus Ludovicum æmulum, tertio prælio ex calore dimicandi præcipitatus in manus hoſtium, captúſque, fortiora dum vinceretur, edidit ſpecimina, quàm fecerat ſæpius Triumphator. Adductus in conſpectum Bavari ſeu Prudentiæ, ſeu conſtantiæ argumentum præſtitit nihil loquendo, &c. ad ultimos uſque vitæ dies amabatur & colebatur à cunctis, ob liberalitatem, & benignitatem, quâ ferebatur in omnes. Habuit Fridericus Iſabellam Jacobi Aragonum Regis filiam, conjugem pudiciſſimam, quæ tanto amore in interceptum, teſte Cuſpiniano, maritum flagravit, ut nihil intermiſerit eorum, quæ in viri ſalutem ſperaret. Peregrinationibus, jejunijs, abſtinentijs, ſe adeò caſtigavit, ut oculos penè viſúmque amiſerit: die ac nocte propter captum maritum in orationibus plorans donec in libertatem aſſereretur. Obijt eodem anno quo Fridericus feſto S. Margaritæ Virginis & Martyris. Sepulta Viennæ in Eccleſia S. Crucis apud Minores. Filia Eliſabetha nacta eſt ſepulturam cum parente apud Carthuſianos Maurbacenſes. Hanc Eliſabetham Joannes Bohemiæ Rex ſibi deſponſavit, ùt Weleslavinus in Calendario Hiſtorico memorat, & patet ex reperta apud Stradam moneta, in qua legitur nomen Joannis. In altera parte cernebatur virgo ante crucem & tres colles devotè genua flectens, cum lemmate: cujus prima verba *In DEO* radio circumdabantur, reſidua *ſpes mea* marginem occupabant. Unde prænominatæ Virginis animus conſtans (quem fortè tres colles denotant) ſempérque Deo conjunctus colligi poteſt; nec ſinè myſterio quis forſan intulerit, quietem inveniſſe apud eos, qui aſſiduè contemplationi & conjunctioni cum Deo vacant. De altera Friderici filia infra dicemus.

Frid. Conjunx Iſabella.

Ejuſdem virtutes.

Sepultura. *M.S. Cœnobij S. Crucis Viennæ.*

CAPUT XXVII.

Elogium Friderici Pulchri Cæſaris.

Nic. Avancinus in Elogijs Cæſar.

S*Æculorum portentum eſt. Forma fortis,*
Plerúmque incultæ ſunt intus ædes, quæ foris nitent.
Animus Unionis naturam ſequitur;
Precioſiſſima res rudi conchâ tegitur.

Pri-

Primum FRIDERICUS idem PULCHER, idem FORTIS, prodigiũ fuit:
Amorum æquè ac armorum fæcundus.
Idem ad ſui amores illicium, idem ad ſui timores fulmen.
Cui meritò fulminis lucentis & ferientis adſcribas lemma:
BLANDITUR ET URIT.
A vultu PULCHRI, ab animo FORTIS nomen ſortitus.
Majeſtatem geminâ veluti baſe ſuſtinuit.
Ut quamvis amabilis, tamen fortiter imperaret.
Monebatur â clementi ſpecie clementis animi.
Nec alio Titulo ſuam ipſe amabat ſpeciem,
Quàm quod ejus precio amores populorum nundinaretur,
Nam plebis ingenium ex ijs, quæ patent, arcana ſcrutatur;
Et ex benignitate vultûs animi amabilitatem metitur,
Solent enim Herbæ mentis ſui inditia foris deſcribere,
Et per ipſos oculos veluti per rimas, ingens lumen emicare,
Quaſi Auguſtus ſpiritus poſt ſiparium latere impatiens
Gaudeat in theatrum proſilire,
Non ità tamen FRIDERICO, quamvis AUSTRIACO, innubis frons,
Quin aliquando ſpiraret fulmina,
Sed tunc primùm ardere viſus eſt, cum extinctus eſt ALBERTUS.
Degeneris enim filij credebat eſſe.
Per injuriam trucidati parentis funera non vindicare,
Bonæ ſobolis, idem cum parente vulnus ex æquo ſentire,
Quàm enim grave eſt animam ſeparari à corpore,
Tam difficile pio filio eſt à parente divelli.
Quare, nè Majeſtas impunè læſa privatorum in cædes abiret;
Cum Leopoldo Fratre armavit Nemeſin',
Juſtè fulminaturus in eum qui injuſte ALBERTUM trucidâſſet,
Egit reum per varios caſus & oras,
Ut quæreret ubique latebras, nuſquam tutas inveniret:
Cui metum ſui ita incuſſit,
Ut quà fugeret, inſtare ſemper vindicem exiſtimaret,
Hoc in parricidam ultionis calore
Attulit Auſtriæ peccandi formidinem.
Peccare enim formidant plebei, cum plectuntur Illuſtres.
Raritas criminum facilè imperatur Civibus.
Cùm etiam in Principem ſanguinem ſolvuntur ſecures,
Dux Auſtriæ, Dux Styriæ confirmatus,
Quas inteſtinis motibus turbatas invenit,
Pacificus Æolus ad quietem compoſuit.

Patriæ vulnera curaturus,
Ubi Principatum ſuſcepit, medicum egit;
Summâ poteſtate ſic uſus, ut minimum velle videretur,
Solùm neceſſitati ferrum conceſſit.
Quamquam & ferri neceſſitatem ſuſtulit aureis moribus,
Cùm ad ſe unum jus gladij devolutum animadverteret,
Intellexit non extendi, ſed reſtringi oportere.
In hoc ſibi uni ſceptrum committi, nè multi noceant.
Dominatûs virgâ ſic uſus eſt, ut Jupiter fulmine,
Parciùs in verbera, uberiùs in terrores.
Arpinatis Oratoris ſecutus Conſilium.
Ne inveterata mala tolleret, naſcentia oppreſſit,
Quod ſciret *morbos celeritate medicinæ curari faciliùs*,
Qui morâ invaleſcunt ad mortem,
Tranquillitatem Auſtriæ novus Imperij turbo excepit,
Qui ipſum etiam FRIDERICUM involuit,
Ità rarò ab omni parte quieſcunt venti.
Nec ſidunt omnino, ſed migrant,
Henrici VII. Imperatoris mors poſt partam in Italia pacem.
Diſſidia in Germaniam tranſmiſiſſe eſt viſa.
Et primùm quidem, quod unum eſſe debebat, in partes abijt.
Septemvirale Collegium Electorum:
Sive quòd diſtraheret affectus,
Potentiſſimus ſententiarum Dictator,
Sive quòd eligendorum copia decretorij conſilij inopiam faceret;
Facilis enim deliberatio eſt, ubi ſinè pari ſupereminet unus.
Difficilior, quò parium copia major.
Ægrè quóque communis in unum conſpirat conſenſus
Cùm ſuus cuíque conſultor eſt affectus.
Ut enim cibus idem non ſapit omnibus
Sic quibus ſua volendi libertas eſt, non omnes idem amant,
Colonienſi, Palatino, & Saxoni placuit FRIDERICUS;
Imò & Brandeburgico; niſi fidem fefelliſſet Orator:
Qui abraſo è poteſtatis ſuæ literis FRIDERICI nomine,
Per ſummùm nefas ſuppoſuit Ludovici.
Non placuit alijs, qui Ludovicum Bavarum præferebant.
Abierunt in diſcordiam ſuffragia, Imperium in bella,
Spes Coronæ duobus ingeſta, utriúſque ambitum excitavit.
Erratica ſidera, ſi unquam aliàs, hic fuêre ſeptemviri:
FRIDERICUM: Bonnæ Colonienſis,

Ludo-

Ludovicum Aquiſgrani Moguntinus coronat;
Neuter ſinè errore:
Hic ab eo, à quo non potuit;
Ille loco, quo non debuit, inauguratur,
Majorum errorem ſequuntur ſtudia populorum;
Quorum armis fulcitur ambitio. (vicus,
Habet ſuas Urbes & Provincias FRIDERICUS, habet ſuas Ludo-
Quarum robore & animatur & munitur.
FRIDERICUS Heidelbergæ,
Ludovicus Oppenheimij pari celeritate exercitum cogit,
Uterque feſtinatione belli victoriam ſperat,
Ambitio enim neutri moras indulgebat,
Dum utriuſque fortuna magìs Impetu fertur quàm ratione,
Penè utráque naufragatur: certè concutitur,
Conferuntur ad Eslingam ſigna in acre prælium,
Virtute pari, æquo Marte, communi clade neutrius victoriâ,
Quia ingens victoria uno prælio confici nequijt,
Reficiuntur utrinque vires in novam pugnam,
Affluunt Ludovico Antiſtites.
Trevir, & Moguntinus, ac Bohemiæ Rex,
FRIDERICO LEOPOLDUS AUSTRIACUS, Udalricus Phyretarũ Comes.
Et Joannes Argentinatium Præſul,
Nervũ belli ſuggerunt Auſtriaci Ordines, tam civilis, quàm ſacer,
Decimam omnium ſuorum bonorum partem,
Indulgente Romano Sacrorum Antiſtite,
Cui quàm erat Ludovicus exoſus, tam erat charus FRIDERICUS.
Aliàs ſacra vaſa in ambitionis ſervitium cogere
Eſt, Balthaſaris conſilio, Regna hoſtium poteſtati tranſcribere.
Iniquè enim trahuntur in libidinis miniſteriũ anathemata Pietatis.
Bavariam ingreſſus AUSTRIACUS Martem increpuit;
Et ſolo nominis terrore adverſarium conjecit in fugam.
At Ludovicus ſeu fugæ probrum deleturus,
Seu firmaturus Majeſtatem:
Seu lamentis ſuorum & populationibus irritatus,
Reponit in arma viros & furorem,
Prior FRIDERICUM præſtolantem Leopoldi adventum laceſſit.
Magnanimus Heros, quamquam minor viribus, major animo.
Injuriam ſui nominis ratus, ſi vel cederet, vel differret,
Auſpicatur feliciter prælium, non æque feliciter finiturus,
Si par Duci certâſſet miles

Quinquagenos Bavari exercitûs delevisset.
Nam unus FRIDERICUS Regiâ manu totidem hostes confecit.
Cessit victoriæ auspicium FRIDERICO,
Sed Martis alea, quæ dedit Venerem, in Canem revolvitur.
Succurrit quandóque pugnare ingenio ubi vires deficiunt,
Austriaco potiti vexillo Bavari, tuti ad Austriacos penetrant.
Et dum signo mentiuntur amicos, stragem edunt,
Stetisset tamen quidquid erat Germani sanguinis,
Nisì adscitæ copiæ turbassent ordines fugiendi libidine,
Ità cujus res non agitur aut segnior est, aut timidior
Ut rarò Princeps, salutem suam extraneo militi credat;
Quem enim non urget amor, vix, fides ligat.
Turbatis ordinibus nutare cæpit FRIDERICI fortuna,
Victoria toto pondere in Ludovicum inclinare,
Hac perdita AUSTRIACÆ Domûs terminus credebatur,
Sed erravit invidia, quæ cùm procul nimis aspicit, nihil videt,
Venit in potestatem Ludovici FRIDERICUS; suus tamen permansit:
Conclusus loco, liber animo,
Principes enim viri nunquam toti capiuntur
Quin meliore sui parte sint liberi,
Magìs Leopoldum affecit FRIDERICI fortuna
Nam solent amantes eorum quos diligunt, ærumnas, suas credere;
Imò majus est & acerbius vulnus, quod amor facit.
Quia duplicem animum sauciat in uno corpore.
Triennium captivitatis, ut Triduum quietis tulit FRIDERICUS
Secessum à curis credidisses Trausnicianam Arcem,
Non locum ejus custodiæ deputatum,
Sinistram fortunam cùm dexterè exciperet.
Cordi vicinam non admisit.
Imperij Coronam cúm ademisset, caput onere liberatũ credidit,
Nullum enim sinè pondere est diadema, nulla fascia sine curis,
Experiri videbatur, num aliûs par Coronæ sit vertex:
Cùm non reperiret,
Furtum confessa, reposuit quod sustulerat.
Fregit Victorem victi constàntia,
Accessit Pontificij anathematis fulmen, quo ictus Ludovicus,
Ut tutò imperaret, imperare voluit & FRIDERICUM.
Par in utroque potestas miraculum fuit ejus sæculi.
Aphorismus orbis fuerat à Macedone dictatus:

Neque

Neque Cælum duos Soles, neque Regnum duos Reges patitur,
Didicit ejus falsitatem Germania,
Cùm pari devotione duobus est obsecuta,
Libertati restitutus, restitutus est Viennæ FRIDERICVS,
Hæc, ut amores suos videret, faces accendit.
Diuturnus enim fletus graves nubes induxerat,
Vt videre vix posset, quem amabat,
At breve gaudium novæ curæ lancinârunt.
Resumpta ab Austriaco Imperij Corona
Carolo Hungariæ, Joanni Bohemiæ Regibus invisa fuit.
Hi junctis viribus, Austriam populantur,
Sed Consilio & INDVSTRIA,
Id brevi tempore effecit FRIDERICVS.
Vt constantiùs amarent, qui leviùs oderant.
Habet enim Austriacus sanguis, nescio quid magneticæ Virtutis,
Ut etiam ferrum in sui complexum trahat.
Tandem FRIDERICVS, armorum satur, Pietatis castra ingressus:
Asceterium Religiosis viris Maurbachij condidit,
Sibi Mausolæum.
Brevi enim post tempore æque gloriæ ac laborum satur,
Non minus utriusque Fortunæ, quàm sui victor,
Populorum suorum amor, hostium terror.
Bis Imperator.
Jure & Authoritate Pontificis Legitimus.
Extinguitur.
Quem cùm legis cogita:
Nunquam emorituram in AUSTRIACI sanguinis hæredes invidiam,
Quia nunquam eorum gloria emorietur.

ANNALIUM
ET
ACTORUM PIETATIS
Augustissimæ & Serenissimæ
Domûs
HABSPURGO-AUSTRIACÆ
LIBER III.
QUI

ALBERTI II. & OTTONIS Ducum Austriæ potissimùm Pietatem explicat.

NE Lectori Solitudinis tædio abducti à Sacro Carthusianorum Ordine videamur, inde Caput Libri Tertij ordimur, ubi Libro Secundo desijmus, ac ea damus, quæ ad declarandam Austriacam Pietatem & munificam in Ordinem Sancti Brunonis à Domo Austriaca liberalitatem ostendendam facient.

CAPUT I.

Alberti II. Ducis Austriæ & aliorum ex Domo Habspurgo Austriaca Amor & Affectus in Carthusiam Maurbacensem.

POst Friderici Pulchri obitum Austriæ Ducatum Albertus Sapiens in primis cum Ottone fratre, deinde solus gubernavit, *Princeps*, teste Cuspiniano in sua Austria, *mira gravitate & pruden-*

tiâ

tiâ excellens, Christianæ Pietatis amator singularis. Is considerans ijs incommodis, quæ Præbendariorum in hospitali Maurbacensi inquietudine in singulos dies emergerent, cultum divinum non promoveri: Religiosos etiam R. D. Gerlaci assvetos solitudine & silentio ex sæcularium convictu, à functionibus suis præpediri: pro eo jure, quo in fratris, imò & suam fundationem, utebatur, id lege statuit, ut deinceps Conventus uterque habitatione non distaret, etsi in cæteris Gerlaciani uterentur sui Fundatoris indulgentiâ, sed in eodem Claustro & Ecclesia divina peragerent & unà conviverent, de mortuis verò Præbendarijs, nullus succederet, aucto invicem Religiosorum numero. Atque hæc ad mentem potissimùm Godefridi Prioris. Sub hoc Alberto, Carthusia Maurbacensis per Carolum IV. Cæsarem & Bohemiæ Regem Privilegiorum suorum confirmationem accepit. Beneficium eò libentiùs Carolus Cæsar contulit, quòd parens suus Joannes Anno 1341. religione tactus, miratúsque asperam Carthusianorum vitam, per quam corpora castigarent, & in potestatem suam redigerent, Carthusianos nunquam antea in Bohemia visos, Pragam, condito illis templo & bene dotato Cænobio, adduxerit. Hujus Cœnobij Capite sequenti & Ferdinandi I. Cæsaris faciemus mentionem.

Alber. cura Cœnobij Maurbacensis. M. S. Hist. Cœnobij.

Confirmatio Privilegiorum per Carolum IV. Cæsarem An. 1357.

Alberti porrò non minus quàm Friderici fratris conversatio frequens erat cum Carthusianis Maurbacensibus, præsertim sub annum 1347. quo Carthusiã Maurbacensem tituloPrioris per biennium regebat Joannes numero primus nominis hujus, quem Serenissimus & Sapientissimus Fundator in tanto honore habebat, ut non alio quàm fratris nomine ab eo compellaretur: fuit námque vitæ sanctimoniâ & literarum scientiâ vir insignis: non enim gratis amant viri Principes. Hujus Alberti nepos itidem nomine Albertus nominis hujus quartus singularis amator fautórque Carthusiæ Maurbacensis extitit. Libet de eo M. SS. Maurbacensia recitare; Serenissimus Dux Albertus nepos Fundatoris Gammingensis confrater & amator hujus Domûs Maurbacensis, amicus totius Ordinis singularis; qui verè dilexit nos ùt animam suam, & in plenariam tuitionem nos recepit. Concessit libertates plurimas, donavit, &c. Sub hoc Principe honor magnus Austriæ habitus, ut viderit in Carthusia Maurbacensi Capitulum Generale Ordinis celebrari. Plura de Alberto Capite sequenti. De amore Maximiliani I. Cæsaris in Fundatorem hujus Carthusiæ supra attigimus. Post ejus obitum calamitosa erant Austriæ tem-

Amor Alberti IV. Duc. Aust. in Carthusiã Maurbacensem.

In ea Ord. Capit. Generale.

 pora

porá præsertim sub Archiduce Ferdinando nominis hujus primo, simul Imperatore, Ungariæ præterea & Bohemiæ Rege, quo regnante cùm Solymmanus Turcarum Imperator Viennam ingenti cum exercitu obsidione cingeret, Maurbacensis eremus magnas perpessa clades, interitui ferè obnoxia, nonnullos è gremio suo perdidit: adeò ut pleríque eorum Turcica barbarie trucidati sint. A Solymannea clade haud resurgere poterat Carthusia Maurbacensis. Ei tanquam fermè collapsæ temporibus Rudolphi II. Cæsaris præfuit nomine Prioris Sebastianus Ædilis. Is studiô indefessô Curiam Apostolicam & Aulam Cæsaream fatigavit ut decretum de extinctione Monasterij rescinderetur. Et favit pijs conatibus prosper eventus. Rudolphus enim Romanorum Imperator Augustus, cùm eas diras & fulmina, quibus Fridericus Pulcher Fundator & Joannes XXII. Rom. Pontifex Confirmator, Fundationis & Confirmationis Tabulas armaverant, exhibente Sebastiano perlegisset: simúlque Augustissimorum Cæsarum, Serenissimorum Regum & Austriæ Principum continuâ *serie sibi* succedentium confirmationes illius domûs oculis *lustrâsset*; commotus est animo: nolénsque tot execrationum reus haberi; aut Majorum suorum sanctas intentiones tot diplomâtis sancitas, tot devotionibus distinctas unico velut momento antiquare, Acta quamprimùm rescindi, atque in integrum restitui Carthusianos imperavit. Et Cæsaream hanc gratiam centupla mox retributio subsecuta est. Eâdem quippe nocte Excellentissimus æquè ac Generosissimus Heros Adolphus Comes à Schwartzenburg (a) Jaurinum Ungariæ fortalitium, quod Christiani Orbis clypeum meritò dixerimus astu bellico recuperavit, tanto omnium gaudio solatióque, acsi à singulorum cervicibus frameæ, sicæque hostiles, quas nemo non imminere sibi crediderat, amoverentur. Factûmque est, ut dum Palatini Proceres Cæsareæ Majestati insperatam Victoriam effusè gratularentur, sisteret se etiam Carthusianus, submississimè demonstrando, quàm se non vinci benefaciendo divina Clementia pateretur; quæ pauperis Monasterij restitutionem, sinè procrastinatione, cum amplissimo insuper fœnore, tradita Urbe celeberrima maximíque compendij ex qua & residuæ Vngariæ Conservatio & Austriæ securitas & Romani Imperij protectio dependeret remunerata sit. Quæ cùm libentissimis & clementissimis auribus exciperet Imperator, eam gratiæ gratiam superaddidit, ut Carthusiam Maurbacensem ejusdémque privilegia, indulta, immunitates & exemptiones dato amplis-

Clades sub Ferdinando I. Cæsare.

Favor insignis Rudolphi II. Cæsaris.

(a) 1598. die 29. Martij.

amplissimo diplomate confirmaret, ultionem ijs minitando, qui Carthusianos lacesserent. Stabilitâ in hunc modum Carthusiâ respirare post plurima adversa cæpit, amissúmque decus recuperare. Verùm rebellio hæreticorum in Bohemia, non verò Catholicorum anno 1618. excitata omnia turbavit. Illis enim juncti pariter hæretici Moravi, Lusatij, Silesij, Austriaci anno 1619. Ferdinandum Archi Ducem, postea Cæsarem, Viennæ obsident, sed re infectâ discedere ab urbe coguntur, illato tamen tempore obsidionis multorum millium Carthusiæ damno. Quæ licèt per varias rerum vicissitudines excisa sit ferro, jactata terræ motibus, incendio deformata, peste exhausta, suis nihilominus tot funeribus, tótque cladibus cum divina ope surrexit. Quo porrò in statu fuerit anno 1665. audiendus est Clarissimus Petrus Lambecius, qui in suo quod edidit de Cæsareæ Majestatis sacra peregrinatione Cellensi Diario, de suæ Majestatis memorato anno accessu ad Carthusiam Maurbacensem sic ait: *Incredibiliter profectò hoc mihi placuit Monasterium; tam propter ipsum Carthusianum Ordinem, quippe, quem ùt exactissimum perfectæ vitæ Ascticæ exemplar præ alijs omnibus Sacris Ordinibus semper amavi, quàm ob ædificij nitorem ac magnificentiam, utpote cujus respectu non pro domicilio Monachorum, sed pro Imperiali palatio habendum sit. Jure meritò igitur Cæsar prandium hìc sumpsit.* Ita ille. Stetit decus illud ad annum ùsque 1683. quo occasione obsessæ à Turcis Viennæ relictis solùm muris; flammis destructum est. Verùm dum hæc ad prælum paro ipsúmque locum testis oculatus inviso & in antiquitates Cœnobij inquiro, video industriâ laboréque incredibili Reverendissimi Prioris Leopoldi in majorem splendorem exsurgere: nam is non solùm pristinâ formâ ab Antecessoribus suis præclarè inductâ, sed novâ insuper elegantia & templum & Monasterium exornat, & faventibus Superis exornabit, adeò, ut demortuæ (ut ita dicam) fabricæ resuscitator, meritò sit compellandus, maximè dum templum ipsum eo nitore condecoravit, ut suâ pulchritudine priore non solùm non privatâ, sed novâ eâque illustriore formâ resuscitatum esse videatur. Non nemo de hac Carthusia cecinit:

Pulchrior ista Domus, cur post discrimina semper
Surrexit? Pulcher Conditor ejus erat.

De hoc Cœnobio si quæ adhuc desiderantur quæ ad pleniorem ejus notitiam servire possent, dabit in lucem M. S. Historia Reverendissimi D. Leopoldi supra à nobis citati, ex qua ea hau-

ſimus quæ præſenti in opere deſcripſimus & manibus noſtris tractavimus.

Ex Valle Sanctorum ad Thronum Mariæ, & à Fundatore Pulchro ad Fundatorem Sapientem nos convertimus.

CAPUT II.

Albertus Sapiens fundat Cœnobium Gammingenſe.

ALbertus Sapiens Friderici fratris exemplo adductus Cœnobium Gammingenſe Anno 1330. munifica liberalitate erigere cœpit, in perpetuum amoris ſui in Carthuſianos mnemoſynon. Sed ne quid in re tanta mutâſſe videamur verba ipſa quibus ab amico chariſſimo P. Franciſco Steintzl ejuſdem loci Profeſſo ſeniore fundationem deſcriptam accepimus Lectori exhibemus.

Fundatio Cœnobij Gammingenſis.

Si quo unquam opere Regum Principúmque mundi hujus illuſtris fuit Pietas, ſemper illa certè ſtructis divino cultui Sacris ædibus domicilijsque arctiori Religione aſtrictis ejuſdem cultoribus eluxit magis. Nulla ſanè geſtorum gloria eos evexit altiùs, nomen propagavit latiùs, memoriam produxit longiùs atque hæc in DEVM pióſque homines Pietas. Hæc una eorum magnitudinis norma cenſenda eſt ac menſura, quâ cœlo terríſque metiantur. Una heroicæ magnanimitatis ac magnificentiæ nota eſt, opes profundere ut in Deum refundas. Unâ hac à magnitudine verè magnos pronunciare fas eſt, altiore ſemper locandos gradu, quô luculentiùs, liberaliùs, profuſiùs, latiúſque ſeſe exeruerit hoc in Pietatis opere eorum animus. Quàm altè intiméque infuſus ſit cordi humano DEVS, hac ſui cordis effuſione prodit homo. Eo in opere pietatis ſummis quibúſque meritô accenſendus eſt pijſſimus Gemnicenſis Carthuſiæ Fundator Albertus, hoc nomine alter familiæ Habſpurgicæ Dux, Rudolphi primi ejuſdem ſtirpis Imperatoris nepos, Alberti I. item imperatoris, primíque Ducis Auſtriæ, filij Rudolphi, quinque filiorum à nece Parentis ſuperſtitum natu poſtremus. Prima tunc pietatis ejus radiavére inſignia, cùm is juvenili ætate ſpernens carnis illecebras, cœlibatúmque honeſtis amoribus anteponens, Dei ſervitio ſeſe dicavit, Eccleſiæ Paſſavienſis Canonicus effectus, ac poſtmodum ùt nonnulli aſſerunt Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ electus, cui Moguntina etiam Princeps Electoralis Sedes à Joanne 22. Summo Pontifice ſit promiſſa. Sed maximè illa ſeſe exeruit cùm defunctis fratribus,

bus, eorúmque quos genuêre liberis, ipſe ad ſceptra capeſſenda regiménque tot Provinciarum vocatus, ſic rebus præfuit, ſic jus ac æquum cuique adminiſtravit, ſic pace bellíſque aliquot quæ feliciter geſſit, ſic denique verbis factíſque Principem omnibus numeris abſolutum expreſſit, ut ab omnibus jure ac meritò *Sapiens*, invidendo ſanè Principibus agnomine honeſtaretur. Is igitur ut ſuſcitaret ſemen tot fratribus ante ſe defunctis ductâ in Conjugem Joanna Phirtenſium Comitiſsâ, qua cum Comitatum ipſum in Habſpurgico Auſtriacam Domum induxerat, adminiſtrato ſanctè ac ſapienter tot populorum imperio, & avitam & ſibi connatam, id eſt Auſtriacam Pietatem, inſigni quopiam opere teſtatam facere voluit. Propagabatur ijs temporibus per haſce terras, bono ſui odore quaqua verſum diffuſo, S. Carthuſienſium Ordo, erectis jam antè in Cilienſi Comitatu Seitzenſi, & Carnis Freidnicenſi, & ex illa propagine deductâ Maurbacenſi altero à Vienna milliari in ejuſdem nemore Carthuſijs. Albertus itaque hoc etiam Inſtituti genus veneratus, amoréque hujus ceu peculiaris inter alias omnes quemadmodum ipſe in Fundationis litteris loquitur, Sanctiſ. Matris Eccleſiæ filiæ captus, ornandam ſibi eam ſuſceperat, domiciliúmque ille in valle præ altis undíque montibus cincta Gemnick, aut ùt nunc vulgo effertur Gamming nuncupatâ, inferioris Auſtriæ, Paſſavienſis Diœceſis ſtruere orſus, fundamentalem, ut ajunt, initialémque lapidem ipſe manu ſua in fundamento depoſuit pridie Idus, ſeu 12. Auguſti anno partæ *Salutis* 1330. Unde Fundationis hujus annorum ſeries ducitur: Litteræ quippe Fundationis longè pòſt ſunt exaratæ. Harum è contextu Pietatis Optimi Principis ac Sapientiæ magnitudo longè clariſſimè elucet. Hujus quidem ex eo, quòd adeò providè circumſpectè, ac verbo ſapienter totam Fundationem ſuam ordinârit, digeſſerit, muniverit, conſtabiliverítque legibus, immunitatibus, Privilegijs, minutatim ſic in omnia intentus ac ſuo quæque robore firmans, ut illa ſua mole ſtare perſtaréque queat. Illa verò cumprimis ex intimo illo affectu, quo in Divam Dei Parentem ferebatur, cui veluti Reginæ ac Dominatrici totius Orbis, Sedem hâc in S. Æde poſuiſſe videbatur, dum eam *Thronum Mariæ nuncupavit* Deinde ex munificentia ac liberalitate in eandem ac DEVM ipſum ſumma, adeóque profuſâ, ut ſatiari Pijſſimus Princeps dando vix poſſe videretur. Semper ille adjiciebat aliquid pijſsimáque illa manu ſuâ, tunc ſi uſquam aliâs minimè contracta, erogabat in ſuos filios (utì eos appellare ſolebat) quoaduſque mors illi eam ex to-

to contraheret tumulóque conderet. Et cùm ab ipſiſmet Carthuſianis in quorum commoda uſusque totus excubabat, verecundè admoneretur, ſatis jam ſupérque Fundationi huic proviſum donatumq; eſſe; pijſſimus Pater reſpondebat verbis in rhythmos non illepidè flexis, velut futurorum præſagus ac vates: quæ hìc, ut in veteri Chronico Fundationis hujus ſcripta Teutoniſmo pariter veteri iiſque uſitato temporibus reperi, adducere haud pigebit:

Nembt (ajebat ille) dieweil man euch gibt gern/ es kombt die Zeit/ daß ſein alles zwenig wird werden. Meine Kinder was ich euch wird geben/ das huett und pfleget gar eben.

Nimirum intentos jam tum in tempora noſtra viſus eſt Princeps pijſſimus habuiſſe oculos, quorum malignitate, utut largè copioſéque locupleta fuerit Fundatio laboravit tamen adeò ut ſuo in ſtatu vix perſiſtere potuerit, ſic non unquam preſſa, ut ferè opprimeretur. Certè ex 4. Caſtris Franckenſtein/ Liebeck/ Scheurenberg/ Damerſpach domui huic ab eo donatis ne unum quidem nobis eſt ſuper, omnibus in ſecularium manus bellorum turbine difflatis & averſis. Hæc ad me nominatus Amicus. Reliqua, quæ de obitu ſui Fundatoris notificavit ab anno 1358. Lectori exhibebimus.

Notæ & Additamenta.

DE hac Carthuſia ſæpe hactenus citatus Schönleben Prolegomeni Parte II. Cap. IX. Prærogativâ IX. §. III. hæc refert: Fundat Albertus Sapiens, qui & contractus dictus, in Auſtria Carthuſiam Gämmingenſem cum duplici Conventu, ad inſtar primæ domûs Carthuſienſis adeò ſplendidè ac munificè dotatam, ut fratres ſequenti Sæculo faſſi ſint in toto ſuo ordine ſimile Monaſterium ſe non habere. Literas fundationis datas reperio anno 1357. in quibus Fundator pronuntiavit: *Sanctum Carthuſienſem Ordinem, à Sede Apoſtolica inter cæteros Ordines ſpecialiter privilegiatum, ac multipliciter commendatum, tanquam ſingularem & pretioſam margaritam in toto theſauro Sanctæ Matris Eccleſiæ reperimus.*

Hic idem Albertus ex affectu erga Deiparam Virginem diſſimulato habitu Aquiſgranum adijt, ubi votis perſolutis Beatiſſimæ Virgini aureum calicem obtulit. Eodem tempore Coloniæ Agrippinæ tres ſanctos Magos Reges honoravit. Ibi agnitus propter patris & avi merita multis honoribus exceptus eſt. Sanctorum etiam Reliquias ſpeciales retulit, quas, partim in caſtro Viennenſi, partim Gamingæ in fundatione ſua depoſuit. CA-

CAPUT III.

Miſcellanea quæ ad Ordinem S. Brunonis ſpectant.

IN præſenti Capite miſcellanea damus nullo ſervato ordine rerum ſeu dignitatem, neque chronologiæ ordine ſi annos ſpectes, ſed prout nobis communicata ſunt ab alijs, aut quæ propriâ experientiâ accepimus, deſcribemus. Quæ eo fine facimus, ut his communicatis in animis complurium excitemus deſiderium ſimilia quæ poſteritati chara & grata videbuntur conquirendi ac authori communicandi, qui ea fideli calamo, utì optat, depromat, & fragmenta illuſtri memoriâ & eruditâ mensâ digna colligat. Ne autem Caput præſens longitudine & amplitudine ſua legentibus, ſit minus acceptum, pro majore etiam claritate, in complures paragraphos dividendum judicavimus.

§. I.

Domus noſtræ Dominæ de Gratia, ſeu Carthuſia Bruxellenſis.

PRiuſquam de hac Carthuſia & de nonnullis alijs, quantum ea ad noſtrum inſtitutum pertinent; agamus, noto Cœnobia ſua, ſeu Carthuſias à Carthuſianis Domus vocari, & primum templum à Rogerio Comite Calabriæ in honorem Beatæ Mariæ Virginis & S. Stephani conſtructum. Invaluit poſtea mos Pietáſque in Virginem Deiparam ut Carthuſiani Domos ſuas ſub varijs titulis Beatæ Mariæ Virginis inſigniri voluerint. Nonnullæ ſimpliciter Domus Mariæ appellantur. Quædam Domus Salutationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Compaſſionis, &c. Aliæ Aula Beatæ Mariæ, Hortus, Clauſtrum, Vallis, Pons, Inſula, &c. Reperiuntur præterea aliquæ ſub titulo Noſtræ Dominæ de Gratia, qualis olim in Belgio extra Bruxellas Brabantiæ urbem, loco peramæno ſita, ſed bellis civilibus everſa. Noſtrâ autem memoriâ (verba ſunt Laurentij Beyerlinck in ſuo Magno theatro vitæ humanæ titulo: Religioſus & Religio) eſt intra muros Urbis magnificè ædificata, magíſque in dies aſſurgit. Porro Monaſterio Sacellum adhæret, Divæ Virginis cultu celebre, quod ingenti ſæcularium hominum frequentiâ viſitur. Ita Bayerlinck.

Hoc beneficium reædificatæ Carthuſiæ ſuſpicor ad Sereniſſimos Belgij Principes Albertum & Iſabellam Archiduces Auſtriæ

Saltem ex parte pertinere. De templi fabrica sub effigie Alberti in Carthusia Maurbacensi sequentia leguntur:

Albertus VII. Maximiliani II. Imperatoris filius, Archi-Dux Austriæ, Dux Brabantiæ, Princeps Belgij: Carthusiæ Bruxellensis Ecclesiam ære suo extrui fecit.

§. II.

Domus Aulæ Mariæ, seu Carthusia Buxheimensis.

DE hac Domo memoratus Beyerlinck sub eodem titulo sequentia expressit: Aula Beatæ Mariæ in Buxia apud Memmingam, Sueviæ oppidum, Diœcesis Augustanæ, Canonicorum Regularium olim domicilium extitit, ope verò Fundatoris novi D. Henrici de Ellebarch, Canonici Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ anno reparatæ salutis M. CCC. IV. Carthusianis assignatum insigni ædificiorum splendore, nec non & opum magnitudine etiamnum cæteris istius loci cœnobijs supereminet. Hæc Domus in exordio Lutheranismi à Memmingensium Lutheranorum protectione avulsa, & in Augustissimæ Domûs Austriacæ specialem tutelam assumpta multísque privilegijs est dotata.

De hac tutela me informavit Reverendissimus & Religiosissimus vir Joannes Bilstein loci dignissimus Prior & per Provinciam Alemanniæ Inferioris Visitator, à quo ipsa in specie Privilegia aliaq; quæ proposito nostro inservient præstolor, suis postea annis inserenda.

§. III.

Domus Olissiponensis.

HÆc Domus à quibusdam *Aula Dei*, à nonnullis: *Vallis misericordiæ* appellatur, estque sub annum 1593. à Philippo II. Rege Hispaniarum fundata.

§. IV.

Domus S. Mariæ de Miraflores.

HAnc Domum Regnum Castellæ sibi vendicat, & est propè Burgos sita, extructa autem à Joanne II. Castellæ Rege, qui ibidem cum conjuge sua conditus jacet. Hæc Domus nobilitata est sepulturà Philippi I. Hispaniarum Regis, Archi-Ducis Austriæ, quam vivens cum conjuge Joanna insigni favore prosequebatur.

§. V.

§. V.

Domus Neapolitana.

HAnc Domum titulo S. Martini ornat citatus ſupra Laurentius Beyerlinck, eamque ab annuis reditibus, ex Stephano Winando Pighio, in Hercule Prodicio commendat. Domûs hujus Carolus V. Cæſar *Reſtaurator* nuncupatur.

§. VI.

Domus Vallis Jocoſæ, ſeu Freydenthallenſis.

HOdie à pleríſque hæc Domus Freidnicenſis appellatur. Accepit Anno 1338. ab Alberto II. & Ottone Ducibus Auſtriæ confirmationem Privilegiorum. Idem Albertus anno 1358. mandavit Ottoni de Ortenburg Capitaneo Carnioliæ, ut manu teneat Carthuſianos Freydenthallenſes in ſuis Privilegijs. Alienatam hanc ab Ordine Domum reſtituit Ordini Carolus II. Archi-Dux Auſtriæ Parens Auguſtiſſimi Ferdinandi II. Cæſaris.

§. VII.

Domus Sanctiſſimæ Trinitatis in Marchionatu Moraviæ prope Brunam.

MEdio circiter lapide ab urbe Bruna in Moravia, Boream versùs ſpectatur in aperto campo, qui Regius dicitur, Eremus Carthuſianorum in honorem SS. Trinitatis fundata à Joanne Marchione anno 1375. paulò ante ipſius obitum: poſtea à filijs ejus, Jodoco, Joanne, & Procopio perfecta, egregiéque dotata. Huic Carthuſiæ primus ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca favorabilem ſe exhibuit Albertus Archi-Dux Auſtriæ gener Sigiſmundi Cæſaris, qui anno 1424. literas fundationis confirmavit, innovavítque confirmationem Wenceslai Bohemiæ Regis. Eadem præſtitit filius Alberti Ladislaus anno 1453. & inſuper approbavit laudabiles conſvetudines à quibuſcúnque conceſſas. Supplevit præterea authoritate Regia omnem defectum ſolennitatis verborum & obſcuritatis ſententiarum, & aliunde: præcepit quóque ſuis omnibus nè in prædictis Carthuſianos moleſtent, ſed potiûs tueantur. Hæc ſingula rata habuit Ferdinandus I. Rex Ungariæ & Bohemiæ Marchio Moraviæ, anno 1527. mandavítque Capitaneis & Officialibus militiæ, ne quiſquã eorum cum ſtipendiarijs in bonis Carthuſiæ ſtativa ponant, ſed nec permittant damnificare

ſubditis. Idem ſtabilivit libertatem Domûs Brunenſis à Georgio Bohemiæ Rege conceſſam. Præterea donationem per eundem alterius medietatis Jus Patronatûs in Wazan; literas demum libertatum vineæ Roſperg & Kuniz. Eadem rata habuit anno 1605. Rudolphus II. Cæſar, Moraviæ Marchio. Conſenſit quoque ut omnia deperdita à Monaſterio jure poſſint Carthuſiani recuperare. Mandat exemplo prædeceſſorum ſuorum omnibus Officialibus ſuis ne Carthuſianos eorúmque ſubditos in Privilegijs & Juribus eorum moleſtent, nec moleſtari permittant, ſed defendant.

§. VIII.

Carthuſia Pragenſis Hortus Mariæ dicta.

HAbuerant Carthuſiani ante tria & amplius ſæcula Cœnobium magnificum ac ſumptuoſum poſt micro Pragam à Joanne Bohemiæ Rege Anno 1341. ad honorem Dei Beatiſſimæque Virginis MARIÆ fundatum; quod rabies Huſſitica Anno 1419. 30. Julij flammis abſumpſit, bona autem à ſæculari poteſtate occupata. Illa omnia, præſertim tamen ea, quæ à fundatoris dote fuerant, reſpexiſſe videtur Cæſar, Hungariæ & Bohemiæ Rex Ferdinandus I. magnus Pietate, religionéque, qui ut collapſam in Bohemia Religionem quoquo modo erigere inſtauraréque poſtliminio, eíque in futurum proſpicere poſſet, cupiebat unicè ſtudióque omni adlaborabat. Siquidem is in eo Diplomate Regio, quo anno 1562. die lunæ poſt S. Matth. Privilegia olim Pragenſibus conceſſa verbis ampliſſimis confirmat, hæc ipſa verba adjecit. Quia verò cives Pragenſes antiquæ & Novæ Urbis & Parvæ Partis tenent duorum Cœnobiorum Carthuſienſis & Plaſſenſis (Præpoſiti Ciſtercienſis hæc ſedes fuit in urbe minori Pragenſi ſub Petrinio monte, Abbati Plaſſenſi ad Plsnam ſubjecta) hortos, vineas, domos, molas, &c. poſt Augezd, ita ut neſciatur hodie quæ ſint juris Eccleſiaſtici, quæ non ſint: ſtatuimus, ſi quando ea Cœnobia reſurgant, ut ſua vetera bona redimendi jus habeant, pretio ad arbitrium boni viri conſtituto.

§. IX.

Carthuſia Waldecenſis.

HÆc Carthuſia hodie unica in Regno Bohemiæ eſt. Olim præter Pragenſem numerabatur quoque Podiebradenſis & Litomiſslenſis. Hanc Albertus de Sternberg Archi-Epiſcopus Magde-

Magdeburgensis, & Episcopus Litomislensis fundavit, & postea in Moraviam ad pagum Dolany transtulit. Anno 1437. ab Hussitis occupata, à civibus porrò Olomucensibus recuperata, & nè deinceps esset hostibus receptaculo, diruta, & in urbem translata. Novæ & tertiæ in Moravia Carthusiæ initium in pago dicto Stipa dedit Albertus, Wenceslaus, Eusebius Baro de Waldstein, cujus sequens titulus in literis fundationis Anno 1617. exprimitur: Albertus, Wenceslaus, Eusebius Baro de Waldstein, in Wssetin, castro Lukow, & Rimnitz, Matthiæ Cæsaris, nec non Serenissimorum Archi-Ducum Austriæ Maximiliani Senioris, & Ferdinandi Cubicularius, & constitutus ab inclytis statibus Marchionatûs Moraviæ Colonellus, sive supremus Ductor trium millium peditum armaturæ Germanicæ. Eundem titulum expressit Franciscus Cardinalis à Ditrichstein Episcopus Olomucensis tanquam loci Ordinarius, literis Episcopalibus, anno sequenti die 23. Mensis Junij stabilitâ fundatione. Sed cùm ex bello inprimis orto in Bohemia Anno 1618. tum ex alijs bellis Titulus Waldsteinius augeretur, ex Barone nominatus imprimis Comes, dein Dux Fridlandiæ, Sagani, Majoris Glogoviæ, Mechelburgi, Velleris Aurei Eques, & Cæsareæ militiæ Generalissimus, titulisque amplissimæ ditiones inhærerent, factum est, ut Moravica Stipensis residentia in Regnum Bohemiæ, Principatum Fridlandiæ de consensu Invictissimi & Pientissimi Ferdinandi II. Cæsaris & Bohemiæ Regis, nec non Joannis Lohelij Archi-Episcopi Pragensis transferretur. Ob bellum Saxonicum & Suedicum non licuit Fridlando ædificium inchoatæ, multúmque amatæ Carthusiæ ad finem perducere. Secuta etiam inopinata mors Anno 1634. fine Februarij; quæ Austriacis Principibus occasionem Carthusianis gratificandi fecit. Unde Ferdinandus Cæsar Profectoris nomen illicò assumpsit, & bona, quæ Fridlandus evictioni obnoxia dotis nomine Carthusiæ donaverat, recepto in se Augustósque Posteros evictionis onere stabilia effecit.

Peczkanam ditionem ære alieno ad XX. Millium summam liberavit, atque alia ad se devoluta ferè ad centum millia liberaliter Neo-Carthusiæ Cæsar benignissimus addixit; indéque Cæsareæ bicipitis Aquilæ receptam pectore Reginam Cœli gerentis insigne traxit Carthusia Waldicensis. Cúmque idem bellicosissimus & fortunatissimus in bello Dux, in ijs autem quæ ad Dei cultum promovendum faciebant liberalissimus, annuatim aliquam pecuniam pro majore Carthusia assignâsset, post ejus mor-

tem Augustissima & munificentissima Domus Austriaca Carthusiam Waldicensem obligavit annuatim ad dandum Carthusiæ Majori 166. florenos Rhenenses cum quadraginta cruciferis. Porrò Carthusia Waldicensis, à proximo ferarum vivario Waldicz ita dicta, *Castrum Mariæ* quoque nuncupatur: ut videlicet Augustissima Domus, quæ à principio statim Augustissimi ortûs sui ab invidis oppugnatur, inibi etiam castra haberet; sed talia, in quibus pro ejus incolumitate terrestres Angeli religiosis precibus apud Cœli Reginam, & *castrorum aciem ordinatam* militarent.

§. X.

Carthusia S. Michaëlis in Lövvöld.

INter Carthusias opulentissimi Regni Ungariæ una quondam fuit sub nomine *Vallis S. Michaëlis* circa annum Domini 1350. constructa, mansitq; in suo flore ad Solymanni Turcarum Imperatoris tempora. De ea Diploma Ferdinandi I. Cæsaris Ungariæ Regis damus.

Nos Ferdinandus Divinâ favente Clementiâ, Romanorum, Hungarorum, Bohemiæ, &c. Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchiæ, Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtenburgæ, &c.

„MEmoriæ communi tenore præsentium significa„mus, quibus expedit universis.

„QUòd pro parte, & in persona fidelis nostri Reverendi An„dreæ de Kewes, Episcopi Ecclesiæ Vesprinienfis & Consilia„rij nostri exhibitæ sunt nobis, & præsentatæ quædam literæ Ho„norabilis Fratris Ladislai Prioris Fratrum Carthusianorum de Lö„weld, & Commissarij totius Conventûs Ordinis Fratrum eorun„dem Carthusianorum, in simplici papyro patenter confectæ, si„gillóque ejusdem ac propriæ manûs subscriptione communitæ, „quibus mediantibus idem Frater Ladislaus Prior universa bona „Ecclesiæ & dicti Monasterij Löweld, jam desolati, citra lacum „Balatini existentis: signanter possessiones Nagij Löweld, Kys Löweld,

„weld, Redmeck, & Borzoreteck in Zoladiensi Comitatu exi-
„stens, habita simul cum cunctis suis utilitatibus & pertinentijs „quibuslibet, utilitatúmque & proventuum integritatibus, præfa-„to Episcopo Vesprinienfi, usque ad feliciorem reditum statûs „regni, prædictíque Ordinis in Regno nostro Hungariæ reforma-„tionem, pro summa florenorũ Vngarorum nonaginta annuatim „præfato Conventui persolvendi in arendam dedisse & locâsse di-„gnoscebatur tenore infrascripti, supplicatum itàque est Majestati „nostræ pro parte præfati Andreæ de Kewes Episcopi Vesprinien-„sis, ut easdem literas, ac omnia & singula in eisdem contenta, ra-„tas, gratas, & accepta habentes, literísque nostris privilegialibus „de verbo ad verbum inseri, & inscribi facientes præmissæ datio-„ni, locationi, & arendationi, alijsque omnibus, & singulis infe-„riùs tenore earundem literarum clariùs expressis, nostrum Re-„gium consensum, benevolum pariter & assensum præbere di-„gnaremur. Quarum quidem literarum tenor talis est:

„Nos Frater Ladislaus Prior Fratrum Carthusiensium de „Löweld, & Commissarius totius Conventûs Ordinis fratrum „eorundem Carthusiensium memoriæ commendamus per præ-„sentes. Quòd cùm Nos post destructionem Monasterij nostri „Löweld bona nostra ad dictum Monasterium nostrum spectan-„tia, nunc procul à nobis existentia commodè defendere, proven-„túsque eorundem bonorum nostrorum nos minimè percipere „& nostrâ facultate administrare posse cognoverimus, accedente „juxta humillimam nostram supplicationem consensu & man-„dato Regiæ Majestatis Domini nostri clementissimi universa Ec-„clesiæ & dicti Monasterij nostri Lôweld citra lacum Balatini exi-„stens: signanter possessiones Nagij Leweld, Kys Leweld, Ren-„neck, & Borzorezeck ac Gehe & Negijni in Jauriensi, nec non „Vdrarij & Tapoleza in Zaladiensi Comitatibus existens: & habi-„ta simul cum cunctis suis utilitatibus & pertinentijs quibuslibet „terris scilicet arabilibus, cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, „fœnetis, Sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vinetis, vinea-„rúmque promontorijs, aquis, fluvijs, piscinis, piscatorijs, aqua-„rum decursibus, molendinis, & eorundem locis, generaliter ve-„rò quarumlibet utilitatum & pertinentiarum suarum integrita-„tibus, quovis nominis vocabulo vocitatis sub suis veris titulis, „& ab antiquo ad easdem pertinentibus deberi Reverendissimo „Domino Andreæ de Kewes, Episcopo Ecclesiæ Vesprinienfis us-„que ad feliciorem reditum statûs regni Ordinis nostri in Regno

„Hungariæ in priſtinum ſtatum reformationem, pro ſumma flo-„renorum Hungaricorum nonaginta annuatim in arendam dedi-„mus & collocavimus, in bonis monetis pro tempore currenti-„bus, ſingulis annis duobus terminis, videlicet ad feſta Beatorum „Martini & Georgij nobis in Conventu noſtro perſolvens, hujuſ-„cemodi ſub conditionibus. Ut præfatus Dominus Epiſcopus „Veſprinienſis & per conſequens Officialis ejuſdem moderni & „futuri à colonis noſtris & Eccleſiæ noſtræ in præſcriptis univer-„ſis poſſeſſionibus noſtris commorantibus nihil extra ſolitum „conſuetum cenſum, ordinarium, ac nunc ratum & Birſagien-„ſium ipſorum colonorum ab antiquo ſolvere debitum exigere „poſſint, in genere verò ſervitiorum nulla ad majora ſervitia ex-„hibenda ipſi coloni per anni circulum cogantur, quàm quili-„bet colonus cenſualis, ſedecim dies, & inquilinus juxta eorum „facultatem ſervire cogantur, hoc præterea interpoſito, quód ſi „Dominus Andreas de Kewes Epiſcopus Veſprinienſis per trans-„lationem ad alium evocaretur Epiſcopatum, vel clementer ſub-„levaretur, vel idem Dominus Epiſcopus Divina vocatione fato „concederet, ex tunc præſcripta univerſa bona Eccleſiæ ac Mo-„naſterij noſtri in nos & Conventum noſtrum redeant, & reſti-„tuantur eo facto harum noſtrarum vigore & ſubſcriptione ma-„nuum noſtrarũ ſigillíque noſtri munimine & teſtimonio litera-„rum mediante. Datum in Caſtro Symek in feſto B. Bartholo-„mæi Apoſtoli Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, quin-„quageſimo quarto.

Nos igitur humillima ſupplicatione pro parte præfati An-„dreæ de Kewes Epiſcopi Veſprinienſis, modo quo ſuprà porre-„cta Majeſtati Regiâ benignitate exauditâ, & clementer admiſsâ „præſcriptas Honorabilis Fratris Ladislai Prioris literas non can-„cellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus „vitij ſuſpicione carentes, privilegialibúſque literis noſtris de ver-„bo ad verbum ſinè diminutione & augmento aliquali inſertas, „& inſcriptas, quoad omnes earum clauſulas & articulos eate-„nùs, quatenùs eædem ritè & legitimè exiſtunt emanare, viribúſ-„que eorum veritas ſuffragatur, ratas, gratas, & acceptas habere-„mus, promiſſis, dationi, locationi & arendationi, ac alijs omni-„bus & ſingulis ſuperiùs in tenore earundem literarum clariùs ex-„preſſis noſtrũ Regium conſenſum præbuimus, imò præbemus „benevolum pariter & aſſenſum harum noſtrarum, quibus in ab-„ſentia ſecreti ſigilli annulare ſigillum noſtrum eſt appenſum, ſui

vigo-

„vigore & teſtimonio literarum. Datum Ratisbonæ decimo octa-„vo die Menſis Januarij Anno Domini 1557. Regnorum noſtro-rum Romani 27. aliorum verò 31.

§. XI.

Inſcriptionales factum Clauſtri Lechnitz concernentes ex Archivo Cancellariæ Hungaricæ Aulicæ in Tranſumpto extraditæ.

Nos Leopoldus Dei gratiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque, &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, & Goritiæ, &c.

„MEmoriæ commendamus tenore præſentium ſigni-„ficantes quibus expedit univerſis.

„QUòd fidelis noſter Religioſus Frater Anthelmus Kürthi Or-„dinis Carthuſianorum Profeſſus & Agens, mediante ſuppli-„ci ſuo libello Majeſtati noſtræ humillime detegi curavit hunc in „modum. Qualiter idem & præfatus Ordo paribus certarum „quarundam gratioſæ annuentiæ Literarum Sacratiſſimi olim „Principis Domini Ferdinandi ſecundi Romanorum Imperatoris „ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis, „Avi & Prædeceſſoris noſtri glorioſæ memoriæ, Magnifico quon-„dam Paulo Rakoczi ſuper redemptione Clauſtri Lochniz benig-„nè factarum, ac in Archivo Cancellariæ noſtræ Aulicæ Hungari-„cæ more ſolito inſertarum, Jurium ſuorum futura pro cautela „plurimùm indigeret, eſsétque neceſſarius. Supplicando Maje-„ſtati noſtræ, per quam humillimè, quatenus hujuſmodi gratio-„ſæ Annuentiæ prævio modo benignè dicto quondam Paulo Ra-„kozi factæ, literas, in antefato Archivo præfatæ Cancellariæ no-„ſtræ Aulicæ Hungaricæ requiri & reinveniri facere, ac in Tran-„ſumpto Literarum noſtrarum eidem extradere dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor talis eſt.

„Nos Ferdinandus, &c. Memoriæ commendamus tenore
„præsentium significantes, quibus expedit universis. Quòd nos
„attentis & consideratis fidelitatis & fidelium servitiorum meritis
„fidelis nostri Magnifici Pauli Rakozi de Felsio Vadass Comitis
„Comitatuum de Saaros & Thornensis Janitorum nostrorum Re-
„galium in Hungaria Magistri Equitis Aurati, Cubicularij & Con-
„siliarij nostri, quæ ipse Sacræ primum Regni nostri Hungariæ
„Coronæ & deinde Majestati nostræ, inde ab initio felicis inaugu-
„rationis & Regiminis nostri, pro locorum & temporum diversi-
„tate ac occasionum exigentia fideliter exhibuit, & impendit, &
„deinceps quoque pari fidelitatis & promptitudinis studio exhi-
„bere ac impendere non cessabit. Eidem Paulo Rakozi ex specia-
„li gratia nostra Regia clementer annuendum & concedendum
„duximus, ut ipse totale Claustrum Lechnich nuncupatum in Co-
„mitatu Scepusiensi existens habitum, & olim ad Religiosos Fra-
„tres Ordinis Carthusianorum pertinens, quod nunc simul cum
„cunctis suis utilitatibus & pertinentijs quibuslibet hæredes Ma-
„gnifici quondam Georgij Horuath de Palochia, Jure inscriptio-
„nali etiam & pro triginta quinque Millibus florenis Ungaricis te-
„nent & possident depositâ eisdem hæredibus hujusmodi summâ
„inscriptionali ad se redimere, ac pariformiter Jure inscriptitio
„deinceps hisce sequentibus sub conditionibus, tenere & posside-
„re valeat atque possit. Quod nimirum ipse Paulus Rakoczi
„præfatam triginta quinque millium florenorum Hungaricorum
„summam antefatis hæredibus Georgij quondam Horuath de Pa-
„lochia præviâ quatuor Mensiũ denunciatione deponere & exsol-
„vere debeat, sicque demum præfatum Claustrum Lechnicz si-
„mul cum cunctis suis utilitatibus & pertinentijs quibuslibet, ter-
„ris scilicet arabilibus, cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, cam-
„pis, fœnetis, sylvis, nemoribus, Montibus, vallibus, vineis, vinea-
„rúmque Promontorijs, aquis, fluvijs, piscinis piscaturis, aquarúm-
„que decursibus molendinis & eorundem locis, generaliter verò
„quorumlibet utilitatum & pertinentiarum suarum integritati-
„bus, quovis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis &
„antiquis limitibus existentibus, ad idem Claustrum Lechniz de
„Jure & ab antiquo spectantibus & pertinere debentibus ubivis &
„in quibuscunque præfati Regni nostri Hungariæ Comitatibus ad-
„jacentibus apprehendere, ac in eadem Triginta quinque millium
„florenorum Hungaricalium sum̃a pariter Jure Inscriptitio dein-
„ceps tenere, habere, possidere, fructúsque & quoslibet utilitatis
proven-

„proventus redditus & quælibet alia omnia emolumenta perci-
„pere, illisque liberè, uti, frui, & gaudere vitâ suâ durante possit
„& valeat, cum hac assecuratione, quòd vitâ ipsius Pauli Rakozi
„durante idem Claustrum Lechniz neque nos neque successores
„nostri Legitimi nimirum Hungariæ Reges ab eodem redime-
„mus nec alteri alicui, vel aliquibus sæcularium (excepto præ-
„fato Carthusianorũ, vel aliorum Religiosorũ Ordine, aut Clero,
„penès quos libera utique semper redimendi potestas manere
„debet) in simili, multo minùs in majori summa (eo quòd ne
„imposterum ad Bona Ecclesiastica auctionaria summa petatur,
„vel acceptetur omnino cautum iri volumus) redimendum per-
„mittemus, vel concedemus. Decedenti autem demum ipso
„Paulo Rakozi, ab ejusdẽ hæredibus, ejus posteritatibus vel etiam
„Legatarijs suis utriúsque sexûs universis, non nisi depositâ priùs
„præfatâ Triginta quinque millium Florenorum Hungaricorum
„summâ, & quidem in simili, quam ipse Paulus Rakozi hæredi-
„bus Palochiajanis nunc depositurus est, moneta eisdem adimi
„& ab ipsis auferri possit. Quâ quidem depositâ & levatâ, tenean-
„tur tandem ijdem hæredes & posteritates vel etiam Legatarij
„ipsius Pauli Rakozi utriúsque sexûs universi ipsum Claustrum
„Lechnitz simul cum cunctis suis utilitatibus & pertinentijs qui-
„buslibet, nobis aut successoribus nostris legitimis utpote Hun-
„gariæ Regibus, præmittendâ tamen ante redemptionem qua-
„tuor Mensium spatij denuntiatione remittere, illísque bonis abs-
„que ulla cunctatione & difficultate illicò cedere. Cæterum si
„quæ bona ex corpore Bonorum ejusdem Claustri Lechniz anti-
„quitus alijs essent inscripta vel oppignorata, idem Paulus Rakozi
„Libertatem habebit juxta contenta ejusmodi Literarum Inscri-
„ptionalium, apud eosdem Possessores existentium redimendi &
„ad corpus reliquorum bonorum, unde avulsa sunt, iterum ap-
„plicandi, & talis summa pecuniaria hujusmodi redemptorum
„bonorum, una demum cum Capitali summa Inscriptionali tem-
„pore redemptionis, eisdem hæredibus vel Legatarijs Rakozianis
„utriusque sexûs universis, simul & semel exolvi & deponi debe-
„bit. Denique cùm bona illa Claustralia, & Ecclesiastica sint, vo-
„lumus omnino, ut quantum pia temporis, rerúmque ratio
„suggerit & admittit, ipse Paulus Rakozi, cultum divinum &
„Religionem Catholicam, in eisdem bonis Lechnizensibus, dili-
„genter promovere, illámque in usum & exercitium primævum
„reducere solicitè semper intendat & enitatur. Assumentes ni-

„hilominus in nos & Sereniſſimum Principem Ferdinandum „Tertium filium noſtrum chariſſimum, cæterosque ſucceſſores „noſtros legitimos utpote Hungariæ Reges, quòd memoratum „Paulum Rakozi vitâ illius durante ſemper, decedenti verò ipſo „illius hæredes & poſteritates, ſed & Legatarios ejuſdem utriúſ-„que ſexûs univerſos infra tempus redemptionis in quieto & pa-„cifico ſæpè dicti Clauſtri Lechniz pertinentiarúmque ſuarum „quarumlibet Dominio, contra quoslibet Legitimos Impetito-„res, Cauſidicos & Actores, proprijs noſtris & Fiſci noſtri Re-„gij ſumptibus, laboribus & impenſis tuebimur, defendemus & „conſervabimus. Imò annuimus, concedimus, inſcribimus, aſ-„ſecuramúſque & aſſumimus, harum noſtrarum Secreto Sigillo „noſtro, quo ùt Rex Hungariæ utimur inpendenti communita-„rum rigore & Teſtimonio Literarum. Datum in Civitate no-„ſtra Vienna Auſtriæ, die trigeſima Menſis Decembris, Anno Do-„mini 1621. Regnorum noſtrorum, &c. Unde nos humillima „ipſius Fratris ſupplicantis & conſequenter totius Ordinis Car-„thuſianorum ſupplicatione exauditâ clementer & admiſsâ, præ-„ſcriptas literas in dicto Archivo præmentionatæ Cancellariæ „noſtræ Aulicæ Hungaricæ, requiſitas & reinventas de verbo ad „verbum ſinè diminutione & augmento aliquali tranſumi & „tranſcribi, præſentibúſque Literis noſtris inſeri & inſcribi facien-„tes, eidem Ordini Jurium ſuorum futuram ad Cautelam neceſſa-„rias extradendas duximus & concedendas, Communi ſuaden-„ti Juſtitiâ, Harum noſtrarum vigore & Teſtimonio Literarum „medianti. Datum in Civitate noſtra Viennæ Auſtriæ die vige-„ſima Menſis Junij Anno Domini 1675.

Leopoldus.

(L. S.)

Thomas Palffi Epiſc. Nitrienſis.

Stephanus Orban.

§. XII.

§. XII.

Epistola Capituli Generalis ad Maximilianum Archi-Ducem Austriæ, Ordinis Teutonici supremum Magistrum.

Frater Bruno humilis Prior Almæ Carthusiæ & totius Sacri Ordinis Carthusiensis Generalis Magister, alijque Capituli Generalis Diffinitores, sedente eodem Capitulo Generali Anni M. DC. XVIII. dicant, dedicant, vovéntque omnium plausu, mente, vocéque Reverendissimo Serenissimo Principi & Domino, Domino Maximiliano Archi-Duci Austriæ, &c. omnem Sacri Ordinis Carthusiani ex asse Religiosorum operum valorem, favorésque, gratiásque, & quidquid idem Ordo solatiorum cælestium quotidie à bono Deo promeretur (qui est dives in omnes) ad totum plenâ pronáque manu humiliter eidem Reverendissimo & Serenissimo Archi-Duci Maximiliano offert: addítque coronidis loco (quoniam nihil pretiosius in arca habet) perpetuum Anniversarium in omni domo dicti Ordinis Sacris diptychis consignandum, causæ effusi amoris sunt multiplices, radicatæ ac valde pretiosæ. Reverendissimus & Serenissimus Maximilianus totus ab ineunte ætate affectibus Carthusianis studuit, & quos olim à lacte suxit ab ætate probavit. Tantus Monarcha, sub ignoto palliolo, nostrum rubefecit (imò & obstupefecit) Capitulum Generale. Domum Snalcensem ruentem propè sustentavit. Domos alias nostras exornavit, toti Sacro Ordini nostro, multis gratijs ac favoribus gratiosissimè succurrit. Demum ut Domos erigeret Domino, non luteas, sed argenteas, duplices hoc anno, per manus Venerabili Patris Prioris Maurbacensis nobis præsentatas, regiâ sanè manu, egregiè adornavit. Faxit magnus ille bonorum retributor, vel hoc remigio precum nostrarum, ut Anniversario supradicto in triginta adhuc annos, ulteriúsque procrastinato, vivat Reverendissimus & Serenissimus Maximilianus noster ad totius Ecclesiæ emolumentum, Domûs Austriacæ nobilissimum augmentum, Sacri Ordinis nostri solatium unicum, æternùm, æternùm!

Ita testamur omnes, & obsignamus sanctè sedente Capitulo Generali M. DC. XVIII. XIV. Maij.

Longè ante hunc Maximilianum Archi-Ducem Augustissimus Cæsar Maximilianus nominis hujus primus maximo amore prosequebatur Carthusianos, erátque à Confessionibus Sacris Georgius Reisch J. V. D. Carthusiæ Friburgensis in Brisgoia Prior: qui demum à morituro Cæsare examinati corporis ejus componendi curam accepit, cùm nollet ab alio Maximilianus, quàm qui

Regiæ conſcientiæ receſſus omnes noverat, etiam corpus mortuum, quâ erat pudicitiâ, contrectari.

Albertus IV. Archi-Dux Auſtriæ adeò Pietati addictus, imò dicatus deditusq; erat, ut paſſim Monachus Carthuſianusq; audiret, cui uſitatum ac prorſus volupe fuit cum fratribus nocturnæ ſynaxi vigilijſque intereſſe, Pſalmodico concentu Deo laudes promere, lectionéſque Matutini Officij, prolixas illas cum Carthuſianis legere.

Cùm Anglia ſub Rege Henrico VIII. in ſchiſma incidiſſet, Carthuſiani, præcipuè Londinenſes, ob conſtantem Religionis Orthodoxæ profeſſionem vario genere mortis exſtincti ſunt, quidam Regno pulſi, dum ſe in Domum Mechlinienſem recepiſſent, ijs Auguſtiſſima & Sereniſſima Domus Hiſpano-Auſtriaca de neceſſarijs annuatim providit.

Pro coronide affectûs Auſtriacæ Pietatis in Carthuſianos ſuperaddo expreſſiſſima verba Voti à Carolo II. Rege Hiſpaniarum & Indiarum emiſſi Anno 1686. die 10. Novembris.

Promitto Deo, me præſtiturum Ordini Patrum Carthuſianorum omnem protectionem, quam Pater Generalis cum conſilio Sapientiorum Superiorum cenſebit ſibi eſſe neceſſariam ad reſtaurandam ſive conſervandam in Carthuſijs intra meos ſtatus ſitis antiquam obſervantiam Regularem juxta ſua ſtatuta & ordinationes, quæ dedit & dat adhuc tantam gloriam Deo & Sanctæ Eccleſiæ in omnibus locis, ubi ſtrictè ſervatur.

Quod hæc ita ſe habeant, teſtatur Frater Leo le Waſſeur Scriba Reverendiſſimi Patris Generalis de dato è Carthuſia 23. Aprilis 1687.

CAPUT IV.

Bella Ottonis Ducis Auſtriæ, & inter arma multiplex Pietas.

Bellū Ottonis primum. *Annal. Boicæ gentis Adlzreiter Parte II. pag. 43.*

PRimum bellum Ottonis mortuo Friderico fratre fuit cum Ludovico Bavaro, ad quod excitavit ipſum Joannes XXII. Papa addicto quinquaginta millium florenorum ad belli ſumptus ſtipendio, & pollicitus præterea nullum ſe Germaniæ Epiſcopum, niſi ex voluntate Ottonis daturum. His promiſſis perſuaſus Otto Ludovico in Italia commorante civitatem Colmariam cingebat obſidione. Hoc ubi Imperator inaudijt, in Germaniam, ut Ottoni reſiſteret, redijt: Imperatori redeunti Joannes Rex Bohemiæ, qui eo tempore ad Henricum Carinthiæ Ducem, ut matrimonium

monium inter filium suum Joannem, & Margaritam illius filiam conciliaret, proficiscebatur, obviam venit, qui postea Cæsarem inter & Ottonem arbitrum egit, & controversias ità composuit, ut Imperator Colmariam quidem haberet, ipse autem Ottoni pro expensis belli 20000. aureorum enumeraret. Ludovicus consensit, & in securitatem Ottoni quatuor civitates: Schafhausen, Rheinfelden, Neoburgum, & Brisacum oppignoravit. *Gerard. de Rhoo lib. 3. Hist. Austr.*

Fuit postmodum etiam Ottoni bellum cum Joanne Rege Bohemiæ. Ludovicus enim Bavarus Imperator cum Germanis Principibus Norimbergæ collocutus, gravissimè de Joanne Rege queri cepit: quòd jura Imperatoris in Italia convelleret, Urbes Imperio adscriptas turbaret, oppugnaret, munus non sibi debitum usurparet; ergo multis pollicitationibus (atque inter alia Vicariatu Imperij promisso, quod postea non præstitit) Ottonem Austriæ Ducem eò denique perpulit, ut vocatis Polonis & Ungaris Joanni Regi bellum indiceret; ita sperabat Ludovicus se alieno periculo consulturum suo, & otiosè velut ex edito & munito loco spectaturum Principes (quorum potentiam ipse timebat, suspectámque etiam exemplis habuerat) inter se concurrentes; simul & illud consequebatur, ut cum Rex Joannes domi negotium haberet, aliena trans Alpes in Italia deserere cogeretur. Otto Austriæ Dux, numerosissimo exercitu collecto (nam soli Ungari & Poloni auxiliares quinquaginta armatorum millia conficiebant, ex ijs Ungari tria millia galeati, Austriaci verò mille octingenti gravis armaturæ, cæterorum Austriacorum XX. millia numerabantur) Anno 1331. bellum facere exorsus est. Joannes Rex mille quingentos cataphractos, levioris armaturæ viginti millia (sed veteranorum millium) numerabat, in hostem nihilominus ducere non dubitavit, præcipuè quòd in dies augeretur exercitus: vincere se credebat Rex Joannes, si modò sua adversùs tantam hostium multitudinem tutari posset. Verùm cùm Otto Danubium transire cunctatur, tempus rebus gerendis opportunum effluxit, & auxiliares copiæ tædio victæ abiêrunt. Rex Joannes hoc comperto, citeriorem Austriam invasit, multáque loca occupavit; quæ sequenti anno 1332. negligentiâ Præfectorum, & cæso ex insidijs Bohemorum & Moravorum ab Austriacis exercitu amisit. Pax secuta est & conjugio firmata, cùm Otto Annam Joannis Regis filiam accepit uxorem, & ipsi Joanni Elisabetha Friderici Ducis Austriæ filia desponsata est, si modò Papa consanguinitatis veniam facere vellet. Sed Elisabetha ante nuptias

Bellū Ottonis secundum. Epitome rerum Bohemiæ in Joan. Rege.

Utriúsque partis Exercitus. Ab utraque parte gesta.

Pax.

nuptias obijt, Maurbaci apud parentem sepulta. Inter hos belli strepitus minimè Pietatis oblitus est Otto: nam cum fratre Alberto sollicitè in id incubuit, ut templum Divi Augustini cum Cænobio, quod Frater Fridericus de eorundem consensu Viennæ Anno 1327. ædificare cœpit, perficeretur. Par solicitudo circa S. Georgij sacellum. Non solùm in his eluxit Pietas & liberalitas Ottonis, sed in pluribus alijs sacris domicilijs. Reddebat enim ab anno præcipuè 1333. suis donativis cultiora per Austriam Styriámque Cœnobia: Baumgartenbergense, Engelhartszellense, Zwethallense, Voraunense, Judenbergense. Prosecutus est etiam pluribus donativis Cœnobium S. Claræ Viennæ, cujus memoriam celebrem facit insequens annus (a) per ingressum Annæ filiæ Friderici Pulchri Cæsaris.

Otton. inter arma Pietas.

(a) 1334.

CAPUT V.

Syllabus personarum ex Domo Habspurgo-Austriaca, quæ S. Claræ institutum amplexæ sunt, vel habitum induerunt & in numero Tertij Ordinis censentur.

Anna filia Friderici Pulchri fit Clarissa.

Lucas Wadingus in Annalibus Minorum.

PRimum sibi vendicat locum nominata cum parente suo Anna, de qua lubet Lucam Wadingum in Annalibus Minorum audire: Fridericus, inquit, Dux Austriæ, filius Cæsaris Alberti I. cognomine dictus *Pulcher*, duas sortitus conjuges Isabellam scilicet filiam Ducis Geldriæ, quæ ante celebratas nuptias mortua est, Elisabetham pôst Jacobi Minoris Aragonum Regis filiam uxorem duxit, ex qua tres liberos genuit Fridericum, Elisabetham & Annam, quæ Poloniæ Regem primùm sortita conjugem; sed postquam naturæ concessit Joanni Carinthiæ Duci nupsit, quæ jam fato functo, Monialis tandem effecta est Viennæ ad S. Clarã in Austria. Hæc Wadingus, cui, utpotè Scriptori sui celeberrimi Ordinis, major fides adhibenda præ illis, qui solummodò volunt anno 1334. Annam pro absolvendo Cœnobio certam summam pecuniæ numerâsse, & posteriùs, nimirum anno 1345. cum XXVI. Virginibus Nobilibus, quas in aula sua alebat, & ad omnem pietatem erudiebat, ingressam. Ad mortem usque, utì Libro primo Capite XV. scripsimus, austeram vitam egit, & cum magna integritatis, & sanctitatis fama decessit.

Catharina filia Alberti II. Duc. Austr.

Ibidem Catharina filia Alberti II. Ducis Austriæ contemptis mundi

mundi illecebris cælibatûs ſtudioſiſſima monialis, & ante mortem multis annis Abbatiſſa effecta. His nonnullis adnumerat Catharinam filiam Leopoldi probi. Item Catharina fil. Leopoldi probi.

Quartam profeſſione Clariſſam reperio ſororem Margaritam de Cruce Maximiliani II. Cæſaris filiam, ejus vitam Hiſpanico idiomate fusè conſcripſit Joannes de Paula Margaritæ Confeſſarius, & totius Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Definitor Generalis, tranſtulit eandem in idioma Germanicum, neſcio quis, cujus initiales literæ ſolummodò leguntur P. W. V. G. Nos ipſam ſuccinctè per paragraphos dabimus ex libro, cui titulus eſt: *Speculum Virtutum* authore Antonio Stöckler Ordinis S. Franciſci Reformatorum Commiſſario Regij Monaſterij Monialium S. Claræ Viennæ Germanicè edito. Margarita filia Maximiliani II. Cæſ.

§. I.

Nativitas Margaritæ.

DUm ſub fortunatiſſimo Auguſtiſſimæ Domûs Habſpurgo-Auſtriacæ regimine uterque lætaretur orbis, divinæ placuit providentiæ eandem illuſtrare per ortum novi ſideris, naſcente ex Auguſtiſſimo Imperatore Maximiliano II. & Maria Infante Hiſpaniæ conthorali Archi-Duce Margaritâ, nepte Auguſtiſſimorum Imperatorum Caroli V. & Ferdinandi I. fratrum, quæ Majeſtatem ſæculi, quam Natalium supereminentia, corporis & animi donorum multitudo ac raritas largè promittebant, ſpretis quæ offerebantur Regijs nuptijs, à teneris adhuc annis magnanimiter contemnens auguſta palatia ad cellæ anguſtias reduxit, piè Religioſarum Monialium ſub regula S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ Ordine amplexo, in quo non minùs pœnitens, quàm innocens uſque ad ſenectam per quinquaginta annos decertavit, ſuo lucidè demonſtrans exemplo, Auſtriacorum proprium eſſe non ſolùm fidem ore confiteri, ac manu forti tueri, verùm factis & pietate prælucere mundo. Nata hæc anno Chriſti 1567. Viennæ in feſto Converſionis S. Pauli in Sacro lavacro baptiſmali Margaritæ nomen ſortita deinceps in Confirmatione continuavit. Quæ olim futura eſſet, prognoſticare voluit liberaliùs Auguſtiſſimæ Matris in eam præ quibusvis alijs prolibus, in educando ſedula cæteroquin, impenſa ſolicitudo, quæ in tenera hacce tabula pietatem futuram ſubſecuturæ ætatis delineabat, quam eſto mollis ceræ inſtar reciperet, firmiùs tamen quàm Nativitas Margaritæ.

marmor aut metallum sculpturam retinebat; ut pio Matris studio correspondendo concertare pietate ipsa cum ea videretur. Dum enim animum diversura Imperatrix joci gratiâ interrogangando filiæ mentem exploraret, quis locus deligendus foret Monasteria Monialium suggerere consueverat, quod annuente matre adepta, centrum attigisse visa se cum vestalibus occludens spiritualia colloquia commiscebat, pia exercitia meditando investigabat, spiritualiter afflictis aut tentatis piè compati sciebat. Domi ubi Præfecturarum oculus, etiam virtutis probandæ gratiâ, accidisset infractior, pietatem parentalem silentio aut modesto responso exprimebat.

Pietatis indicia.

Aulam si inspexeris, à qua pietas exulare consuevit, nonnisi paribus associabatur & contra aspernentes patrocinabatur, piè curiosa scire, quibus exercitijs & instrumentis aliæ pietatem excolerent, quæ etiam, esto corpori inepta, spolium reputabat sibi charissimum, inter quorum unius, videlicet cinguli ex acutis filis usus paucis quidem diebus tegi quærebat, sed mutatâ teneritudine prodente anxios aliunde fallere non poterat. Unde quanquam de his amoliendis studiũ alijs curáque esset, superabat tamen novus, etiam in argenteis armillis, innocens brachium ad sanguinem mortificandi astus. Pro strato etiam asseres, ubi alias uti vidit, hisce cedere nolens stragula vilia à cistis detracta frequentiùs adhibebat, usque dum detectis ejus inde causatis vulneribus & apostematibus, ab opere quidem corpus, sed non animum coercendi alij occasionem nanciscerentur.

§. II.

Obedientia erga parentes, patientia in adversis, Misericordia in pauperes, & amor Dei.

OBedientiam ejus in agendo imperatam cœcam dixisse quis poterat, ego verò Argum dixerim, dum quæ facienda perspicere circumstantiarum ratio dictare aut suspicari poterat, ultronea exequebatur, & ubi magnanimitas cedebat, persistebat invicta, cujus eximiam probam exhibuit. Periculosum malum, quo in pedibus laborabat, anxios fecerat parentes, & solicitos medicos esse crudeles; verùm quantumcúnque dura imperata fuisset cura, levis ei erat, eo quòd nutus Augustissimi D. Parentis esse probaretur. Trochlea & ferreæ vertebræ, quibus tenerrimi pedes extendebantur, defectum, quem Deus dubio procul ad proban-

Obedientia & patientia.

probandam virtutem permiserat, supplere debebant. Compassio ipsum Cæsarem commoverat, Præfectam & astantes monuerat triste spectaculum ad suggerendum altos gemitus, suspiria & clamores, ut à cœpto desisteretur; sed se ipsâ fortior modestè reponebat: Mandatum Domini Parentis est, & sufficit mihi, horum voluntas mihi data, à Deo est regulam actionum mearum.

Has incomparabiles Patientiæ, magnanimæ, & humilis Obedientiæ virtutes desponsavit Misericordiæ in pauperes: indultas hebdomodales pecunias in pauperes infantes & Sacerdotes, quos sabbathinis diebus ad divinas laudes convocare solita erat, dispendebat, quod medium antequam habuisset, nunc partem jentaculi, nunc totum his consecrare non tam recreationem, quàm vitam reputabat, alios ad hoc ipsum pietatis opus impellens. Si collationes aliæ instituebantur, ad instantiam ejus, cujusvis erat partem seponere per institutas ad id mulierculas distribuendam pauperibus. In natalibus prolium Augustissimæ Majestatis Imperatrix in usu habebat secundùm annorum numerum, uno ratione ingressi anni superaddito, pauperum Aulicorum infantes tractare, & vestire, quibus Archiducissæ ministrabant pietatis exercitijs assuescentes. Consimilem diem festivum ducens gestiendo anhelabat, totámque se in obsequium pauperum effundebat. Pietatem, quam à teneris hauserat, adolescens continuabat asylum & refugium facta afflictorum, quibus si quandóque succurrere denegatum esset, patronam agebat apud alios pro illis sollicitando. Cui charitati proximi conjunctus erat amor Dei, huic uni vivebat, & horas recreationis consecrabat. Dum Augustissima pro more ad hortos & deliciosas sylvas recreationi gynicæo destinaret, pauca illa momenta Archiducissa Deo dicabat non solita inhærere pulchritudini exteriori creaturarum, nisi ut eorum creatorem cognosceret, ac alias consodales ad id delectas ad majorem Dei amorem excitaret.

Misericordia in pauperes.

Amor Dei.

§. II.

Resolutio ad amplectendum statum Religiosum.

IN hoc virtutum studio decertantem Archi-Ducissam commune malum unà cum Augustissima Matre adversis exponere videbatur, mors, inquam, Maximiliani Imperatoris, jam antè ejusdem filio Rudolpho in Regem Romanorum electo, Ratisbonæ in Comitijs Anno 1576. vitâ defuncti. Improvisus hic casus Impera-

Resolvit se ad statum Religiosum.

Imperátricem viduam, & Archiducissam nonum annum agentem fecit pupillam, si sæculum spectes, desolatam. Quæri poterat: utra earum plus perdidisset; verùm casus, qui omnia desiderabilia ab Imperatrice proscripsisse dici poterat, ardentissimi desiderij adipiscendi portas Archiducissæ aperuit; videbat enim repagula, quibus à statu Religioso avelli poterat, sublata, imò exequendi proposita occasionem natam sibi præsentari. Imperatrix námque emortuo Imperatore abdicato sæculi fastu recenti adhuc exemplo Invictissimi Domini Parentis Caroli V. Imperatoris ducta, ac maturâ deliberatione præviâ resolvit in Monasterio Pragæ, aut Viennæ à se fundando vitam privatam ac Religiosam ducere; verùm deinceps ad aures ejus delatâ famâ, quòd soror ejus Joanna Infans Hispaniæ Conventũ Monialiũ Ordinis S. Francisci strictioris Observantiæ Madriti fundâsset, divulgatus harum servarum Dei in Divinis pietatis fervor, ac observantiæ rigor à nobilissimis quibusvis observatus, concurrentibus amore Patriæ, sororis ac Philippi Regis Hispaniæ fratris sui *præsentiâ* vicit ac persuasit non obstantibus quibuscúnque in oppositum propositis, & in rem ac propositum ejusdem suggestis Hispaniam petere patriam, ad solitariam vitam ad Dei Gloriam in ea ducendam. Hoc ipsum post tot nubila Phœbus erat Margaritæ, quem promovebat mors sororis Archi-Ducissæ Eleonoræ tunc incidens, quæ remorari ejus iter potuisset, unde undiquáque se ab impedimentis exutam videns non dubitabat palàm resolutionem suam profiteri, ac collactaneis aulicis, quas ejusdem secum propositi noverat, procinctæ ut sint, jubere. Quod propositum quanquam studerent fratres & Patrui Carolus & Ferdinandus Archi-Duces, ipsam etiam sororem Elisabetham, quæ post mortem Caroli IX. Regis Galliæ facta vidua oblatis à Philippo II. Rege Hispaniarum sponsalibus spretis, Clarissarum erexerat Viennæ Monasterium, ac Religiosam vitam ducere meditabatur, trahentes in societatem evertere allaborarent, nihil tamen proficiebant in expugnanda Margaritæ constantia. Hæc tandem scopum suum attigisse lætabatur, dum año 1580. 15. Augusti ex Metropoli Boëmiæ & tunc temporis Residentia Imperiali discedentem Augustissimam Matrem comitari licuit, ac Eleemosinariam agere, quod Charitatis officium tanto exequebatur officiosiùs, quanto ei erat connaturalius. Si forenses pauperes deesse contingebat, designatas Eleemosinas in domesticos famulos elargiebatur, dicentibus hunc illumve non egentem esse solita reponere: *Si pauper modò non est, egere*

In Hispaniam proficiscitur.

egere posthac potest, pauper proinde nunc est, quia famulando panem in sudore vultûs sui lucrari debet. Superfluum, quod dives prodigit, pauper deflet deesse suæ necessitati. Quàm ardens in amore divino fuerit satìs expressit, dum decimum quartum ætatis annum vix supergressa arrepto cultello pectus aperuit, & effluente sanguine pro atramento usa chartam hac inscriptione nobilitavit:

Per sanguinem hunc cordis mei me offero, & consecro Salvatori & Redemptori meo Jesu Christo in Sponsam, & supplico suæ amantissimæ Matri Mariæ, ut mediatrix & advocatrix in hoc esse velit. In cujus fidem me subscribo.

Margarita.

Ubi per statum Mediolanensem pertransiens consilium cum S. Carolo Borromæo, qui tunc temporis ibidem Archi-Episcopum agebat & sanctitatis opinionem cum Purpura Cardinalitia conjunxerat, super vocatione sua, pióque proposito communicâsset, è portu Genuensi cum Regijs Sicilianis & Neapolitanis galeris solvit, verùm in sinu Lugdunensi propè Massiliam (vulgo Golfo de Lion) tempestatem subijt sævissimam, in qua inter mortis umbras se non minùs fortem, quàm piam probavit, alias, quas consternaverat tempestas, serenitate vultûs ac consolatorijs, absolutissimam in Deum fiduciam spirantibus animando. Hispaniam jam pede premens, ac Regium Monasterium ingressa, securissimum felicitatis portum adeptam, ipsas fortunatas Insulas suavitate superantem, se existimabat, ibidem quasi naturali in centro acquietura. Verùm ex improviso sæviori tempestate jactari cœpit: fatalis enim febris Principem Didacum Infantem Hispaniæ è vivis extrahens Regnum desolabatur, ut Philippus II. in Infante Philippo sexenni, cui Corporis debilitas non diuturnam minabatur vitam, non satìs firmam fore successionem præsumeret. Unde Margaritam, quæ non laborabat nisi per exercitia spiritualia futura sponsa Christi in Religioso Claustro placere, ac pro corona in cœlo accipienda animum excolere, ob raras animi dotes deprædicatam in Conjugem desponsare statuit. Oppugnabatur hinc Margaritæ animus non solùm à quibusvis Ministris utriúsque statûs, quàm ab ipsis domesticis, quorum animus erat ab ipsa probatus; Proponebatur Regius splendor, utilitas Regnorum Augustissimæ Domûs sperata stabilitas, boni publici necessitas, arietabat non leve argumentum etiam in Regia purpura virtutes exerceri posse, quas in monastico habitu quærebat, non pugnare ornatum corporis cum cultu animi, utpote qui animam

Tempestate maris fortiter subit.

Regias nuptias aversatur.

mam coram oculis Dei, ille verè corpus oculis hominum commendaret, cujus irrefragabilia exempla præbuiſſent plurimæ Reginæ, quas celebrâſſet vitæ ſanctitas Majeſtati Regiæ conjuncta, ſæpiùs viſum eſſe idem caput coronâ aureâ & ſpineâ redimitum. Si crux quærenda ſit, ſub Regia purpura etiam cruces latere, ſceptrum manu geſtum abundè humeros gravare, bene in unà ſede morari Imperium & virtutem. Immota hìc ſtetit Margaritæ pietas, flecti aut cedere neſcia, in his anguſtijs ab importunis Oratoribus ſeipſam ſubducens, ad orationem lacrymis comitantibus converſa totam ſe effundebat, ita Deum amore ejus æſtuans interpellando: Poſsibiléne eſt, amantiſsime Jesu, ut à te abjicias me! anima mea anhelat ad te, & repellis me! in quo deliquit in te cor meum, quod te unicum deperit, & colit? in quo offendit te anima mea, quæ totam ſe tibi devovit? Cur non probas hanc vitam, quam omni horâ amori tuo conſecrare parata ſum? Ovem perditam tantâ ſolicitudine quæſiſti, & in humeris miſericordiæ portabas ad gregem tuum; & nunc requirentem *Te* reprimis, & permittis, ut ſequens te tales tentationes & obices *remo*ráſque patiatur. Cur terrenas coronas quærerem, quamdiu te Rege meo potiri ac frui poſſum? Non alias coronas, quàm Te adorare cupio, imperium meum ſit tibi ſervire. Dum inter haſce procellas fluctuaret, non deerat importunior, qui conſilio minas incautus adderet, unde ſe undique afflictam continuò videns, piè impatiens finem imponere decernit; dimiſsis námque oculis facie erubeſcens ad pedes Auguſtiſsimæ Matris coram Sanctiſsimo Venerabili orantis in genua ſe devolvit ac amoris æſtu, plura inter ſuſpiria ac gemitus intercidente perorat: *Non latet ſuam Majeſtatem, qualiter ſemper deſideraverim Clariſſam in hac Eccleſia agere. Hoc animo ex Patria cum ſua Majeſtate huc veni, ut Deo, cujus hactenus devota ſponſa ſum, me conſecrarem; ſupplico proinde, ut clementer humillimis precibus annuendo diem ſtatuere dignetur, quo habitum adipiſci poſſim. Hoc & nullo alio modo anguſtijs occurrentibus obviare, ac à doloroſa incertitudine vocationis, cor meum corrodente, exſolvere poſſum.* Vicerunt hæ preces Imperatricis animum, & ipsâ promovente Regem flexerunt, ut à ſollicitandis ſponſalibus deſiſteretur, convenientius tamen eſſe cenſebat, ut Imperatricis ad exemplum Imperialis ac Regia Principiſſa nativam Majeſtatem per clauſuram Religioſam moderaret ac limitaret, neutiquam verò conducere, ut voto emiſſo ſupprimeret ac extirparet, quanto námque magìs Eccleſiæ ædificationi & admirationi totius orbis

foret

foret felix Margaritæ resolutio, eo majori, si teneritudinẽ ejusdem cedere contingeret observantiæ Regularis rigori, Religionem apud acatholicos contemptui, & risui, apud Catholicos verò censuris inevitabilibus exposita esset. Quapropter Rex manu propriâ ad varias tunc in Hispania à Virtutibus, Sapientia & Sanctitate claras personas datis literis Margaritæ causam scrutabatur, à quibus omnibus ac singulis, quod mirum est, una remeabat sententia, dictans resolutioni Margaritæ insistendum esse. Unde cùm beneplacitum ab Imperiali & Regia Majestatibus, monentibus de miserijs occurrere solitis, accepisset, acceptâ genibus flexis, quam expetierat, benedictione valedixit, & coram Sanctissimo Sacramento, quas supprimebat lingua præ excessivo gaudio, in lacrymarum torrentes effusa gratias Deo reddebat, diem spiritualis investituræ vigesimam quintam Januarij, quâ decimum septimum ætatis annum complebat, gestiens præstolabatur.

§. IV.

Investitura Margaritæ, Novitiatus & Professio Regularis.

ILlucescente jam præfixâ die, Regio ex mandato, omnibus ad pompam excogitabilibus præparatis, Rex cum Regio Principe, duabus Infantibus Archi-Ducissis Isabella & Catharina stipatus, se ad Monasterium & cubiculum Imperatricis confert, experimentum facturus: an splendidus aspectus divitiarum, quas jam amissura erat, animum commoveret aut vacillare faceret, sed dum constantiam in proposito viderent, Rex impertitâ ei benedictione progredi demandavit. Sacrificio Missæ & benedictione habitûs absolutis, ad pedes Abbatissæ Margarita genibus flexa, crucem manibus gestans habitum petebat, quo promisso adamantina Corona tollebatur, cæterum ditissimum Regiúmque habitum ipsi, veriùs dixeris, abjicienti, quàm deponenti; ut omnes in admirationem etiam raperet, pro quo non minore fervore, reverentiâ ac Magnanimitate habitum S. Claræ, qui in nihilo ab aliarum Religiosarum differebat, accipiebat, auream Cæsariem manu propria Abbatissæ ad abscindendum præbens, ac Regijs Majestatibus & Infantibus dato manûs osculo Valedicens ad Claustralia septa deducitur, summâ Majestate cum humilitate, Regia Dignitate cum Paupertate, Throno cum contemptu, Imperio cum obedientia commutatis. In Clarissam transformata Archi-Ducissa primis

Induit habitum.

mis diebus diſſimulando admiſerat ab Abbatiſſa ac ſororibus nonnullos honores ac reverentias, ſpe ducta poſt octiduum primum fore miſſos, unde de harum continuatione ſuppliciter querebatur. Sed audire debuit, *ex officio ei mandari, ut his ſine oppoſitione pareat.* Supplicaverat pariter quidem Imperatrici, ut procuraret abolitionem horum, pro majori humilitatis ſuæ ſtudio, verùm Abbatiſſa ſoror Franciſci de Borgia, nata Duciſſa Gandenſis eam ex adverſo non ſolùm in exterioribus & in alijs ut Archi-Duciſſam tractabat, bene edocta currente anno novitiatûs probare animum exercendo vel maximè in his, ubi ſenſualitas regnare poterat, nulli namque manuductionem confidens ipſamet Magiſtra Archi-Duciſſa non aſſuetis honoribus humiliabat, nunc contemptam habendo ad lydium lapidem ducebat, improperando: quòd non valeret pro ſtatu Religioſo, nimis teneram ad uſum Clauſtralem ineptam, quæque conceſſa deſtruere, indiéſque deteriorari. Archiduciſſa verò omnia vera eſſe de ſe affirmans patientiam modicam exorabat, recognoſceret námque ſe, quos labores ſuperioribus cauſaret. Obſtupeſcens Abbatiſſa humilitatem proſequebatur, contemptas operas ac labores, ſcopis expurgationem domûs, lotionem & quidquid eſt ſimilium injungendo, animo eradicandi, ſi quid vanitatis adhuc ineſſet, verùm deceptam ſe experiebatur, quoniam Archi-Duciſſa ſummum gaudium hæc reputabat. Superveniebat quandóque Imperatrix Margaritâ hujuſmodi functionibus occupatâ, rata præſentiâ ſuâ eidem ruborem excuſſuram, ſed immobilem inveniebat, ſemper ædificata reverſa, ſi Archi-Duciſſam ſupellectilem mundantem, abſtergente eandē Abbatiſsâ reperiſſet. In interiori perfectione inſtructa, videlicet artem orandi meditandíque ad admirationem Monialium facilis capiebat non ſolùm, verùm etiam altâ mente repoſitâ exercebat. Diem conformiter cæteris Religioſis demandatis ac communibus impendebat, Pietatem in Choro, ſilentium in Clauſtro, modeſtiam horis ſucceſſivis, temperantiam in penuario ſummè ſibi habens commendatam; à laboribus nunquam ſe abſentabat, omnibus feliciter ei ſuccedentibus. Cæterùm totam diem, ſi pauculum excipias tempus, quod Imperatricis ſervitijs impendebat, in pietatis operibus conſumebat.

Novitiatus.

Non poterat tam citò labi hic annus, quin longus ei appareret, dulcis tamen ejus obveniebat exitus, quòd Cœleſti Sponſo æternùm maneret obſtricta, pro quo ſe ſummâ humilitate & fervore maximo diſponere ſtudebat, nunc alias ſolicitans ad orandum

dum pro ſe, nunc interrogans, quibus operibus gratiam Deſponſationis eſſent aſſecuti. Quem fervorem multùm accendebat Abbatiſſa inculcando, ut meditaretur arduitatem operis. Præ omnibus affligebat Archi-Duciſſam Conſtantia ejus in dubium vocata, quam tamen exprobratam patienter ferebat,& fortiter propugnabat, ducens pro nihilo abnegationem mundi, ut quæ multas relinqueret incommoditates ſinè ſublevamine, adverſitates ſinè ſolatio, pericula ſinè adjutorio, infortunia ſinè medio, perplexitates ſinè exitu, labores ſinè fine: in hac enim vita conſiſterent omnia in momentaneo gaudio, falſa proſperitate, affectata ſatiſfactione, incerta ſpe, aſſecuratione fallaci. Dictu difficile eſt, quàm magnanimiter ferebat in Religione, quod mundus abhorret, nullum genus pœnitentiæ omittens; vires corporis utpote exceſſura fuiſſet, niſi Magiſtræ prudentia moderâſſet. Anno ad finem decurrente jam ſe aſſecuranti de profeſſione facienda recrudeſcit prœlium, dum recantatur à Legato Cæſareo, alijſque miniſtris proſperitatem domûs Auſtriacæ conceſsâ Religione Archi-Duciſſæ prohibere emiſſionem votorum, ob negotia Imperialia & Regia neceſſariò obſervanda. Verùm hac in acie exercitata, reponebat nihil ſe retracturum in hoc mundo à propoſito, nec ipſam quidem ſeparationem à matre, quâ ſuper omnia nihil doloroſius accidere poſſet. Unde continuando exercitia, apud ſingulas in forma, quam ipſa humilitas dictare poterat, exorabat vota, quibus obtentis omnia jura in regna & ditiones reſignavit, coram Archi-Epiſcopo Toletano arduitatem Religionis adhuc proponente reſolutiſſimo animo conteſtans. Verùm dum jam illuxiſſet dies Purificationis B. V. deſtinata Profeſſioni, remoras eidem injiciebat abſentia Regis, quæ patientiam propè ſuperâſſet, unde ad preces interveniente Imperatrice 25. dies Martij, quâ S.R. Eccleſia Incarnationem Chriſti celebrat, à Rege Catholico deſignavit.

Interea adveniebat à Gregorio XIII. Pontifice breve Apoſtolicũ, per quod ab obſervantia Regulæ abſolvebatur intuitu debilitatis corporis, declarabátque Pontifex ſe non acceptare vota ejus, niſi ad debilitatis menſurã attemperarentur. Quàm moderationem ex reſpectu ſuæ Sanctitatis ratam habuit ſe manuductioni Abbatiſſæ ſubmittendo, utpote quæ in contingentijs leges ſecundùm cujuſvis neceſſitatem attemperare poſſet. Accedente proinde conſenſu Regis comparere perſonaliter impediti, in præſentia Imperatricis, plurimorum, Magnatum, prævia admoni- **Breve Apoſtolicum acceptat.**

Hhhhh tione

tione gravi ab Abbatiſſa exceptâ, conteſtans ſe Crucis memoriam ſemper coluiſſe, filiámque Crucis eſſe, per ſanctam Crucem Cœlo renatam & Redemptam, velle proinde Margaritam de Cruce vocari, ad profeſſionem admiſſa eſt, voto ſuæ ad manus Abbatiſſæ depoſito.

§. V.

Ordo vitæ Archi-Ducissæ post Professionem.

Obſervat Regulam.

UT nautæ in portûs littore pedem figentes pericula ſe deviciſſe judicant, ſic Profeſſione peractâ quaſi in portu poſitam ac extra pericula incertæ vocationis ſe judicans, non niſi perfectionis aſſecutionem meditans ab ijs incipere allaborabat, ubi alij generoſi animi pedem ſiſtere conſueverunt, totâ ſcilicet ſui abnegatione, ut non in ſe, ſed Deum in ea dominari vellet. Altera ejus cura erat obſervantia Regulæ & ſtatutorum: reputabat enim exercitia virtutum non in profundis altíſque Theoricis ruminationibus, ſed in praxi conſiſtere, unde primâ poſt emiſſa vota die, Regulam S. Claræ cum delucidationibus votorum in charta compendioſè enucleatam manu propriâ exprimebat, quam quinquaginta annis monaſticæ vitæ ſedulò ſecum geſtando recolebat ac relegendo religioſum ſcopum ſibi præfigebat, ac continua memoria ex opere exhibere ſtudebat cum ſummo ejuſdem in virtutibus ac perfectione progreſſu. Summum gaudium reputabat, cum ſe conformare alijs ei liceret, unicum verò reſentiebat, cum ob debilitatem juſſu ſuperiorum moderamen imponeretur. Omnes actiones ad recollectionem Divinæ præſentiæ formabat, nunquam corpus exterioribus ſubdendo, quin ſimul anima fructum meteret, ex uno actu duplicem faciendo proventum. In mandatis exequendis ſibi impoſitis nunquam gravatam ſe exhibuit, prompta etiam, ſi debilitas admiſiſſet, ad onera totius communitatis portanda, qua ratione obſequium æſtimabat, ſi onera alterius portare ei concedebatur, ſolita in conſororibus non creaturas, ſed Creatorem ipſum venerari, ſicut enim in omnibus præſentiam Dei recolebat, ſic in omnibus pariter recognoſcebat. Hujuſmodi paſſibus progrediendo omnibus, quæ mundus fortunam aut adverſitates vocat exuta in Deo ut centro ſuo requieſcebat, dicere ſolita: quòd Deus pro vanitate relicta omnia deſiderabilia repoſuiſſet. Obedientiam cœcam exprimebat, dicens: *Deus ſuperioribus meis mandat, & illi mihi, quibus cum obſequor, voci Dei pareo.* Quam dum ſtudiosè exequebatur, nihil ſibi durius

Superioribus obedit.

acci-

accidere existimabat, quàm se non admissam ad communem alijs disciplinarum & mortificationum asperitatem, humillimis precibus ardenter expetitam; verùm in hac spirituali lucta, inter mortificationum attemperamentum, obtinebat cognitionem suæ putatitiæ indignitatis & impotentiæ, quæ pariebat summum sui contemptum conjunctum cum æstimatione aliarum Monialium portantium pondus diei & æstus, ipsâ itâ superioribus mandantibus deſidente & abstractâ. Quapropter denegata sororum studia & exercitia domestica externa, promptissima cæteroquin obsequi, interno affectu & animo exequebatur, sciens inde lucrum facere; in ijs verò, quæ superiorum authoritas ei indulgebat, accuratissima, abstractarum virtutum exercitia recompensare, ac possibili perfectione supplere allaborabat; quanquam omne tempus cultui animæ studiosè impenderet.

§. VI.

Prosecutio ulterior vitæ & recusatio Abbatiæ.

INter alia motiva, quæ eam à strictiori observantia statutorum & consuetudinum accidentalium ordinis absolvebant, non minimum erat infirma, fractáque valetudo maximè ex continuo catharro pectorali, à juventute usque ad mortem eam affligente, quæ proinde causabat, ut ei addi debuerit soror, nè mortificationibus in se durior esset, quam, licèt sibi molestâ, patienter obedientiæ ductu ferebat. Dum hoc morbi genere actualiter afficeretur, consilio medicorum vespere, noctúque à cella abesse divinis intenta prohibebatur, & spiritualibus discursibus compensabat, solita id temporis, quo aliæ Matutino absolvendo in Choro occupabantur, orationibus impendere ad clepsydam sororum pergendo ad Chorum & redeundo cellam sub gradibus sitam pedibus necessariò conculcantium, quem sonitum impotentiâ suâ demeruisse profitebatur. Quantum anhelabat in omnibus, salvo corporis statu, par esse, optimè probabat attritus, ac lacer habitus, ejusque sæpè repetitâ repeciatione refectio: quam visam cùm Archi-Dux Albertus Prorex Lusitaniæ, Madritum ad gubernacula Belgij evocatus (quem aliàs in voto Claustrali Patronum senserat) reprobaret ut Archi Duce indignam, paupertatis advocata defendebat sic Archi Ducem summa cum ædificatione allocuta: *Hæc Paupertas parit æternas divitias, Deus lætatur eo, quod mundus irridet. Egestas mea longis parasangis à Paupertate Salvatoris mei distat, ejus humilitas*

A Choro abstracta Deo servit.

Habitu vili delectatur.

 si

si imitanda est, excelsi natales animum subire non debent: hæ pietia sunt cimelia mea, paupertas est acquietatio corporis ac animæ gaudium. Quo minùs in hac vita obtinetur, in æterna plus possidebitur, &c. Quâ perfectione commotæ Moniales concluserant Archi-Ducissam Abbatissæ in casu mortis sufficere, verùm tantùm à Regimine aversa, quantùm aliæ subesse oderunt, pro viribus reluctabatur, Sedis Apostolicæ Oraculo ac suffragio implorato, quod facilè obtentum hìc annecto:

Abbatissæ officium recusabat.

Clemens P. P. VIII.

Dilecta in Christo filia! salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum sicut nobis exponi fecisti, tu pro majori animi quiete, & ut commodiùs spiritualibus vacare possis, à dignitate & Munere Abbatissæ istius Monasterij animum prorsus alienum habeas, verùm quia Abbatissa adversâ valetudine laborat, tu dubites, nè illâ decedente, dilectæ in Christo Filiæ Moniales ejusdem Monasterij te in earum Abbatissam, sicut plures ipsâ Abbatissâ periculoso morbo laborante facere cogitârunt, eligant, cuperes propterea super hoc tibi per nos benignè indulgeri: Nos te ob tuam pietatem & religionem, specialibus favoribus & gratijs prosequi volentes, dicti Monasterij Monialibus in virtute sanctæ obedientiæ, per præsentes præcipimus & mandamus, nè succedente quandocúnque obitu dictæ Abbatissæ, te invitam in earum Abbatissam eligere quoquo modo præsumant, & nihilominùs, si secus facere ausæ fuerint, hujusmodi Electionem nullam & irritam fore, téque illam liberè recusare posse decernimus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem Monasterij, & illius Ordinis, & juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterísque contrarijs quibuscúnque. Datum Romæ, &c.

§.

Clausuræ observantia.

Quanquam facta omnium abnegatio Margaritam in Claustro immunitatem sponderet, armatâ tamen quasi manu eam obruere videbatur diversorum sibi summè sanguine conjunctorum mors, quam ex hoc vel maximè resentiebat, quòd hinc Imperatricem matrem suam variè angustijs expositam videret. Primas hìc ferebat Archi-Dux Ernestus Gubernator Belgij, in quo spem maximam Archi-Ducalis Domûs, dum Desponsatio cum

Mors Ernesti Archi-Duc.

cum Isabella Infante peragi deberet, Parca succidit Bruxellis Anno 1595. ætatis 42. Quem subsecuta Archi-Ducissa Elisabeth relicta vidua Caroli IX. Regis Galliæ, diem suum in Monasterio Viennensi à se fundato obiens. Cedere pariter humanis est coactus Rex Hispaniarum Philippus II. in Monasterio S. Laurentij in Escuriali, Anno 1599. ætatis 71. cujus Regium animum probavit invicta Patientia, & Constantia inter acerbissimos dolores, quos conjurata turma morborum causabat.

Archiducissæ Elisabeth.

Regis Cathol. Philippi II.

Tandem paucis post annis finem vitæ imponere censebatur febris calida Imperatrici Mariæ, cui mors non tam amara accidere poterat, quàm quòd pauca residua momenta in absentia suæ dilectæ filiæ Margaritæ ducere, & inter amplexus ejus, ut semper desideraverat, finire non posset; quoniam non plus ab Archi-Ducissa, quàm à quavis alia Moniali præstari poterat, siquidem Cubiculum, in quo decumbebat, estò Monasterio conjunctum uno cum eo tecto complecteretur, Clausuræ tamen limites excedebat. Crescebat tamen, per præsentiam religiosæ famulæ Dei desiderium, & amplexum concepta spes alleviationis morborum. Quo ut frui posset, Brevi Apostolico (quo absolvebatur à strictioribus Regulæ punctis) servire placuit nonnullis literatioribus ad persuadendum Archi-Ducissæ: licere in obsequium Matris hunc exitum, quem & ipsam approbaturam censebant. Verùm exitus contrarium probavit, plus enim consternavit hoc propositum, quàm desperatus Imperatricis Matris status. *Qui*, inquiebat, *ut infringam Clausuram, cui me semel pro semper devovi? Pesne in mundum figendus quem æternùm abnegavi? flectamne fidem Deo datam? Citiùs moriendum, quàm hocce patrandum est! Deus præstat Dominæ Matri meæ. Mundo patet me eam diligere & colere, ita ut actiones meæ à suspicione ingratitudinis & inobedientiæ me absolvant. Breve complectatur, quòd libet, scio ego me in punctis principalibus Regulæ, uti hic exitus est, eam non acceptâsse; pedem proinde extra Claustrum non figam, casu, si mater me non visâ obeat, Deo nascituram inde mihi afflictionem & tristitiam offero.*

Imperatrix Maria præsentiā filiæ exoptat.

Clausura egredi recusat.

Ad flectendum proinde animum visum est consultum, ut termini Clausuræ extenderentur, cubicula infirmæ Imperatricis includendo. Acceptatúmque est ab ea, sed hac conditione: ut ad firmandum seriò hanc extensionem fieri, non ipsa sola sed Abbatissa una cum reliquis Monialibus eò se conferrent; sicuti omnibus, exceptis Medicis, paucis mulierculis, Confessario, & CæsareoLegato, loco cedere jussis, exterioribus portis obmuratis,

omnes moniales eò se contulerunt, ipsâ Archi-Ducissâ ita votum observante, ut omnium ultima esse voluerit, ad assecurationem sui, quòd seriò & absque omni prætextu hæc extensio facta fuerit.

Agonizanti assistit. Ut hocce modo ad Imperatricem venit, in genua provoluta benedictionem petit, & ab ea deinceps nunquam recedens officio Angeli Custodis perfungebatur, Corporis ac animæ saluti intenta, nec vilissimæ famulæ operam administrare renuebat, sed quantumcunque erat corporis studium, longè superabat animæ: studiosè enim ac cum fœnore reddebat, quod toto vitæ tempore ab ea didicerat. Unde munita Sacramentis inter virtutum Fidei, Spei, ac Charitatis actus, à Margarita acceptâ Cruce, in manibus eam sustinentibus piam animam suo reddebat Salvatori hilari vultu, oculísque in cœlum elevatis. Hosce claudere nitebatur quædam præsentium sæcularium, sed deliquium patiebatur, unde occasionem nacta Archi-Ducissa dicebat: *hoc mei officij est, & Providentiæ Dei opus, quòd hoc ultimum Charitatis officium ei præstem.* Eadem horâ mortis videlicet horâ quartâ matutinâ supra tectum cubiculi agonizantis coruscans igneus globus apparuit, dubio procul index posthumus sanctitatis, quam in vivis Imperatrix expresserat.

Matris defunctæ oculos claudit.

§. VIII.

Constantia ejus inflexibilis.

Solicitatur ejus reditus in Viennam.

MOrs Imperatricis absolverat Margaritam à necessitate eidem; sed Deo intimiùs inserviendi occasionem subministravit, verùm non leve negotium facessebat solicitudo Imperatoris Rudolphi, ac cæterorum lineæ Domûs Germano-Austriacæ Archi-Ducum, statuentium Dominam sororem suam, ab exteris Hispaniæ oris in nativum solum Viennam ad Monasterium Regium transportare per quemquam ex Archi-Ducibus in Hispaniam destinandum, quod propositum literis ad Regem & Reginam datis urgebant, Legato desuper possibilia apud Archi-Ducissam movente, à quo facilè se extricavit, eo quòd à Regijs Majestatibus Catholicis non probaretur.

Arduum autem magìs accidit, quòd à Consilio Regio Catholico Regi persuaderetur indignum & indecorum esse Regiæ Majestati, quòd Imperialis hic sanguis illi tantum conjunctus inter Claustralia septa, vulgo comparatus delitesceret ad vilipendium ac contemptum propemodum Regij throni, danda proinde ei esset

esset specialis aula, à qua cubicula inhabitata ab Imperatrice incolerentur pro majori respectu, & servitijs præstandis tam in, quàm extra Claustrum. Informatus desuper Imperator, & Germanica Archi-Ducalis Domus Legato demandabant, ut allaboraret disponere Margaritam ad aulam acceptandam, & exterorum Regum & Principum Legatis, uti & Magnatibus Regni loco convenienti publicam audientiam concedendam.

Importunitatibus hujuscemodi jam assueta patientibus auribus ingratum excipiebat nuntium, constantiámque invincibilem suam exprimebat dicens: *Mira videri hæc proposita. Dignitatem Principissæ Imperialis & Archi-Ducalis uti & mundum ideo se resignâsse, ut veram Religiosam profiteretur, hac verò methodo, nec piscem nec carnem, nec sæcularem, nec Religiosam, nec Monialem nec Archi-Ducissam futuram. Sufficientibus lachrymis se à mundi impedimentis redemisse; nunc vero oporteret sine necessitate, aut periculo se eisdem intricare. Monasterium se elegisse non ut sibi serviretur, sed serviret. Publicas audientias cum Religione non componi, nec ungue proinde à Regula retrocedendum, parcendúmque sibi, si Deo magìs, quàm suis Majestatibus & respectivè consanguineis pareret.* Legatus cum contra hæc excipere ac reponere meditaretur, ad confessarium remissus est, qui dum cum cooperantibus plurimis alijs nihil proficeret, Abbatissæ subsidium, ut quæ imperare poterat, adhibitum tandem tantum effecit: ut in ejus & Confessarij præsentia se resolveret his conditionibus. Servitia sibi intra septa Claustri præstanda, utpote quæ Regulæ prorsus contrariarentur, neutiquam admittenda, si enim præstarentur intuitu authoritatis, jam se hanc abdicâsse, si pro commoditate majori, non se has ut quæreret, sed fugeret & pateretur, Monasterium ingressam esse, pro proprio interesse his non indigere paupertatem professam. Pro sanitate ejus majori non prodesse, siquidem in casu necessitatis sibi satìs provisum de Charitativo Consororum consueto ministerio. Aulicos piè defunctæ Imperatricis relictos quantum concerneret, pro innata Archi-Ducalis Domûs Clementia concessuram se, ut hæc fidelis dilectæ Matris familia (utpote è qua multi Germaniam patriam deseruissent) nè patrocinio destituta sit, ut nomine servorum sui gaudere possit, usque dum ulteriorem fortunam assequatur, quam tamen maturè quærere obligaretur, ut autem decedentium defectus per novos reparetur, neutiquam se permissuram. Cùm prætendatur regiam cognationem pro meliori bono Ecclesiæ eam obligare ad quandam cum Catholica Rege com-

Ægræ Aulica suscipit.

communicationem in negotijs publicis, in hoc ſe mandato Sedis Apoſtolicæ ſubjicere, excepturam etiam audientias Legatorum à Regibus & Chriſtianis Principibus ſubmiſſorum, ſed nonniſi in Choro, & per feneſtrellam latam & altam quadrante ulnæ, quæ Monialibus ad ſacram ſynaxim excipiendam ſubſerviebat.

§. IX.

Pietas in Cognatos, munditiæ amor, & Patientia.

Pro defunctis orat.

QUòd proximos cognatos & intimè agnatos ſupervixiſſe, certum ſit antecedens imò doloroſum conſequens, ſuo demonſtravit exemplo Margarita, conſueta mortis ſpicula ſentire, quoties vita cognati defungebantur: à tempore námque ſui ex Germania diſceſsûs plures, quàm viginti ſex Imperiali Regia, & Archi-Ducali dignitate conſpicui ex Auguſtiſſima Domo diem ſuum obiêrunt, in hoc felices, quòd ſuperſtitem tam piam relinquebant Archi-Duciſſam, quæ hæreditatis ſuæ non minimam *aſſem* reputabat ſolicitè officium Charitatis in defunctos *cognatos* exercere, quod vivorum ſaluti ſtudioſè impendebat: imprimíſque Catholicus Rex Philippus III. ſibi profuiſſe ſenſit. Statuerat hic Anno 1619. in Luſitaniam, ita Regni ſtatu urgente, proficiſci, Margarita econtrà Cœlo inter aſſiduas preces ac lachrymas conſulto, interiori motu firmata de adverſis impendentibus monere non deſiſtebat, nec vanè, vix enim Rex Caſſarubiam moverat, de vita ex morbo periclitatur, fuſis autem Margaritæ & ad ejus exemplum totius Regni precibus ſanitati reſtituitur. Rex Madritum redux negotijs Regni inſtat, illa precibus pro ſalute Regis & Regni neceſſitatibus inſiſtit, ſemper autem ſubeuntibus mortis cogitationibus futuram præſagit mortem, unde hunc Regem per occaſionem diſcurſuum ad rem accomodatorum mortalitatis frequentiùs monet, mox ad quæſtionem Regis, reſpondens mortem ei intra anni ſpatium impendere aſſecurat. Pauci vix elabuntur menſes, Rex viribus deficit, & morbo fractus piæ Monitrici recommendans agonem, ſuo reddidit animam Creatori.

Regem de adverſitatibus monet.

Regi mortem prædicit.

Probabatur Margaritæ virtus cœlo, ſed mundi ordinariè cenſentis quævis fortuita adverſa demeritas eſſe pœnas delictorum, cenſuræ exponitur. Naturaliter afficiebatur munditiei ſtudio, lætabatur autem unicè munditie Altarium & paramentorum, utpote in qua ſponſi reverentia coleretur, & hujuſcemodi ſtudio quis negabit

Munditiā amat in ſacris.

gabit titulum meriti, veruntamẽ Margarita interiùs magis illustrata ad creaturas sensum trahi conspiciebat,& in summa consolatione sentiens desolationem,non leviter secum luctabatur in solo Deo quiescere quærens. Quapropter ad Deum refugiens se ipsam accusans in hunc modum. *Perij*, inquiebat, *Domine Deus*, *nisi adsis dextrâ tuâ*, *sit etiam cum plena jactura oculorum meorum! quid prosunt hi*, *si per eos lumen animæ meæ obtenebratur? si hoc adsit*, *ad quid his indigeo? Claude*, *ô Domine*, *has fenestras*, *nè oblectamentum aliud*,*quàm quod à te est*, *penetret in cor meum. Averte & libera me ab his latronibus*, *qui quærunt me spoliare amore tuo.* Nec contentabatur sæpiùs summo fervore has preces repetere, sed aliarum preces insuper requirebat, ut mortificationem sensuum plenam impetraret. Post multorum annorum certamen anno ætatis ejus quinquagesimo quarto defluxionibus oculorum, nullas earum causas Medicis comprehendentibus, laborare cœpit, ac ingravescente malo, exteriori oculorum lumine ptopemodum privata se exauditam à Deo,& à binis hostibus suis juxta desiderium liberatam reputabat. Remedia & curam, quam Regiæ personæ & moniales persuadere nitebantur, recusabat dicens: *Confidite sorores*, *quòd Deus me sic habere velit*, *sinite me*, *ùti sum*, *præstat cum hac miseria nihil mundi videre*, *quàm sine ea quoad animam cœcutire.* Cum autem superiorum, de acceptando Medicorum consilio, mandatum subterfugere non posset, *Agedum*, ajebat, *cùm mea hoc requirat obligatio*, *in nomine Domini*, *quanquam secura sim medicinas nil profuturas*, *quàm ut patiar*, *& minus videam. Deus confortabit & patientiam largietur. Non scandalizemini sorores*, *si inter dolorum magnitudinem humana mea infirmitas apparuerit.*

Malos oculos accipit.

Curam subit.

Ab infusione fortissimarum & corrosivarum aquarum cœpta cura tantos causabat dolores,ut non malè cum martyrio ob vehementiam comparari possent, toto námque corpore tremens usu sensuum destituebatur, quapropter rogabat circumstantes, ut ab omnipotente Deo patientiã impetrarent, nullâ alia ex ore ejus querimoniâ auditâ. Post viginti dierum curam exantlatam ubi se nec lumen cœli videre reperit; *Benedictus*, ajebat, *sit Deus*, *cujus voluntati me resignavi*; *hic visum dedit mihi & iterum abstulit.* Post aliquot dies levamen sensit, spémque visûs recipiendi concipiebat, sed incidens nova defluxio cœcitati tumorem superaddidit, Margaritæ solùm occasione relictâ abnegationem sui repetendi,& inter continuos dolores acerbissimos patientiam exercendi, quæ admirationem apud omnes pareret; ex submissione tamen mi-

Ejus patientia.

nima ei videbatur, quæ virtutes aliarum permagni, ſuas vero nihili facere, ac pro imperfectione reputare ſolebat, ſolùm conquerens, quòd alijs monialibus & vel maximè ſibi ſervientibus curas ac dolores cauſaret.

Pro ſalute interim decernitur experiri manualem operam opthalmiſtæ, qui pelliculam, quâ pupilla obducta fuerat acu tolleret. Hæc cura nullatenus illi, nec duabus perſonis Sanctitate celebribus probabatur, hæ námque deſuper conſultæ, quanquàm nulla de alia ſciret, cœlitus edoctæ unanimiter reſponderunt: Margaritam Dei decreto cœcam permanſuram. Attamen illi ſe ſubjecit dicens: *Parata ſum obedientem me exhibere, verùm aut multùm fallor, aut cœca remanebo.* Siquidem in felici uſu curæ ſubitò patiens viſum recipere conſuevit, hinc ex oppoſito ſui Margarita imaginem naſcentis Jeſu in ulnis B. Virginis collocari voluit, ut hic ſaltem ſub primum ejus caderet obtuitum, ſubnectens: *ſi ſpe fruſtramur, in altero mundo eundem promiſſum volo.* Quantùmvis expertiſſimâ Chirurgi manu pellicula ſublata fuiſſet, nihil tamen lucis ſenſit, ac de viſu deſperatâ cauſâ cum patiente *Job edixit: Sit nomen Domini Bendictum.* Ad Moniales mœrorem & compaſſionem tegere non valentes converſa ait: *Ecce amicæ meæ, ubi dominatur Divina voluntas, non prodeſt humana induſtria ac ſagacitas. Duplicem ex cura tamen tuli fructum: ex obedientia nonnihil pati, & notitiam beneplaciti Divini, quòd ſine externo lumine oculorum meorum eſſe debeam*, imo beneficium ſibi in hoc profitebatur dicendo: *quoniam nullus ſenſuum externorum mihi moleſtior fuit viſu, placuit Deo ab hoc me liberare. Omnia ſunt in manu ejus, & ſi reliquos tollere placet, læto corde reddam. Deprecemini autem apud Dominum ut pro ſua miſericordia, ſi ipſi ita non diſplicet, non ſubtrahat à me cognitionem ſuam & amorem ſui, ſi ſecus viſum eſt in oculis ejus, ecce ſum in manu ejus.* Quam reſignationem & patientiam uſque in mortem continuavit, ut nè cogitatio impatientiæ animum ſubijſſe videretur.

§. X.

Fervor Fidei, Spei & Charitatis.

QUanquam præmemorata plurimos indicaverint heroicorum virtutum actus, hìc tamen cæterorum potiſſimas baſes attigiſſe liceat in ea ad vivum reluceſcentes: Fidem, Spem & Charitatem.

Fervorem Fidei cum lacte hauſerat à Margarita Matre

Catholico Rege progenita, unde in ipso primo flore ætatis dolens sanguinem Principum & Comitum hæresi contaminari ac infectum periclitari de salute, cum coætaneis, quæ illam aut sorores recreandi causa adducebantur, fervidos adeo de fide discursus commiscere consueverat, ut innatam humanitatem quandóque seposuisse videretur. Qui zelus fidei cum ætate crevit, ut mirum fuerit auditis pœnis Martyrum, eam lacrymis verba permiscentem, & ex fiducia in Dei potentiam audire exclamantem: *O felices cruciatus, qui in tanta gaudia converti meruerunt! ô benedicta corpora, quæ animabus tantas coronas comparârunt! utinam concessum sit his annumerari, qui sanguinem suum pro Deo fuderunt! quàm lubens meum contribuerem, confido námque fragilitatem meam à Dei omnipotentiâ esse adjuvandam.* Favor Fidei.

Desiderium in virtute fidei ut accresceret, pariter protestationem fidei à Carolo V. indies dici consuetam recitabat, quam in utriúsque gloriam lubeat hìc expressisse:

Protestatio fidei Caroli V. Imperatoris.

„MI benedicte Domine Deus. Credo firmiter, & ex toto „corde omnia & singula, quæ S.R. Catholica Ecclesia ma- Protestatio fidei Caroli V.
„ter nostra credit, & credenda proponit, & quivis verè Christia-
„nus credere tenetur. Protestor quòd statuam in hac fide vivere &
„mori. Te cognosco Deum meum, Creatorem & Redemptorem
„mundi, & me tuam esse creaturam & servum tuum. Fidem præ-
„sto tibi pro corpore & anima, quam commendâsti mihi. O
„Misericordissime Domine, tibi trado & consecro omne, quod in
„me est, & possum, sive spirituale sive temporale & corporale illud
„sit, quidquid possideo, possedi, & in futurum acquisiturus sum
„hìc & in altera vita. Laudo, & tibi gratias ago & pro tributo & in
„signum hujus meæ cognitionis, mane & Vesperi adoro te, & pro-
„fiteor Divinitatem tuam, viva fide, spe firma, & Charitate per-
„fecta. Tibi, ô Domine, supplico, digneris misericorditer respice-
„re infirmitatem meam & dimittere commissa & delicta mea,
„gratiâ tuâ me adjuves ad tibi debitè serviendum, adimplendum
„mandata tua, & omnia peccata vitandum, finaliter tandem in
„hora mortis meæ tua bonitas assistat mihi, ut memor merito-
„rum Passionis & mortis tuæ, verè contritus de peccatis meis in
„Fide tua moriar, ac in te æternùm vivam. O Deus & Creator
„mi, quæso, remitte & dele omnia peccata mea, quibus ab instan-
„ti, quo peccare potui, hucúsque cogitatione, verbo, & opere de-

 liqui

„liqui. Amoré tui ea detestor, doleo offendisse te, ac protestor, „quòd tua gratia adjutus, ab hoc momento omnia peccata vitabo, te exoro ut me protegere, & in hoc proposito conservare „digneris. Domine Deus, appromitto quòd secundùm legem „præceptorum tuorum & Ecclesiæ tuæ pro viribus utar Sacramento Pœnitentiæ. In rememoratione acerbissimæ Passionis & „amaræ Mortis tuæ & per intercessionem benedictæ Matris tuæ „quæso, pro Clementia tua dimitte peccata mea,& in hora mortis meæ ab inimico me Creaturam tuam custodire,& in æternam „salutem transferre velis, Amen.

Ubi de persecutionibus fidei, & eam profitentium quid percepisset, quasi præsens adfuisset, deplorabat miserum persecutorum statum, pro quibus preces sororum expetebat. Qui pietatis fervor ad alias quasvis injurias inDeum factas extendebatur. Infelix quidam, quia technis diaboli deceptus corpus & animam chirographo transcripserat, carceres, & condignas pœnas subire coactus est. Cujus indignitate commota, zelánsque honorem „Dei,ad Crucifixi imaginem procidens confugit sic effata: O De„us ! possibilenè est, Christianus ut sit, qui te abnegat? Christia„nus ! qui alteri quàm tuæ bonitati se consecrat,& relictoRedem„ptore Capitali suo hosti adhæret? hæccine est merces amaræ „mortis & effusi sanguinis tui,quo hanc animam redemisti? non „sufficit ergo in passione subita ignominia, ut hujusmodi adhuc „quotidie subjaceas? forsan peccata mea etiam contribuunt & „causârunt hocce scelus? quo satisfaciam Misericordiæ tuæ, quo „Justitiam tuam placabo? sanguine cordis mei cogitationes meas „signabo,cum seductus suas atramento contestatus sit,justum est, „sanguine tuo cum redemeris, meus te confiteatur. Sic amore æstuans in cella sua arrepto cultro pectus vulnerat, & sequenti scripto se Christo in contestationem fidei consignat:

„Ego Soror Margarita de Cruce dedico Deo ex toto corde „corpus & animam meam & repeto mea religiosa vota emissa, „Divinæ voluntati unicæ me subjiciens. In fidem hujus proprij „nominis subscriptione hasce munivi.

Soror Margarita de Cruce.

Et hancce schedam pedibus Christi substernit.

Spei fervor.

Virtutem Spei in quanto perfectionis gradu expresserit, testatur familiaris ei cum S. Bonaventura vox: *O spes cœli, quàm benedicta es tu, quantum per te speratur, tantum obtinetur.* In omnibus occa-

occasionibus & casibus dubijs temporis morâ exigentibus, maximo omnium solatio unicum suspirabat: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Et quanquam in casibus hujus vitæ rarum esset alijs exemplum; in materia tamen salutis specialiter prælu„cebat sæpè effata: Sorores meæ, confido in Deo meo, quòd per „Misericordiam ejus certa sim de salute, & assecuro, quòd in corde „meo tam firmam spem sentiam, ut nec liceat mihi eam in du„bium trahere: merita enim ejus extinguunt peccata mea, & mise„ricordia tegit iniquitatem meam. Prævideo quidem me tempo„rali pœnâ negligentias meas expiaturā, verùm quòd benignissi„mum Deum non sim visura, mihi persuadere nequaquā possum.

Charitatis tantus erat fervor, ut confessariorum fuerit judicium eam ab ea nunquam excidisse, quem æstum in alios diffundere studebat ad sorores dicens: *Quisquis laborat & patitur variè ut amet; amemus nos ut amore Dei patiamur. Castigant & mortificant alij corpus, ut amorem assequantur; ab eo, ubi alij desinunt, initium cupiamus, & amemus, ut media hujusmodi in praxim redigamus.* Et cùm nihil ageret, quod amore Dei non regularetur, sic Deum in proximo sibi proponebat, consueta se suáque proximo postponere, in senioribus annos, in junioribus humilitatem, in pueris innocentiam, in adolescentibus gravitatem venerari. Notârunt qui circa eam versabantur, nunquam aliorum defectus traduxisse, sed semper tegere conatam fuisse, sermones, quibus aliorum perstringebatur infirmitas, summè detestando, ubi enim siccitatis à quadam liberioris linguæ argueretur: *Quì,* reponebat, *in his, quæ ad contemptum proximi collimant, & defectus detegunt, oblectamentum sentiam? supprimere, aut si possibile foret, corde meo tegere vellem, nè proximus desoletur.* Charitatis fervor.

Cùm ob ultimæ curæ infelicem successum Chirurgum desolatum persensisset: consolando eum plus ejus causam, quàm suam resentire dixit, ac largam recompensam ei procuravit. Ubi quis ob duplicem in mittenda vena errorem rejiciendus censeretur, alium vocari non permisit: *Avertat,* inquiens, *Deus, ut mei causa hic quid patiatur, aut in diffidentiam de sua habilitate incidat, cum incertum sit, in quo culpa fuerit.* Protinúsque ictum tertium felici successu ab eodem admisit.

Tametsi liberalem in pauperes & in necessitate constitutos se exhiberet, clausurâ tamen impediente, quòd minús desiderio succurrere posset, Charitas animum ejus ita sororibus conjunxit, ut nec impendens dormitorij ruina, nec conflagratio monasterij

ardentibus vicinis domibus separari potuerit, paratam vivere & mori cum eisdem.

§. XI.

Obedientia, Castitas & Paupertas.

Obedientia. SIcut obedientia parens est Religiosæ vitæ, sic Margarita se meritò genuinam probavit obedientiæ filiam, utpote quæ tota ab ore Abbatissæ cæterorúmque superiorum jussu ita pendebat, ut nihil inciperet, nihilque ageret, nisi requisitâ eorum voluntate Horum mandata ut voces Dei excipiebat, ac nominare solebat datos à Deo viæ ductores pro hacce peregrinatione, jussa autem ad amussim adimplebat, & si quæ denegari contigisset, Deo obedientiam offerebat asserens: *Non privabo me lucro, quod Deus mihi obtulit, sed per meritum obedientiæ augebo, & prætiosius reddam.* Quod obedientiæ studium etiam ad necessarios Medicinarum usus extendebat, recusans medicinam sumere, quam prævia obedientia non inaurâsset. Ut ejus beneplacito aut ad libitum quidquam permitteretur, pro desolatione ducebat terminos à superioribus præfigi exorans. Divitias námque maximas æstimabat, si nec velle proprium in minimo possedisset, totam suam in Dei voluntatem refundens; quem in finem piam Rosarium orandi methodum invenerat in omnes diei ac noctis horas distinctum, per modum jaculatoriæ orationis addendo: *fiat Domine voluntas tua, sicut in cœlo & in terra, sicut vis, sicut scis mihi necessarium esse in tempore & æternitate.*

Castitas. Utrum inter Virgines necdum Canonizatas Margaritam Castitate quæpiam antecelluerit, dubitârunt Confessarij, & qui Conscientiam ejus moderabantur, attestantes eam nè toto vitæ tempore tentationem expertam esse, cum tamen sanctissimorum paucis hic stimulus defuerit; quod certè pro singulari gratia æstimandum est, & censendum ei obtigisse in recompensationem suæ Deo consecratæ Virginitatis. Oculi, gestus, exteriórque actio ita Castitatem loquebantur, ut hanc alijs communicare & transfundere videretur. Erga sanctos, qui immaculatam Virginitatem ad Chorum Divini Agni attulerunt, summè devota studiosis ejusdem summè afficiebatur, uti econtra amicas & familiares, quas contra ejus exspectationem & judicium matrimonium inire contingebat, à teneris annis deflebat ut defunctas.

Quanquam discursus indecentes, esto necessitas & bonum proximi exigebat, molestissimè ferret, in perstringendis arguen-

díſque ſuſpectis aulicis, ſuppreſſo vitij nomine ità acris erat, ut convincerentur ediſſere: pauca Margaritæ verba plus operata eſſe quàm Conciones plurimæ effeciſſent.

Paupertatem tot lacrymis quæſitam, tot laboribus partam ſat expreſſerit attritus Clariſſarum habitus, ſi hac tegi dixero Maximiliani Imperatoris & Mariæ Imperatricis filiam, Sororem duorum Imperatorum, & potentiſſimarum Reginarum totius Chriſtianitatis, neptem trium Regum Hiſpaniæ. Pro palatio elegerat hæc cellam longam ſeptem, latam quatuor, altam tribus ulnis, ſitam ſub gradibus, omni ornatu denudatam, hanc Dominarum maxima incolebat, omni ſuppellectile, ſi candelabrum cum vaſe pro aqua benedicta excipias ærea, ſummâ omnium cum admiratione & ædificatione. Cum ipſa cœcitas addixiſſet ejus neceſſarijs ſervitijs unam alterámne ſororem Monialem, non levem afflictionem ſentiebat, pro poſſibilitate parciùs eiſdem utebatur, exorando eas humillimè, ac deprecando cum mille proteſtationibus moleſtias cauſatas. Paupertas.

§. XII.

Humilitas, Mortificatio, Patientia & ſilentium.

HUmilitatem, quam non niſi ad menſuram abnegatæ Majeſtatis commenſurare licet, abundè conteſtabantur memoria ingeſta agnatorum, & reverentiæ quandóque externæ ei in vita exhibitæ. Contra quas, cum ſe exonerare nequiret, ſummè proteſtabatur, utpote quibus, contra juſtitiam & æquitatem ejus voluntas læderetur, unde eas non niſi tempeſtatis nomine compellare dignabatur. Has cùm invita ſubire coacta fuiſſet, ſibi ſoli reddita in terram ore faciéque proſternebatur dicens: *Quæ ego, ô Domine ut honorer? corpus ad corruptionem properans, ventus non niſi tuâ bonitate ſubſiſtens! Tibi ſoli honor & Gloria. Ego non niſi pulvis & cinis coram te, cognoſcat mundus vilitatem meam, & parce ei, ſi creaturam honorat, cùm omnis honor tibi debeatur.*

Si quis virtuoſam ejus reſolutionem ad amplexandum Ordinem efferebat, aut hunc exaltatum per ejus perſonam, ſororéſque propter ejus convictum felices deprædicabat, ſibi præſtita ſervitia & honorem & felicitatis occaſionem eſſe prætendebat; ut cui, cùm niſi alijs obex eſſet & impedimentum, tamen conceſſum eſſet cohabitare, ac vitam, fratribus & ſororibus longè fortioribus defunctis, longiorem ſortiendi occaſionem nanciſci. Intra 50. annos Religionis nè minimum, quod præcedentiam ſonuiſſet,

verbum ab ea auditum, exoptabat totaliter tam apud alios, quàm seipsam extinctam Celsitudinis Natalium memoriam esse. Contemptus sui tantas apud eam egerat radices ut agonem rememorans dicere solita esset: *Spero, quòd per Misericordiam Dei, anima peccata post mortem temporali pœnâ sit expiatura. Corpus meum ad alias sorores in crypta deponatur, nè vermes suo jure priventur*; non enim ferebat: si dicebatur illud ad Chorum penès Imperatricem Matrem fore reponendum.

Inter sorores vel maximè diligebat, quæ putatos defectus ejus, ac superabundantiam divinarum gratiarum exprobrabant, his gratias tanta humilitate referebat, ut etiam ipsæ remanerent confusæ. Dum inter spiritualia colloquia, quibus attendebat solicitè, ut mentem suam exponeret, rogaretur, aut an non haberi pro idiota ac rudi ob silentium suum timeret interrogaretur, seipsam confundens dicebat: „Habilitas mea consistit in eo, quòd „pauca sciam, & frequenter delinquam, unde charitatē requiro ut „erudiar. Sileo ut constet quòd nihil sciam. Silentiū utilis est mortificatio, & spiritualis lima spiritûs & ingenij excolendi: non enim levis labor est, imaginari se quid scire, & occasione datâ tacere.

Mortificatio.

Cum desideriū patiendi vires corporis excederet, necessarium erat moderamen, & revocanda in memoriam corporis debilitas. Cui obviabat dicto S. Pauli: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Specialiter tamen die veneris sibi præ alijs delectum habebat. Quoniam verò homo homini crux esse solet, crucem in socia ab Abbatissa ad instantiam designata quæsivit, quæ non neglexit Margaritā, aliàs dilectam, ex officio exercere in omni charitatis genere, nunc placita subtrahendo, nunc adversa imperando. Cui reverentissimè obediebat, pro solicitudine gratias humillimè referens.

Patientia & silentiū.

Admirabilem ejusdem Patientiam abundè tota hucúsque deducta vita exhibet, tot mortis casibus amicorum, ac cæcitate propriâ distincta, inter quæ non nisi laudes Deo dicebat & abnegationem sui demonstrabat summa cum aliorum ædificatione. Facile conjecturandum est, quòd in vita Religiosa quinquaginta annorum, esto inter perfectionis studiosas ducta, non defuerit occasio reminiscendi doctrinæ Christianæ: *Alter alterius onera portate*; certum tamen est Margaritam nec verbum impatiens ore edidisse. Dum enim à confidentibus rogaretur: eccur non hoc illudve resensisset signo demonstraret, respondebat: *Ut amore Dei quid patiar. Non est in mea potestate non sentire, benè tamen non succumbere sensualitati.* Quapropter si quis ei quid adversitatis creâs-

creâſſet, excuſabat, quòd contra voluntatem hoc accidiſſet, cauſáque reſentiendi non adeſſet.

Silentium cùm utilem mortificationem nominaverit, ſummè eam excolebat, non ſolùm ſtatutis temporibus, ſed etiam particulariter præfixis, & nè in lingua, quam effrœne animal appellabat, delinqueret, ſæpè lapillos ore geſtabat. Silentium

§. XIII.

Devotio erga Nativitatem, & Paſſionem Domini, uti & Sanctiſſimum Venerabile.

VEhementiam Seraphini amoris Margarita in triplici cultu expreſſit, Naſcentis videlicet & Patientis Jeſu, & SS. Evchariſtiæ; & quanquam ex innata humilitate magnitudinem gratiarum coram oculis mundi abſcondere satageret, tamen cùm mentem cogitatio ſubiret, aut diſcurſus de Infantia incideret, affectus attemperare non ſufficiebat, quin non obſtante præſentiâ circumſtantium in amoris lacrymas abiret; differénſque audientes in eundem ſecum affectum pertraheret. Pietas erga Nativitatem.

Teſtatur quidam Confeſſariorum fide dignus, quòd quadam vice in Natali Domini, dum poſt Communionem per feneſtrellam conſvetam animo apprecandi felicia feſta accederet, in profunda ecſtaſi eam repererit, & à non animadvertente ſalutationē ſuam, loco reſponſi non niſi verba plena amoris & Myſterijs de Infantia Domini perceperit; & ubi eam, quod dolebat, turbâſſet, proſecuta in eoſdem diſcurſus redijſſet, donec ſe extricans hiſce & quaſi expergefacta anxiè Confeſſarium rogaverit, nè miraretur, quòd tali die quis extra ſe rapiatur, & quemadmodum ipſa cenſebat, cum infante Jeſu puereſcat. Confeſſarius reſponſo datis, quæ oportuna videbantur, abibat ſeipſum arguens, quòd reſpectu Archi-Duciſſæ tam frigidus in amore Dei eſſet.

Feſtum Nativitatis Domini ſpecialiter ejus devotioni ſerviebat, unde pro more Monaſterij ab initio Decembris ad id ſe diſponebat ſumma cum ædificatione ejus ſtudium notantium. Si infirmitas verò non concedebat, ut Matutino in Choro peragendo adeſſet, imaginem nati Salvatoris de media nocte tam ardentibus verbis amplexatum pectori apprimebat, ut adſtantes in eandem dulcedinem traheret: *Ex nunc*, ajebat, *cum Jeſu meo in ſtabulo morabor, & Virginis Matris indignam ſervam agam ac orabo, ut mihi*

nonnullo tempore dilectum ſuum infantem concedat. Sic inter amoris æſtus, amplexus & pedum oſcula in diverſarum virtutum actus effuſa cum ſuo dilecto delicias ac miras ſuavitates exprimebat, quas cùm aſtantes latere exoptâſſet, ſuæ ſimplicitati & ignorantiæ humilis Virgo adſcribi petijt.

Devotio ad paſſionem Domini.

Nec minor devotionis erat fervor erga myſteria Redemptionis & amariſſimam Paſſionem. In hoc divini ſanguinis mari per ſuaviſſimas ecſtaſes abſorbebatur, maximè ſitim ſuam explere quærens in vulnere cordis Salvatoris. Hìc inſtar turturis figebat tabernaculum, miras gratias ex hoc ſaluberrimo fonte, fortiſſimos amoris impetus, deſideria cum Chriſto patiendi, horrorem peccatorum, donum lacrymarum & multas alias hauriens. Cultum & devotionem erga ſanctiſſimum Venerabile cum ſanguine Auſtriaco hereditaſſe, ac cum Materno lacte hauſiſſe dici poterat, edocta námque Imperatrice Matre Magiſtrâ, im̃enſa ac Sacratiſſima Miſſæ Myſteria, quotidie ipſâ duce à juventute ijſdem aderat, omnes gratias acceptas adſcribebat, inter quas non prætereundum, quòd in infantia *oculos ad Calicem* poſt conſecrationem figens viderit ſæpius ſanguinem Immaculati Agni ebullire quaſi ultra calicem, quod licèt eâ ætate, putans alijs idem eſſe commune, non ſingulare æſtimâſſet, adulta didicit opus fuiſſe manûs Domini ipſam dirigentis in via myſteriorum.

Ad S. Evcharist.

Ex his principijs creverat inexplicabile deſiderium ſeu inſatiabilis fames fruendi Sanctiſſimo Sacramento; perfectio enim humilitatis non concedebat ei, ut ultra conſueta tempora, eſto Confeſſarius & Abbatiſſima non obſtarent, animam ſuam hoc vivo pane Angelorum reficeret; aſt defectum ſupplebat ſpirituali communione, ad quam in firma fide & perfecta Charitate ſe præparabat pro toto poſſe ſuo; *Mi ſponſe*, ajebat, *tu ſcis indigentiam & me te carere non poſſe: tua bonitas me vocat, ſed indignitas retrahit; ſed ecce ad pedes tuos me proſtratam!* Ad realem ſumptionem præparatura nulli excogitabili ſtudio ac ſolicitudini parcebat, conſueta & voluntaria jejunia, diſciplinas, nocturnas vigilias & quidquid invenit pietas, minimè reputabat ſufficere ad dignè præparandum tabernaculum Divino hoſpiti. Nativus & per ſpiritum Religionis excitatus zelus pietatis erga Sanctiſſimum eò aſcenderat, ut dici poſſit cor ejus in meras Seraphinas flammas abijſſe, arſiſſe ſemper, & nunquam conſumptum.

Ad ſpiritualem Communionem præparatio.

§. XIV.

§. XIV.

Meditationes ejus & signa sanctitatis.

NAturalis amor ſolitudinis prodomus erat mentalis Orationis ſeu meditationum, quibus aſſuefacta à teneris manuductrice Imperatrice quos fructus feciſſet, quáſque gratias obtinuiſſet, humilitate tegebat in ore ferens: *Secretum meum mihi.* Ut Religioſiſſimis etiam accidere ſolet, ſic initio progreſſûs in teneris „non caruit adverſitatibus ſic coram Confeſſario conteſtata: Deo „notum eſt, quas ut in oratione perſeverarem, ſubiverim aridita- „tes & deſolationes animi, quas effrœnes evagationes; verùm me „confortatam interiùs ſenſi memor illius: Regnum cælorum vim „patitur, unde colluctante ſenſualitate adversùs ſpiritum divinam „Miſericordiam exoravi: Domine concede vires voluntati meæ, „& hanc tibi conſecrabo. Meditationes.

Introductionem ſuarum meditationum faciens à cognitione ſui & conſideratione vilitatis in affectibus pœnitentiæ, ad ſacratiſſimum Incarnati Verbi humanitatem progreſſa in ipſa Divinitate, ejúſque immenſitate velut abyſſo abſorpta redibat ad lacrymarum vallem, tanto lumine & cognitione æternorum illuſtrata, ut vita hæc momentanea ei inſupportabilis videretur.

Ad exprimendam ut in ſpeculo imaginem Dei, ſummè puritati animi & internæ paci, ſe totam abnegando & divinæ voluntati reſignando ſtudebat. Unde conſcientiæ conſiliarijs de dulcedine conſolationum animæ ſuæ diſſerens concludebat: *Gaudeat & lætetur mundo, cui lubet, ego non requiram à Deo aliam conſolationem quàm hanc.* Qua ut frueretur liberiùs, ſolitudinem quærebat, ut abſtracta à Creaturis inhærere Deo poſſet. Solatia ejuſdem & ſigna ſanctitatis.

Quæ perfectiones, quanquã occultare omni modo ſtuderet, inter convictũ oculatarum ſororum per quinquaginta annos ita latere non poterant, quin quandoq; apparerent. Interrogata à Moniali, an amore aut timore plùs Deo adhæreret? reſpondebat: *Judico me Deum timere, quoniam totum mundum non acciperem, ut divinam offenderẽ Majeſtatem, imò vitam profuſura potiùs ſum ad avertendam minimam offenſam ejus. Fateri tamen cogor me amore Dei duci: eſto in timore & Reverentia ejus perſiſtere me cenſeam: Amor enim fiduciam in dilectum fovet, citiùs animum penetrat, & perducit ad optatum ſcopum. Amor facit ut Deum quæram, & inveniam, amor facit ut ei adhæream & in eo vivam. Amore ejus quandóque feror in eum & in ipſo amo eum & fruor eo. Gaudeo majeſtatis ſublimitate, & recreor ejus pulchritudine*

tudine. Me reperio veluti ebriam in mari attributorum Divinorum, & ſentio ſummas delitias, cùm per cæleſtes choros, præſertim per Beatiſſimam Virginem laudari eum & honorari videam. Et hoc animam meam ditat inæſtimabilibus donis, ut aſſecurari poſſint, quòd dum in immundum vas corporis terreni redeo, reperiam me obligatam ad omne honori ejus, cujus particeps facta ſum, impendendum, ut quod ex neceſſitate hic patior, patienter ſufferam.

Huic conſimile eſt, quod confeſſario cum illa de oratione diſcurrenti dixit: *Certum eſt in patrocinio Sanctorum, utpote ſynceorum & bonorum amicorum ſubſidium, & in commune cum Deo immenſi æternarum divitiarum ſunt theſauri, ita ut qui ſemel has cœleſtes deguſtavit dulcedines, non leve ei ſit ut hoc temporaneum cum gaudio tranſigat. Qui enim præſentia gaviſus Aulicorum cæleſtium, gloriam eorum in gaudio cognovit, ad creaturas verò redire & ſe ipſum portare debet, verè in deſolatione infirmæ animæ ſuæ, & gravedine corporis neceſſè habet, ut invocet divinam aſſiſtentiam in ſufferenda paſſione ſua.* In diſcurſibus de Deo ſenſibiliter vehementia amoris ex oculis, verbis & geſtibus relucebat, tam enim ardenter de divinis loquebatur, ut color faciei internas Cordis flammas præſentibus patefaceret omnibus, relictâ iiſdem admiratione & ædificatione: cùm tamen illa ex humilitate in hiſce altis diſcurſibus profiteretur ſe minimam & valde ignorantem: *Nihil*, inquiens, *de ſimilibus intelligo, nec ſatis mentem meam explicare poſſum: hoc námque opus eſt eorum, qui ſimilia deguſtârunt, & opere experti ſunt.*

Verùm Omnipotentiæ Divinæ placuit perfectiones virtutum Archi-Duciſſæ manifeſtare non ſolùm ſupradictis, quæ de Calice & ſanguine Chriſti ſub ſacrificio Miſſæ & prædictione mortis Philippi III. memoravimus, ſed pluribus alijs, quorum pauca attingemus.

Dum Archi-Dux Maximilianus ex improviſo & reſidentiâ ſua Oenipontana deperditus eſſet, nec quicquam de eo quid ageretur, reſciretur, tota Archi-Ducalis domus & in primis Auguſtiſſima Imperatrix Maria anxiebatur. Verùm dum illa hunc caſum afflictè deploraret, eam Archi-Duciſſa adoritur: *Acquieſcat*, ajens, *& in Deo confidat. Dum minimè præviderit, Archi-Dux in limine erit, & adveniet ad oſculum manûs deponendum.* Eventus dictum confirmavit, nec diu pòſt ignotus Nobilis Germanus apud Legatum Cæſareum & eo mediante apud Auguſtiſſimam & Archi Duciſſam ſe inſinuat, qui ſub veſte Peregrini perditum hactenus & Compoſtellâ à S. Iacobo peregrinantem Archi-Ducem

Reditum Maximil. prædicit.

Maxi-

Maximilianum exprimebat, afflictúmque maternum cor, & Archiducissam totámque Regiam Aulam inexspectatâ gratiosáque præsentiâ recreavit, mœrore in gaudium summum verso.

Pariformiter Nuptias Infantis Mariæ cum Ferdinando III. tunc temporis Rege Apostolico, & nativitatem Ferdinandi IV. pro certo & assecurando prædicebat, quanquam ob difficultates occurrentes pro incertissimis haberentur. Dum autem prægnantem esse Madritum nunciaretur Margarita binas vestes pro nascituro Regio Principe & Archi-Duce parari voluit, eidem præsentandas. Ast monentibus Monialibus, nimis præcipitari, dum necdum constaret an Princeps esset, reposuit: *Deum se assecurâsse de hoc, & alios eventum demonstraturos, de se verò nescire, quid Deus statuerit futurum, unde tempus esset properandi.* Eventus dicta probavit: Regina námque Principem peperit, & priusquàm de hoc nato nuntium lætum adveniret, Archi-Ducissa in Domino obijt.

Uti & nuptias Ferdinandi III.

Nasciturum Ferdinandi IV.

Ex Primis ministris Hispaniæ ex morbo quidam de vita periclitabatur, unde Conjux Archi-Ducissæ precibus salutem ejus recommendabat; sed jubebat eidem renuntiari: *Læto animo sit & assecurata, ex eo morbo hac vice non moriturum, sed in certa fiducia Deo gratias debitas referat.* Non obstante quòd ultimus habitus exspectaretur, mox convalescebat & intra paucos dies plenè restitutus est æger.

Salutem infirmi.

Benè nota Archi-Ducissæ persona multa in itinere impedimenta sensit, de quibus cùm coram Archi-Ducissa mentio fieret, illa superaddit: *Et, quod me magis affligit, est: quòd hæc persona ad destinatum locum & officium non perveniet, sed in via obibit.* Sanus hic itineri se dederat, mors tamen subsecuta verba Archi-Ducissæ confirmavit.

Mortem sani.

§. XV.

Devotio erga Sanctos, & solicitudo pro Defunctis.

UT scopum suum feliciùs attingeret; mediatores impenso studio requirebat Sanctos, potissimùm invocans Patrocinium Beatissimæ Virginis & Angeli Custodis, hujus, ut quam post humanitatem Christi perfectissimã Creaturarum ex omnibus elegit, & dignatus est habere matrem. Hoc à juventute impensum devotionis servitiũ ipsa Deipara multum acceptum habuit, dum in Monte-serrato supplicibus Margaritæ precibus pro confirmanda constantia Religiosæ vocationis, miraculosâ capitis inclinatione

Devota erga Deiparam.

Nnnnn annuit

annuit. Ab eo tempore Cultui Matris miſericordiarũ tanto fervore adhæſit, ut niſi comitantibus lacrymis memoria ejus animum ſubiret, quam in vivis Ducem, mortéque elegerat certum ſubſidium. Inter omnes erga Cœlorum Reginam devotionis actus præcellebat cultus & defenſio Immaculatæ Conceptionis, ad cujus definitionem procurandam hæreditariâ Archi-Ducalis domûs pietate & Seraphici Ordinis ſtudio permota nihil omittebat, quod eam promovere poſſet. Eo zelo, ut dum Catholicus Rex Philippus IV. Comitem de Monterey ad Sedem Apoſtolicam miſiſſet, Mandatũ Gregorij XV. obtinuit, quo contrarium tum publicis in diſputationibus, tum cathedris ſuſtinere prohibebatur, uti præmemoratus Pontifex literis expreſſis deſuper datis eam informavit.

Agit pro declaratione Immac. Concept.

Poſt Beatiſſimam Virginem Devotionis affectu erga S. Angelum Cuſtodem ferebatur, ut qui verus amicus eſſet in hac vita, ſine intereſſe, & importunitate, cujus conſilium & propoſita, omni fuco, falſitate ac dolo carerent, imò poſt mortem fidelis comes eſſet. *Huic*, ajebat, *Deus commendavit vias meas, ut in manibus ſuis portaret me: hujus fidelitas ſuperat intellectum, ad bonum deducit me, & removet omne malum. Huic à Nativitate mea cura mei impoſita eſt, laqueos inimici detexit, inſultus fregit, vim avertit, hic in agone protector erit, & in ſocietatem cœlitum animam deducet, & in aſpectu Dei ſiſtet.* Hunc à juventute in omnibus conſulere conſueverat, maximè in exercitio virtutum perceptura modum, quo facta maximè placerent in conſpectu Dei.

Devota erga S. Angelum Cuſtodem.

Quandoquidem fide noverat, quòd bonum ſit pro defunctis orare, ut à peccatis ſolvantur, erga eos ſpeciali compaſſione ferebatur, & tametſi quotidie orationes & opera pœnitentiæ eis applicaret, diem tamen Lunæ eis dicabat nihil omittens, quo ſuccurrere poſſet, aliorum quoque ſuffragia deſuper conquirens concionatores requirebat; ut horum patrocinium haberent recommendatum, quibus ut magìs ſuccurreret ab Apoſtolica Sede ſpeciales indulgentias impetraverat.

Devotio pro Defunctis.

Inaudiens quempiam Notorum obijſſe, certum numerum ſacrorum quamprimùm legi curabat ſuas orationes adjiciens, & vel maximè ſi ſubitaneâ morte vel ex infelici accidente mortuos fuiſſe contigiſſet. Quem affectum certum eſt Deum habuiſſe acceptum, dum ſic conſolatæ animæ comparuerunt gratias ei reddentes, aliæ ſuffragia expetentes. Cujus teſtimonium exhibet Comitiſſa de Fuentidnenna Donna Joanna de Mendoza, olim Cameraria Imperatricis Mariæ. Hæc in bonis ſuis habitans.

bitans, comparuit Archi-Ducissæ pallida facie & eam lamentabili voce salutans. Interroganti Archi Ducissæ: quid vellet, respondit se huc venisse requisitum eam, ut animæ suæ coram Deo in oratione, ùti aliarum consueverat, meminisset. Promissione habitâ disparuit, sequenti verò manè dilectis suis Archi-Ducissa dicebat: Orandum est pro Comitissa de Fuentidnenna jam enim mortua est. Dictum cum admiratione exceptum, verùm vix duo dies elapsi, & mors à forensibus advenientibus confirmata.

Similiter adhuc vivente Imperatrice Mariâ piè defunctus parens Maximilianus Imperator comparens jussit ei, ut Imperatrici nuntiaret & exquireret causas, ob quas menstrua sacra omitterentur, ac cessarent; insuper exorabat, ut in precibus meliùs ejus meminisset. Imperatrix contristata hoc nuntio, negligentiæ pœnitebat, læta vero de securitate salutis defuncti sui Mariti, neglecta recompensabat. Paulò pòst denuo comparuit Imperator, gratias Archi-Ducissæ agens, adjectis precibus, ut ambæ in suis orationibus animam suam Misericordiæ Dei non cessarent recommendare.

§. XVI.

Ultima infirmitas & felix obitus Archi-Ducissæ Margaritæ.

JAm sexagesimum sextum ætatis annũ superaverat, Religionis verò quinquagesimum agere inceperat, ubi interiùs edocta manifestavit instare tempus dissolutionis suæ, ad quam se jugiter præparabat, initium faciens octo mensibus ante obitum, à Confessione Generali concomitata profluvio lacrymarum, Contritionis, & consimilium actuum copiâ.

Quanquam innocenter transacta vita de nullo mortali, de confessariorum judicio, eam damnaret; nihilominus ut ætate & asperitatibus exhaustum fractúmque corpus Mortificationibus mulctaret, certas pro peccatorum expiatione sibi indulgeri à Confessario rogabat.

Instantis mortis ubi mentio fiebat, tota lætabatur quasi ad festum invitata, ut videretur hic dies esse prolongatus. Quanquam certitudinem obitûs sui pro viribus occultaret, perquàm devotæ moniali tamen pro sanitate Archi-Ducissæ Deum exoranti interior lux affulsit, quòd abbreviati essent dies, & mors Margaritæ instaret. Præ reliquis autem certior de morte, antequàm fatalis morbus se insinuaret, ab Abbatissa veniam quasi moriendi expetijt, supervenienti vero confidenti seniculæ, & roganti, ut post

mortem animam ſuam Archi-Ducilla haberet recommendatam, reſpondet: *Soror mea, hoc ipſum ab ea efflagito, ſcitote me primam præ omnibus Clauſtralibus, ex hac vita evocandam. Nullam aliam morientem videbo, & cum exitus hæc probaverit, mementote mei.* Pariter, dum corpus defunctæ Imperatricis, quod hactenus (uſque dum Sarcophagus mero pretioſo Jaſpide conſtans perficeretur) depoſitum fuerat, poſt duodecim annorum ſpatium, totaliter incorruptum, & tractabile inventum ad aliud pretioſum à Rege præparatum Mauſoleum levaretur, lætâ facie ad circumſtantes ait: *Nunc Domina mater locum mihi fecit, videbitis quòd dies mei brevì decurrent.*

Paucis diebus antequam decumbere incepiſſet, dum ſoror quædam occaſione tunc cantati ſacri pro defunctis diceret, ſe libenter audire & intereſſe hujuſmodi; *Agedum*, ajebat, *talem conſolationem brevì cauſabo: Deus enim me ad ſe accipiet, & ſufficientia decantabuntur Requiem.*

Syd9 mortis præſagum.

His & quamplurimis conſimilibus accedit, quòd non pridem ante obitum Archi Ducillæ ſupra Monaſterium ſtella extraordinaria amœnè coruſcans, nubeculáque obducta ſplenduerit. Hæc ut aliquo tempore ſplenduiſſet, notatum eſt aliquot diebus non eſſe viſam. Paulò pòſt videlicet tertio ante mortem Margaritæ die, id eſt Sabbatho, die Dominica & die Lunæ eundem ſplendorem continuavit, die Martis autem, quâ Archi-Duciſſa è vivis diſceſſit, diſparuit.

In feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ Archi-Duciſſam calida oppreſſit febris, quæ eſto octavâ die conſuetos paroxiſmos non oſtendiſſet, nonâ tamen periculoſum tumorem ſiniſtro brachio ſuperinduxit, ac omnem ſenſationem ſuſtulit. Totum hoc tempus præparationi ad mortem impendit in ſummis doloribus patientiſſima; diſcurſum de morte blando riſu excipiebat, ut inde è monialibus præſentibus nonnulla occaſionem ſcandali accipiens ei improperaret. Archi-Duciſſa, ubi ad lectum vocatæ amicè manum compreſſiſſet, ei ajebat: *Non concedet amica mea, ut læter ac gaudeam memoriâ recolens, quòd peregrinatio mea ad finem decurrat, & à mortalitatis onere mox abſolvenda Sponſum & Redemptorem in æternitate viſura ſim & eo fruitura?* ubi autem periculoſam illa viam, mortem & judicium exciperet, Archi-Duciſſa repoſuit. *Non abeſt, quin & mihi præ alijs hoc pertimeſcendum ſit, quæ major his peccatrix ſum. Veruntamen Deus tantâ ſpe me cibavit, tantóque amore erga ſuam Majeſtatem perfudit, ut hæc potentior ſit & ſuper emineat timori, quem peccata incutiunt. Unde gaudium mihi non invide-*

Læta morti præludit.

dere placeat. Quam piam vocem lacrymis monialis excepit, Archi-Duciſſæ occaſionem dans ſe amoroſis conſolandi, quæ inter alia ait: *Conſolata ſit amica mea, & ſi me, ut præſefert, amat, collætetur mecum, quòd mihi tam bene cedat.*

Ingraveſcente Morbo Sacratiſſimo Sacramento ac viatico refici petijt, quod apportando dum alij occupantur, in intenſiſſimos Fidei, Spei & Charitatis Divinæ actus effuſa, præſentes in admirationem rapit, ac advenientem Sponſum ſumma cum devotione & humilitate in lecto erecta excipit, demonſtrans qua ſanctitate vixiſſet, ac qua perfectione anima refulſiſſet. Secretâ devotione peractâ ad Communitatem converſa veniam deprecatur, Conſororum precibus enixè commendans animam ſuam, quibus eam tanto egere magìs cenſerent, quanto magìs eis liquidum eſſet, quàm inutilis, moleſta & ad obſervantiam ſtatutorum Regularium fuiſſet inepta. Ab Abbatiſſa poſt mortem pauperem Clariſſarum habitum ex miſericordia pro ſepultura ſuppliciter ſibi dari rogat. Et ubi Sacramento extremæ unctionis expetijſſet tempeſtivè muniri, innuit, quòd Chriſto ſola vacare ac loqui cuperet, unde quantum licuit, parcitum humano colloquio, ipſâ in mentali oratione læta ſemper facie abſorptâ. Sacramentis munitur.

Quanquam uſque ad quintam Julij ſuccedentibus deliquijs reliquas vires frangere morbus continuaret, non deſtitit tamen contemplari apertas æternæ felicitatis portas, conteſtantibus oculis pacem & dulcedinem, quâ intrinſecùs fruebatur. Cauſam dati in ſummo mali & dolorum gradu riſûs interrogantibus reſpondebat: *Sat cauſæ ſubeſt, & inter alias ſuavis Muſica, quam audio*, quam dum incertam ſeu imaginariam duceret nonnulla aſtantium, reponebat: *Poſſibile eſt, cenſeo tamen me juſtè muſicam audire.* Paulò pòſt, cum omnia pro miniſtrando Sacramento Extremæ Unctionis parata eſſent, Confeſſarium interrogat: an non audiret, quàm ſuaviter cantaretur? ſuaviter ſubriſit, de cauſa verò interrogata dicebat: *Amicæ meæ, magna aguntur, & nolite riſum meum mirari.* Nec vanum fuiſſe gaudium ac riſum Margaritæ, ſed opus Divinæ Miſericordiæ inter ſævitiam morbi & mortis luctam Deo placuit oſtendere, exhibendo in viſu eo veſpere certæ à ſanctitate celebri perſonæ Choros Angelorum ad Regium Monaſterium properantium; ubi ſacrum Viaticum & Extremam Unctionem accepiſſet unâ quaſi vice diffluentibus viribus, agonem inter conſuetas Eccleſiæ preces ingreſſa, imaginem Crucifixi pectori apprimens, moribundis oculis in cœlum elevatis, lætos Muſicam cœlicam audit. Moritur.

Ooooo expri-

exprimens affectus innocentem animam suo reddidit Creatori Anno 1633. quinta die Julij formâ in vultu adeo amabiliter expressâ ut videatur partem gaudiorum corpori communicâsse, & dubium adstantibus causaret, an vivis aut mortuis esset annumeranda.

Hucusque Scriptor vitæ quoad substantiam rerum à Margarita gestarum. Nobis si alia præterea eáque scitu digna & necessaria deinceps innotuerint, ad annum 1633. quo die 5. Julij Margarita obijt, fideli calamo consignabimus.

CAPUT VI.

Elisabetha Alberti II. Cæsaris, & Tertij Ordinis S. Francisci filia.

Sigismundus Cæsar Albertum Austriacũ sibi eligit successorem. *Balbinus de Reg. Bohemia p.193.*

Sigismundus Imperator cùm videret stirpem suam Regiam extingui, & filiam suam Elisabetham solam se relicturum, cui potissimùm Principi eam offerret in conjugem cogitabat, *nullum* aptiorem & magìs de se & Republica meritum quàm *Albertum* Archi-Ducem Austriæ inveniebat; itaque anno 1421. eum Generum sibi, & Successorem Regnorum designârat, ac nè quid sinè consilio egisse videretur, eodem anno 1421. rebus priùs ex sententia conmpositis Legati duo ab Alberto mittuntur, qui Elisabetham Archi-Duci conjugem postularent; annuit Sigismundus, quippe hujus consilij Author, & nonnullo interjecto tempore publicas, ut firmitatem rebus gerendis adderet, literas Presburgo Dominicâ ante S. Michaëlis Archangeli festum diem edidit, quibus literis causas adfert, cur præ omnibus Albertum sibi destinet Regnorum Successorem: esse in Familia Patri suo Carolo multùm amata & æstimata natum; præstitisse Albertum sibi & Regnis tot grata & honorata obsequia, quorum aliquod præmium mereretut; incipit deinde Alberti virtutes & militaria facinora prædicare, denique Bohemiam, Ungariam, & ad has Coronas spectantes Provincias, si sinè masculo hærede decedat, Alberto transcribit; quod si unam adhuc filiam habiturus sit, eidem Elisabethæ priori filiæ potestatem facit alterutrum ex Regnis, quæ dixi, eligendi, alterum minori sorori relinquendi. Nuptiæ, quâ potuit magnificentiâ Anno 1422. Viennæ celebratæ sunt, attulítque Elisabeth marito inter cimelia pretiosissimam gemmam, quæ centum millibus florenorum constitisse ferebatur, addidit jam tum

Testamentum & ultima voluntas Sigismundi.

Nuptiæ filiæ Elisabethæ.

Mora-

Moraviam Provinciam Genero suo Cæsar, cujus possessionem adiret, eámque ab hostibus tutaretur. Ex hoc matrimonio natus est Georgius qui puer obijt, & Ladislaus posthumus; deinde Anna nupta Wilhelmo III. Duci Saxoniæ. Item Elisabetha, quæ Casimiro II. Regi Poloniæ Anno 1454. in matrimonium data. Dum de hoc ineundo matrimonio tractaretur, venerat in Austriam missus à Nicolao V. Joannes Capistranus Ordinis Minorum S. Francisci de observantia, discipulus S. Bernardini, Magister in Theologia, & Juris utriúsque Doctor, & quondam supremus Judex Curiæ Ladislai Regis Neapolitani, vir cùm doctrinæ, tum virtutis sanctitatísque laude insignis: quem Nicolaus de Cusa Cardinalis, & Episcopus Brixiensis in ultima ad Bohemos epistola anno 1452 data appellat *hominem utique à Deo missum, virum religiosissimum, potentem opere & sermone.* Æneas quoque Sylvius elegantibus literis ad eum, dum Viennæ ageret, ex Nova Civitate scriptis, testatur & declarat, *quanta fuerit homini divinitus collata ad prædicandum gratia.* Hic tantúsque vir Sponsam ad Regem Casimirum honorifico comitatu deduxit, cui etiam is honos delatus, ut instar Legati Pontificis novis Sponsis benedictionem impertiret. Fæcundum fore hoc matrimonium palàm vir sanctus prædixit, vaticiniúmque eventus probavit. Suâ & mariti ope viginti Monasteria pro Franciscanis in Polonia fuerunt ædificata. Mortuo marito Tertij Ordinis S. Francisci facta est, & pientisimè Anno 1505. die 30. Augusti ex hac vita migravit expletis minimùm sexaginta sex ætatis suæ annis. Adfuère sepulturæ die S. Matthæi, seu XXI. Septembris, Dominicâ ipsâ, Alexander Rex, & Sigismundus subinde Oppaviensis, ac Glogoviensis Dux, Elisabethæ ambo FILII. Andreas item Rosa Gnesnensis Archi Episcopus; Joannes Konarsky Cracoviensis, Joannes Lubransky Posnaniensis, ac Mathias Drzewunkzy Przemisliensis, Episcopi. Deposita est in mausoleo, quod sibi vivens, in sinistra parte Sacelli S. Crucis Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, construxerat. In quo Sacerdotes octo, & nonum Clericum officium de S. Cruce, matutinum, missas, & omnes horas quotidie cantantes dotavit. Domum quoque muratam ex opposito ejusdem Sacelli pro commoratione eorundem ordinavit. In Ecclesia autem S. Michaëlis Castri Cracoviensis octo Mansionarios instituit, ac stipendiavit. Domum pro ijsdem ligneam, juxta scholam sub turri comparavit. Præterea hæc Regina CORTINAS pro ornamento parietum chori supra subsellia Ecclesiæ Cathedralis donavit, & Vexilla cum cruci-

Proles Alberti II. Cæsaris.

Joan. Capistranus vir doctrinâ & sanctitate vitæ insignis.

Æneas Epistol. 405.

Elisabethā Sponsam Casimiro Regi Poloniæ adducit.

Elisabetha favet Franciscanis.

Ejus mors.

Sepelitur solenniter. *Cruger. ad diem 30. August.*

Munifica in Ecclesf. Cracov.

Joan. Gans in Ginecæo Austr.

crucibus argenteis deauratis, eidem largita est. Alia quoque pia opera fecit, præcipuè lintea, casulas, & quæ suis elaboravit, aut texuit ornamenta manibus, Ecclesijs tribuit. Hæc ad verbum Matthias de Michovia sui Polonici chronici lib. 4. c. 84. fol. 257. habet, & ex eo Crugerius ad diem 30. Augusti.

Felicitas in prolib⁹. Elisabetham hanc meritò quis appellare potest felicitatis humanæ miraculum. Eam enim meri Reges & Cæsares cingunt, nec facilè invenietur, quæ tanto, támque illustri sanguine Regum genita, sanguinem etiam tot Regibus dederit, filia fuit Cæsaris Alberti II. & Reginæ Elisabethæ, Neptis Cæsaris Sigismundi, Proneptis Caroli IV. Cæsaris; fratrem habuit Ladislaum Regem, maritum Casimirum Regem, filios quatuor Reges: I. Wladislaum Regem Ungariæ & Bohemiæ, II. Joannem Albertum electum Regem Ungariæ, postea Regem Poloniæ: III. Alexandrum Ducem Lithuaniæ, & postea Regem Poloniæ, IV. Sigismundum I. Poloniæ Regem, & ne quid felicitati deesset S. Casimirum, natum Anno 1458. Anno 1483. extinctum; Avia fuit Ludovici Regis Ungariæ & Bohemiæ; & Annæ Reginæ Ungariæ & Bohemiæ; *item* Avia Sigismundi Augusti II. Regis Poloniæ. Profectò tot Regia decora in alia Regina vix extra familiam Austriacam inveneris.

Notæ & Additamenta.

IN præsenti capite, quo Margaritæ de Cruce vitam damus, succinctiùs quidem quàm Hispanicè à Joanne de Palma (non de Paula ùt errore typi paginâ 389. factum est) conscripta fuerit, & nescio à quo in idioma Germanicum translata, monendum Lectorem duximus, malè Scriptorem collocâsse obitum Philippi II. Hispaniarum Regis ad annum 1599. Obijt ille anno præcedenti. Præterea malè etiam collocari obitum Ernesti Archi-Ducis Austriæ ante Elisabetham sororem viduam Caroli noni Galliarum Regis. Hæc enim ex hac vita decessit anno 1592. ille verò anno 1595. Quòd Imperatricem Mariam Matrem Margaritæ, nomine etiam Margaritæ compellet, respicere videtur nomen, quod cum primo in baptismo vel in confirmatione ei datum est.

Antonius Stöckler Clarissis ex Domo Habspurgo-Austriaca à nobis specificatis alias duas ex eadem Augustissima Domo adjungit, nempe Euphemiam & Coletam, ambas Rudolphi I. Cæsaris filias. Nos Euphemiam, nixi M.SS. Cœnobij Tullnensis Ordinis Prædicatorum eidem Sacro Ordini Libro I. Capite XV. adscripsimus. Ut Rudolpho Cæsari nominis sui erant duo filij, ita

ita forsitan ejusdem nominis duæ filiæ, quarum una Ordinem S. Dominici, altera S. Francisci amplexa.

Marcus Ulissiponensis Parte II. Lib. 4. Cap. 15. §. I. Anno 1278. alijque Scriptores Ordinis Seraphici Coletam à Deo multis præclarísque virtutibus exornatam affirmant, ab iísque, quibus ipsius vitæ innocentia perspecta fuit, ùt Sanctam habitam.

CAPUT VII.

Cunegundis Alberti Ducis Bavariæ, cognomento Sapientis, vidua, Tertij Ordinis S. Francisci filia.

CUnegundis Friderici V. Cæsaris, & Tertij Ordinis S. Francisci Filia, nata est sub annum 1465. die 16. Martij. Hujus Serenissima Mater erat Eleonora Eduardi Regis Portugaliæ filia. Cunegundem hanc ob elegantiam formæ, ob prudentiam multi Principum adamârunt, & matrimonio sibi jungi petiêrunt; præcipuè verò pro illa instabat apud Fridericum V. Parentem Cunegundis, Rex Ungariæ Matthias Corvinus. Eo, aliisque spretis & rejectis nupsit Alberto Duci Bavariæ, ex qua nati sunt tres filij: Wilhelmus, Ludovicus, & Ernestus, Filiæ verò quinque: Sidonia, Sabina, Sibilla, & duæ Susannæ. Hic Dux Albertus cum consensu suæ Sanctitatis Pontificiæ Clarissas Monachij curavit reformari, & communitatibus Religiosis sub tertia Regula S. Francisci, in observantia trium votorum solemnium Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, in utraque Religiosa communitate ibidem nomine Pietrich/ & Ridler reformationis initium fecit.

Cunegundis natale. *Parentes.* *Matrimonium.*

Pijssima námque Ducissa adhuc vivo Marito manu propriâ datis subsequentibus literis ad Venerabilem Matrem & Conventum Pietrichianæ Religiosæ domûs, Ordinis habitum petiêrat.

Cunegundis Ducissa utriúsque Bavariæ.

REligiosa Venerabilísque Mater. Siquidem ad dies vitæ meæ Domino & Marito meo desponsata sim, nec ausim ordinem suscipere, singulariter tamen ad Religiosum vestrum afficior, per amorem Dei, Beatissimæ Virginis Mariæ & S. Francisci mihi communicari ac dari in hora mortis meæ habitum vestri sacri Ordinis supplico: in hoc jacere & diem extremi judicij exspectare desidero, & dignetur unà cum toto conventu mearum precum meminisse. In fidem, quòd hoc tota anhelem, has manu propriâ scripsi.

Petit admitti ad Cœnobiũ S. Claræ.

Anno 1508. die Sabbatho post *Invocavit* Dux & Maritus ejus

piè in Domino obijt. Hinc captâ occaſione de temporalibus bonis ritè teſtamento facto & trigeſimâ die depoſitionis die Lunæ poſt *Judica* celebratâ immediatè rectáque viâ ex Eccleſia Beatiſſimæ Virginis ad Religioſam domum Petrichianam intravit, Aulicis Domicellis, reliquáque Aulâ, nihil de ſua reſolutione ſcientibus ad aulam remiſſis. Ubi autem veſperi Sereniſſimæ Aulæ Præfectus, cæteríque Aulici Celſiſſimam reducere meditantur; coram Venerabili Matre & convocato conventu prudentiſſimâ & humillimâ oratione manifeſtat: quòd ſiquidem Divinâ Providentiâ per obitũ ex his terrenis ad æternitatẽ marito translato ſoluta eſſent vincula Matrimonij, paucos reliquos vitæ ſuæ dies in Monaſterio in Laudibus & ſervitijs Dei tranſigere ſtatuerit. Proinde unâ vice tres Celſiſſimos Principes filios, & tres Sereniſſimas Dominas filias, Ducatum, & quidquid mundus æſtimat, amore Dei deſeruit, & pro mundi delitijs pauperem ordinem Pœnitentium ſub Regula S. Franciſci amplexa. Quanquam non deeſſent, qui quævis argumenta in contrarium moverent, aut mutationem aut ſaltem dilationem propoſitis propter minorennes filios Principes educandos ſuadere niterentur; vulnus tamen quod ſagitta Divini amoris cordi Cunegundis infixerat, non niſi per plenam abnegationem temporalium ſanari poterat, unde totam ſe Deo conſecrans dilectas proles patriámque Divinæ Protectioni commendabat.

Monaſterium ingreditur.

In Monaſterio ſibi exiguum cubiculum, ad Monaſterij autem neceſſitatem & uſum duo vicina empta non ſine magnis expenſis fecit ædificari, Eccleſiam & Capellam multis auro, argento, gemmiſq; exornatis ſacrarum Reliquiarum hierothecis ditavit. Per teſtamentum inſtituit Monaſterium hæredem omnium veſtimentorum & cimeliorum, quæ in Monaſterio habebat & cum valde pauper & indigum ac in neceſſitatibus eſſet conſtitutum, ex ſuis reditibus in tantum auxit, ut pro fundatrice haberi & cenſeri meruerit.

Illud ditat.

Ultra duodecim annos inter Moniales Religioſam vitam duxit, nec ulla ab alijs quàm monialibus ſervitia admiſit. Speculum humilitatis & patientiæ, veſtibus vilibus, nullo ſerico, auro, aut argento fulgidis, ſed ex nigro panno conſtantibus utebatur. Omnibus terrenis curis & negotijs pro omni poſſibilitate ſe abdicabat, reditibus etiam, quos ex Ducali Quæſtoratûs officio pro alimentatione accipiebat, ad diſpoſitionem Venerabilis Matris, utpote ſuperioris loci relictis. Cibi vulgares erant ei & cum moniali-

Paupertati ſtudet.

niàlibus communes, ubi malè paratos esse contingebat, veniámque coqua humiliter peteret, illos laudans, omnem factam excusationem duxit, dixítque superfluam.

Omnibus totius anni diebus Veneris, profestis Beatissimæ Virginis ac SS. Apostolorum vigilijs strictissimè jejunabat, quotidianis abstractionibus & mortificationibus in quamplurimis rebus, velut exemplum virtutum sanctæque vitæ alijs prælucebat. Quotidie pedes visitans Franciscanorum Ecclesiam totum antemeridianum tempus orationi impendebat, nec ullum cum omnium admiratione ad audientiam admittebat. Ejus varia Pietas.

Die Veneris ante duodecimam nemini accessus patebat; tempus enim illud meditationi Passionis Christi impendebat. Orationis tantùm erat studiosa, ut ei maximè tempus consecraret. Ut Pauperibus, desolatis & in necessitatibus constitutis, verbo & opere, donis, solatijs, & possibilibus quibusvis medijs subveniret, nec labori nec impensis parcebat.

Omnibus quatuordecim diebus & celebrioribus festis summa cum devotione confessa, sacrâ synaxi reficiebatur, in ægritudine verò, quàm summa cum patientia tolerabat, frequentissimè, & quoniam longiori tempore hæc durâsset, bis Sacramentum Extremæ Unctionis suscepit.

Quid quantumq; boni operis aliàs fecerit, mundum, ipsâ occultare studente, latet. Post duodecim in Monasterio sub Regula Tertia Pœnitentium S. Francisci piè & ad ædificationem aliorum peractos annos, placuit Deo eam ad cœlestem mercedem evocare. Anno proinde 1520. sextâ Augusti, festo Transfigurationis Domini piè in Domino obijt exemplum virtutum & contemptûs mundi relinquens. Eâdem pariter horâ inassueta stella super tectum Monasterij splenduit, dubio procul index Cunegundem cœlum petere. Corpus ejus in habitu Ordinis Tertiariarum in Ecclesia B. Mariæ Virginis in sepultura Ducum repositum requiescit. In morte ejus stella apparet.

CAPUT VIII.

Elisabetha Maximiliani II. Cæsaris & Tertij Ordinis S. Francisci filia.

SErenissima juxta ac pientissima Elisabetha Cæsaris Maximiliani II. & Imperatricis Mariæ Hispaniæ Infantis filia, Rudolphi II. & Matthiæ, itidem Romanorũ Impetatorum soror, Imperatoris Elisabethæ natalis. Parentes.

Caroli V. neptis, anno reparatæ salutis 1554. tertio Nonas Julij Viennæ nata, rarâ pietate, lectissimis moribus Virgo, Conjux Vidua vixit. Postea quam hujus vitæ cursum triginta septem annos, & quod excurrit, pientissimè consummâsset, anno Christi 1592. undecimo Calendas Februarij undecimam inter & duodecimam noctis horam placidissimè expiravit. Dignissima omnino, cujus virtuosa exemplaris, probissima vita Orbi divulgetur. Dabimus eam ex Speculo Virtutum præmemorati aliàs Antonij Stöckler & in plures paragraphos dividemus, quorum sit primus

§. I.

De affectu erga precationem, & exercito in ea fervore.

Nocturnæ preces.

NOn satìs Elisabethæ erat mox ab ipso florentis suæ ætatis primordio potiorem diei partem dare precationi, sed & nocte desideravit spiritum suum animúmque ad Deum levari, eíque laudes personari. Porrò devotioni huic nè indormiret, quin imò occultiùs eidem vacare posset, quandam de suo famulitio Ministram suam sibi statuit excitatricem. Successit id pium devotionis exercitium non modico tempore; dum tandem aliæ Aulæ Ministræ id animadvertentes, rem ex integro ad Aulæ præfectam deferunt. Quæ solicita, nè somnus parcior Archi-Ducis valetudini officeret, Ministræ illi suprà memoratæ omnem omninò deinceps occultum ad cubile aditum severissimè inhibuit; Verùm huic inhibitioni Pientissima Archi-Dux Elisabetha alio occurrit remedio.

Mediaverat fortasse Elisabethæ inter & ejusdem Ministræ cubiculum murus solùm ex asseribus constructus, quo clàm perforata Elisabetha funiculum per foramen traductum pedi suo alligaverat, quem Ministra postmodùm statuto tempore trahere, atque ità Elisabetham Dei amore flagrantem ad orationem excitare est instructa; poterat tamen hæc semper cum veritate fateri se noctu in Archi-Ducis cubile non fuisse ingressam.

Preces toto vitæ suæ tempore, potissimùm de genibus, manibus in Cœlum elevatis persolvit, sæpissimè verò cum suo Salvatore in Monte Oliveti in faciem prostrata humi jacuit, eamq; multoties suis lacrymis rigavit. Quòd verò Deus in ejusdem precibus sibi complacuerit, inde colligi licet. Dum vice quadam Parisijs in templo quodam Sacris tenero devotionis affectu interesset, aderat vir venerandâ canitie, cum libro in quarto artifice manu elaborato, quem sedili, quod occupaverat Elisabetha, nullo

lo verbo prolato superimposuit, dúmque illa senecionem hunc ante hac nunquam visum fixiùs intueri vellet, ille continuò ex oculis disparuit; liber verò ille, etiamnum hodie in Cœnobio asservatur, in quo præter Deiparæ officium latino idiomate impressum legitur nihil.

Cùm tempore quodam Viennæ jam vidua pro sua Serenissimo Fratre Archi-Duce Maximiliano, qui in Polonia captivus distinebatur ferventissimas coram Deipara Maria ad nives, preces funderet, Thaumaturga ei manum porrexit dicens: *Consolare frater tuus liber & immunis evadet.* Quod & eventus comprobavit: Nam brevì pòst Archi-Dux Maximilianus secundùm Deiparæ promissum salvus & incolumis libertati est restitutus. Miraculum hoc ipsa Patri Petro, qui ei erat à Confessionibus, sub rosa confidit, rogans nemini aperiret, siquidem Virgines sacræ (ajebat illa) quandam sanctimoniæ opinionem de me conciperent, minúsque post obitum meum pro me Deum deprecarentur. Liberatione fratris prædicit.

Facta Vidua vitam suam Viennæ propè integram exegit in fundendis ad Deum precibus: Nam quotidie à septima Matutina ad decimam usque precationi, Deique servitio impendit, sumptóque prandio confestim ad orationem revertens in ea per trihorium Deo laudes personabat. Diebus verò festivis (si quando priori vespere Matutinum decantatum fuit; itidem per trihorium & ampliùs proùt Matutinum sive breve, sive longum foret) & hyeme & æstate, ferventer & constanter precationem suam continuavit; his omnibus non contenta, Elisabetha insuper Viennæ in ipsa urbe alias Ecclesias precationis ergô mutatis vestimentis ignota sæpiùs & pedes quidem devotissimè invisit, inibíque ad finem usque sacrorum perseveravit. Publicis Processibus cum gustu intererat, ibátque pedes à nulla unquam aëris injuria absterrita. Si quandóque periculosior Turcarum irruptio, sive aliud quodpiam hostium periculum Christianitati immineret; sine mora ad orationis arma confugit, omnes & singulos suos ad devotionem adhortata, quadraginta horarum preces inter domesticos distribuit; séque semper veluti Ducem in fronte generosissimè exhibuit. Porrò orationem hanc comitabatur jejunium, optimè gnara, quod Scriptura dicit: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna magìs quàm thesauros auri recondere.* Tobiæ 12. Reliquum temporis, quod illi supererat, in oratione quoque cum silentio & quiete, vel in piorum librorum lectione, vel in manuali pro decore templi labore, nisì Xenodochia, aliáque pauperum contubernia visitâsset, transigebat. Diurnæ preces.

Qqqqq §. II.

§. II.

Elisabetha desponsatur.

Regi Galliæ nubit.

CUm 15. ætatis annum attigisset, placuit Deo Regi Sæculorum dare illi coronam Regiam, nam à Parente Anno 1570. Spiræ in comitijs Regi Franciæ Carolo hujus nominis nono per ejusdem delegatum in sponsam est præsentata. Quare eodem adhuc año 26. Octob. Parisijs nuptiæ Regali pompâ sunt celebratæ. Postquam autem Regi suo Filiam peperisset, ille, 1574. mense Majo suum Germanum Henricum electum Poloniæ Regem comitatus hepate ex itinere nimiùm accenso animam egit.

Cùm verò anno 1575. Serenissimus Henricus defuncti Conjugis Germanus ex Polonia in Franciam redux ibidem in Regem coronaretur; Elisabetha Regina à Cardinale de Este in Germaniam est reducta. Ut primùm autem vulgo Parisiensi discessus ejusdem ex Francia innotuit, turmatim cœpit concurrere, in lamenta prorumpere, & vociferari: *Regina salus nostra discedit à nobis, ò quid fiet nostro Regno?*

§. III.

Regina Elisabetha Viro Serenissimo viduatur, & nubere posthac renuit.

MUltùm hæc Dei amans Regina Elisabetha ab ineunte ætate cum suo Cælesti Sponso deliciabatur; quærens illi soli placere, ideóque ut primùm dilectus illius Conjux Carolus è vita migravit, vinculo Matrimonij soluto sibi à Christo hæc verba: *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me,* dici censebat. Inde sese huic divinæ vocationi ex integro tradidit, vocantíque Sponso ardenti amore obviam processit, omnem ei fiduciam, fidémque pollicita, etiam cum eodem his verbis sponsalia contraxit: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Exinde absque mora cor suum à mundi illecebris abstraxit, & tametsi non deforent Regiæ occasiones statum immutandi, matrimoniúmque reiterandi; nullum tamen Regem tantæ dignitatis in universo atque Christum Jesum agnoscere voluit; omnes mundi carnísqne voluptates Numinis amore exuta, omnem pompam, fastum & splendorem aspernata à vigesimo ætatis suæ anno, per octodecim residuos viduitatis annos Castitatem Divinâ protegente gratiâ illibatam conservavit. Quàmvis spectato mundo de juventute, de formæ pulchritudine, de opulentijs, de dignitatibus,

Mundi nuptias spernit.

tibus, de prudentia, déque jis, quæ filij hominum magni faciunt & amplectuntur, nihil deesset, hæc tamen omnia nihili duxit cum Apostolo corde semper revolvens: *Omnia æstimo ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Et (quod stupendum est) nulla huic Pientissimæ Reginæ Elisabethæ tribulatio, nulla adversitas poterat accidere major, quàm si quid huic sancto proposito adferretur in contrariũ; imò siquando de reiterando matrimonio mentio fiebat, illa cordolium sentire, alterari, & deliquium pati solita est, quod Pragæ diversis vicibus in præsentia Augustissimi Patris Maximiliani secundi & Augustissimæ Matris Imperatricis Mariæ, cùm huic Pientissimæ Elisabethæ matrimonium persuadere niterentur; evenit.

Mũdi nuptias spernit.

Accidit ut vice quâdam Viennæ 15. Junij (vigilia erat sanctis Martyribus Joanni & Paulo sacra) iteratò de matrimonio reiterando literas à suo Augustissimo Patre acciperet, ijs perlectis ad suum Cœnobium se recepit, ubi in ambitu propè chorum, copioso lacrymarum imbre profuso in deliquium corruit; dúmque à sacris Virginibus refecta ad se rediret, cum fervore & lacrymis „in has voces prorupit: testes mihi sint hi duo Sancti Joannes & „Paulus, quòd me nemo ad reiterandum matrimonium ampliùs „inducet. Et quia brevi pòst scilicet 23. Julij (vigilia sanctæ Christianæ erat) ab ulteriori ineundi matrimonij molestia à suo Augustissimo Patre liberata est, eam Vigiliam singulis annis in gratiarum actionem, in solo pane & aqua jejunando transigebat.

Vidua adhuc in Francia animam suam Christo sponso suo tam forti vinculo adstrinxit, ut Germaniam & Austriam Patriæ solum ingredi nollet, nisi à suis Augustissimis Parentibus scripto fuisset assecurata se imposterum ab omni reiterandi Matrimonij molestia fore liberam. Literas has velut pretiosissimum thesaurum in suo scriniolo, claviculâ ad collum appensâ, quàm solicitissimè asservabat.

§. IV.

De Charitate in Pauperes.

MIsericors Regina Elisabetha verè cum Patiente Jobo dicere poterat: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Ita Pientissima Regina à teneris, amorem in Deum, Charitatem in proximum, & quod esset munifica pauperum mater futura, in se prodidit ætate adhuc tenellâ. Mensæ Regiæ assidens clàm jejunabat, aves, carnes assas, artocreas, aliáque quæ gustui grata accipere posset, strophio illigabat

Pauperib⁹ subvenit.

per feneſtras eſurientibus in platea pauperibus diſtribuenda. Cùm verò ejuſmodi occaſio deeſſet, aureos aliquot interea vel argenteos nodos veſtibus ſuis detrahens, per feneſtras pauperibus, qui jam Eleemoſynæ inibi accipiendæ cauſa advenerant, liberaliter projecit. Creſcente illâ, crevit & amor & commiſeratio in pauperes. Eo in pauperes Chriſti amore ferebatur, eóſque ità curabat quaſi ſoli illi, omnis eos ſuſtentandi & conſervandi cura incumberet. Nemo unquam Aulam illius tranſijt; quin pauperes cibo potúque inſuper & pecunia dotatos conſpexiſſet. Primo cujuſvis Menſis die per integrum annum pauperem unum à planta pedis uſque ad verticem capitis ex integro veſtiri & refici fecit, quod etiam aliàs per decurſum anni pauperibus ſcholaribus præſtitit, ita menſem egenis benefaciendo eſt auſpicata.

In ſingularem Deiparæ honorem ac memoriã, omnibus feſtivitatibus eidem Deiparæ ſacris, pauperes copioſos ad menſam habuit hoſpites, ijsque ſummo cum amore miniſtravit. *Idem* quotannis Sancto die Jovis præſtitit; ejuſmodi pauperibus pedes lavando cum oſculis & largâ eleemoſyna conſolatos dimittendo. Quod ipſum Charitatis officium in Sanctiſsimi Corporis honorem feriâ 5. per totius anni decurſum utriúſque ſexûs pauperes clàm menſæ adhibendo & largam ſtipem erogando exercebat.

Ægros & Carceratus viſitat.

Accedit quòd multoties per annum incognita, in paucorum hominum comitatu Chriſti ſponſi ſui tabernacula, ut puta Xenodochia, carceres, infirmarias, domos lue infectas inviſerit, aſportans ſecum (ut olim Magdalena) pretioſa unguenta, quæ ſciverat ſponſo ſuo neceſſaria, qualia fuêre, fomenta, tela, induſia, linteamina, ſtrophia contegendis vulneribus apta &c. ab unius infirmi lectica ad alterius acceſsit, nudos cooperuit, ſitientibus potum præbuit, jam propè deficientes refecit; afflictos eſt conſolata & ad patientiam adhortata. Hic nullus morbus tam periculoſus, nullus fætor tam enormis, nullus locus tam immundus, quem illa non penetraſſet, quæ etiam contagionis tempore & aliàs homines carbunculis infectos viſitare non abhorruit.

Pauperes veſtit, & cibat.

Die Sancto Joanni Evangeliſtæ ſacro, etiam duodecim pauperes de ſexu virili cibavit, veſtijt, & pecuniâ dotavit. Feſto verò Divi Archangeli Michaëlis die novem viros ad novem Angelorum choros deſignandos, habuit convivas, quibus pro more miniſtravit, & largâ Eleemoſynâ donatos rursùs dimiſit.

Jucundum eſt audire, quî Pientiſsima Regina, ferias anteci-

nerales

nerales insumpserit. Nam eo tempore in cœnobium S. Claræ ad Virgines sacras secessit, quam illæ tanquam suam sororem omni amore sunt complexæ; inibi Regale nomen, dignitatúmque titulos exuta, culinam ingressa, cibis parandis operam suam locavit, quibus aliquot pauperum centurias refecit. Hæc omnia ea intentione fiebant; ut nè divina nemesis mundum (qui nunquam scelestior, insaniórque est quàm tempore illo) sua justissima, debitáque ira plecteret. Itaque ex his pauperibus mediantem, Dei iram inter & peccatores murum efficere intendit. Et quod ampliùs mirandum, nemini pauperum ad Viennam degentium, etsi centeni forent, quidquam deesse voluit, quin imò in modicis etiam redditibus (majores enim redditus bella in Francia potissimùm prohibuêre) magnis expensis in pauperes erogandis nullatenus pepercit, ità quidem, ut quivis suorum Aulicorum existimaverat eam non ampliùs posse sufficere; illa tamen in Deum confidens defectum ipsa pati maluit, quàm pauperibus necessaria non subministrando deesse. Per vicos & plateas imò & Civitates quatuor ab urbe dissitas milliaribus, Ministros suos ad convocandos pauperes abire fecit, quo liberali dextrâ egestate pressos posset sublevare.

Specialem gessit curam inquilinorum, ejsque omni ex parte prospexit. Captivos & carceri mancipatos, non modò cibo potuq; recreavit, sed & vitam apud Augustissimos Fratres interveniendo servavit, aut certè mortis sententiam in mitiores pœnas commutavit. Pro coronide sui in pauperes liberalis animi notandum venit, quòd eorum in Regio testamento meminerit & quantúmvis in eo sanxerit: centum personas virilis, sexaginta tres muliebris sexûs & nonaginta novem juvenes novis vestibus (quarum quævis pretium 10. Rhenensium adæquaret) induendas; nullatenus tamen id in pompam sive funeris sui magnificentiam, sed solùm in Eleemosynam factum voluit; unde sanctissimè vetuit, nè funus ullo modo in longius tempus, quàm in quinque dies more Ordinis protrahatur, atque ità elapsis his quinque diebus cadaver mox terræ mandandum, vestésque pauperibus primò persoluto funere distribuendæ essent. Per Testamentum favet.

§. IV.

Quomodo Regina Elisabetha S. Claræ Cœnobium Viennæ fundaverit.

QUibus Pientissima hæc Regina in suis ad Deum precibus flagra-

flagrabat, eodem amoris igne ardebat, ut ad amandũ Deum viam facilem aperiret. Hinc pro triginta Virginibus anno 1582. Cœnobium cum templo non modicis expenſis extrui fecit, magnam Regiorum cimeliorum partem in id expendendo, ac pro poſſe dotando, in quo Cœnobio per diem noctémque ſolùm Deo laudes decantarentur. Modò verò numerus virginum ad quinquageſimum aſcendit, quæ hoc loci indefeſsè Deo laudes concinunt.

Cœnobiũ fundat.

Eodem hoc amoris divini æſtu inflammata in Caſtro Pragenſi vetuſtam, ac igne prope conſumptam, temporúmque injuria deſertam Collegiatam Eccleſiam Omnium Sanctorum, ad omnem magnificentiam, & ſplendorem renovari fecit. Viennæ verò ad ipſum Monaſterium pro ſe ſuáque aula domum comparavit; & pro amore, quo in Monaſterium à ſe erectum ferebatur, voluit aſſiduè devotioni ſacrarum virginum, & earum pietatis exercitijs intereſſe. In triclinio ſæpius ſe cum ijſdem refecit, diverſiſque per annum vicibus virginibus menſæ aſſidentibus magnâ humilitate, & materna dilectione inſerviebat. *Sorores* morbo laborantes ardente charitate inviſebat, ac ſolabatur, *déque* ijs, quæ deeſſe intellexerat, maternâ curâ proſpexit. Ad ſorores Agonizantes ſemper acciri voluit, ſempérque funera eſt comitata. Numquam Cœnobium vacuis manibus ingreſſa, quin aliquid ad ſolatium aut ſubſidium corporale ſubminiſtraret.

Pragæ Collegiatam reſtaurat.

Monialibus intereſt.

§. VI.

De jejunio Pientiſſimæ Reginæ, ferventi fide ac humilitate Eliſabethæ.

QUartâ feriâ Sabbathoq; per totius anni decurſum præter alia ab Eccleſia conſtituta jejunia, rigidè jejunare amabat, demum cum feriâ quartâ ex conſilio medici aliquid calidi ſumere perſuaderetur, diebus Veneris & Sabbathi ab ovis alijſque *lacticinijs* abſtinebat, ſtudebátque ſua bona opera oculis hominum ità occulere, ùt etſi menſæ accumberet, de cibis tamen modicum quidpiam ſumebat, ut Naturæ magìs moveret orexim, quàm famam abigendo confortaret.

Jejunijs addicta.

Cœnobium divæ Claræ Viennæ magnis expenſis extructum, ùti & vetuſta è ruderibus quàm magnificentiſsimè reſtaurata in caſtro Pragenſi Omnium Sanctorum Eccleſia, luculentè fortem, & zeloſam Pientiſsimæ Reginæ manifeſtant fidem; & quòd hanc fidem primævam, nullámque aliam omnibus diebus vitæ ſuæ, præſertim in ſua Regia viduitate, radicari ex toto corde deſidera-

desideráverit, probant complures docti, ac probi Sacerdotes, quos velut suos Alumnos ex suis sumptibus eam ob causam apud Patres Societatis Jesu Viennæ aluit, ut ij in vinea Domini, concionando, docendo, admonendo, increpando, confessiones excipiendo, errabundas oviculas in ovile Christi reducendo, sedulò studioséque laborarent, atque ita Talenta sua sibi à Deo concessa quàm fructuosissimè impenderent.

Cum zelo Divino flagrans Regina intellexisset, dari pupillos & orphanos, qui fortè heterodoxè crederent, vel qui quidem orthodoxi, sed veniente tempore Parentum Cathòlicorum defectu à fide vera apostatarent, eorundem curam mox suscepit & educare jussit. Præterea ad suæ orthodoxæ Romanæque fidei confirmationem, omni peregrinationi, in & extra Patriam peregrinorum more interfuit, & si quando ejusmodi peregrinationes ipsa in propria persona peragere non posset, id per suos delegatos cum copiosis muneribus præstari voluit.

Pupillos fovet.

Perigrinatur

Sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum ad stabiliendam suam fidem orthodoxam, conscientiâ prius sacrâ exomologesi expiatâ, singulis quatuordecim diebus, tempore verò adventûs quavis hebdomade, & in ultimo agone binis vicibus devotissimè suscepit.

comunicat.

Ea humilitatis profundissimæ specimina edebat Elisabetha, ut quidquid ageret secundùm doctrinam Christi se servum inutilem existimabat, & cum Paulo pro primo Peccatorum se reputabat, & quidquid bene egisset, id totum Divinæ gratiæ adscribebat, cordi suo illud dictum S. Pauli altè insculpendo: *Dei gratiâ sum id, quod sum.*

Hæc profunda humilitas in Christianissima Regina clarissimè & specialissimè reluxit, nam in omnibus actionibus primam, & maximam peccatricem se reputabat, unde suæ conscientiæ arbitro multum sæpius laboris causavit, quando ea omnia, quæ hactenus exercuerat, modica esse & exigua pro Deo facta arbitrabatur. Et dum idem Confessarius ex ea ante obitum quæreret aliquid, quo anxiaretur, in animo sentiret, confestim reposuit: se per Dei gratiam nullius delicti esse consciam, solùm id sibi curas & anxietatem causare, si sic moreretur, ut justa & pia habeatur, atque adeo paucióres preces & suffragia sit habitura, se enim verò esse pauperem peccatricem, & egentem misericordiâ & gratiâ Dei. Quamobrem intimè supplicavit, ut post suum obitum ad Deum preces funderentur, in testamento suo ordinando: ut Cla-

riſſæ ſorores ſuæ per integrum annum ſingulis diebus ſub veſperum vigilias Fidelium Defunctorum decantarent, matutino verò tempore Exequijs ſeu Sacrificio Miſſæ devotiſſimè intereſſent, ſuíque (ut olim D. Auguſtini Mater Beata Monica â ſuo filio deſideraverat) in eodem meminiſſe dignarentur, ſingulariter autem proſpicerent, ut die depoſitionis ſuæ omnes Sacerdotes, quotquot in Civitate haberi poſſent, ad ſacrificium Miſſæ celebrandum accirentur. Hac de cauſa omnia ſua bona opera, quantũ poterat occultabat, imò ſummopere indoluit, ſi quando de ijs fieret mentio, atque ità in hac humilitate ſua pientiſſimè obire optabat, & tametſi Rudolpho II. Cæſari cum Sereniſſimis Archi-Ducibus Mathia & Erneſto viſum ſit ſorori ſuæ Regiâ pompâ & ſolemnitate parentare, memorata tamen humilis Eliſabetha in vita oretenus, & poſt mortem in memorato teſtamento illud unicè ſcriptô efflagitabat, nè ſe aliter quàm in lignea tumba conderent, terráque tumularent, neque ſupernè Mauſoleum extruerent, ſed ſolùm lapidem nulla parte illuſtrem *ſepulchro* ſui imponerent, corpus neque anatomicè ſecarent, neque *balſamo* ungerent, ſed ſicut illud Deo conſecravit, ità immutatum, veſtitu ſuo vili, & quotidiano indutum, vermibus in eſcam relinquerent. Illud ſibi inſcribi voluit, quod in vita ſemper præ oculis habuit. *Peccantem me quotidie & non me pœnitentem timor mortis conturbat me: quia in inferno nulla eſt redemptio, miſerere mei Deus, & ſalva me.*

Videt S. Franciſc. Narraverat ſubinde Eliſabetha ſe Divum Franciſcum Seraphicum habuiſſe ſpectabilem, atque ab eo fuiſſe conſolatam: addidítque faciem illius talem omninò fuiſſe, qualis eo tempore in quadrata tabella depicta Viennenſi in Cœnobio erat in veneratione, habitum verò fuiſſe cinerei coloris & lucidioris, quô hiſce temporibus Ordo Minorum uti conſuevit.

§. VII.

Alia ſigna ſanctitatis, & quàm grata Eliſabetha Deo extiterit.

Signa ſanctitatis. PRimam ejus Monaſterij Abbatiſſam, cui nomen Urſula de Kühebach, anno integro morbus lectulo affixam diſcruciabat, ità ut nunquam abſque ſororum adminiculo ſeſe erigere, minùs ſurgere valeret; hæc tamen illico ſinè humana ope ſana validáque ſurrexit, eadem ipsâ horâ & momento, quô anima Eliſabethæ ad cœleſtem ſponſum evolavit.

Miſſum

miſſum, donatúmque erat Monaſterij Abbatiſſæ à Regina Hiſpaniæ olens Roſarium cum appenſa divi Franciſci effigie, quod ab Abbatiſſa Sereniſſima Mediolani Princeps Archi-Duciſſa Auſtriæ flagitans obtinuit, in cujus vicem eidem Abbatiſſæ centum Rhenenſes dono dedit; quibus illa Crucifixum comparavit, & biennio poſt pientiſſimæ Reginæ obitum, in Choro Monaſterij rectè & æqualiter affigi fecit, qui & continuò rectus manſit.

Cùm verò Urbs & Chriſtianitatis antemurale Jaurinum in Ungaria à Turcis occuparetur; inſtitutæ ſunt in hoc templo quadraginta horarum preces, tunc Virgo quædam ex defunctæ Gynæceo ſuperſtes Nomine Magdalena ſub orationis hora vidit illum Crucifixum paulatim ſeſe ad Eliſabethæ oratorium convertentem, qui & hodie eodem ſitu cum admiratione conſpicitur, ita ut tota Crucis facies ad ſuæ Majeſtatis oratorium, corpus verò & oculi directè ad ſepulchralem defunctæ lapidem converſi videantur.

Georgius Sereniſſimi Archi Ducis Maximiliani Archi-Magirus ob diuturnam corporis conſtipationem & acutos dolores Anno 1616. animam jamjam exhalaturus jacebat depoſitus à Medicis, omníque ope humana deſtitutus. In hac extrema neceſſitate format ille ex cera annulum, ſuóque corpori circumponit; eúmque illi Crucifixo per alium conſecrat, hoc facto, intra dimidiæ horæ ſpatium ſalvus & incolumis evaſit, ac die inſequente cum Sereniſſimo Archi-Duce Neo-ſtadium profectus, omnia artis ſuæ coquinariæ munia utì aliàs obire cœpit, quod ipſum infrà dicemus manu propriâ & ſigillo firmatum dedit Dominus Joannes Rudolphus de Wolffſtirn ſuæ Majeſtatis Conſiliarius &c.

Propè anno 1612. cùm quiſpiam è D. Franciſci ordine Religioſorum Capiſtranus nomine, in illius Monaſterij æde ſacra Viennæ, Poloni energumeni ageret exorciſtam, adfuit quoque Sacerdos Eccleſiaſticus, quem malignus ſpiritus nullatenus pati voluit prætendens, quòd haberet apud ſe ligni fragmentum, quod ſibi valde eſſet contrarium, dúmque ab Exorciſta rogaretur, quid apud ſe geſtaret? fragmentum ligni, quod ex devotione à cruce paulò antè appoſita deſumpſerat, oſtendit, aliud nihil ſciebat ſe habere. Pater verò energumenum à ſpiritibus malignis liberavit, & cum conſolatione in Poloniam remiſit.

Anno obitûs ſui 15. Octob. cum ſub ſacro Offertorium decantaretur in eodem ſedili, quod aliàs in vivis occupare orationis tempore conſueverat, vivaciter itáque veſtita, ſicut dum vi-

veret, solùm in facie formosior, hilariorq; à sorore Constantia de Angelis est visa, sed ultra salutem Angelicam hanc intueri non licuit, gratâ hâc specie oculis mox subductâ.

Cùm anno 1613. contagio multùm grassaretur, & non tantùm Domos sæcularium sed & propè omnia Religiosorum & Religiosarum Monasteria occupâsset: anxius multùm erat Eximius Doctor Bucher Præpositus & Parochus ad S. Michaëlem cum suo Capellano, nè & ille inficeretur, cùm & ille & Capellani ad diversos infectos accedere, iisque Sacramenta administrare cogerentur; idcircò specialem sibi in Cœlis Patronum in hoc negotio deligere intendebat, per cujus intercessionem, & ille, & sui ab hac fæda contagione præservarentur.

Dúmque ejusmodi cogitationibus inhæreret, occurrit illi pientissima Regina Elisabetha, fundatrix suprà memorati Monasterij Divæ Claræ Viennæ, confestim itaque ad ejusdem sepulchrum sese confert, inibi precibus vacat, séque ex corde & animo illius intercessioni & Patrocinio commendat, quod dum ageret, ut Clarissarum Confessario Patri Paulo Weiher fassus est; aliquid super sepulchro ejus reperit, secûmque domum suam tulit & durante infectionis tempore pro se suísque Capellanis adhibuit, itaque ab omni contagione immunes mansêre, quod unicè Patrocinio Pientissimæ Reginæ adscripsit, nunquam tamen adduci potuit, ut manifestaret quid super lapide sepulchrali invenisset.

Anno 1618. festo Divæ Claræ die ad Concionem dixit Reverendissimus Casparus de Questenberg, Abbas in Regia Ecclesia Monasterij in monte Sion, vulgò Strahoff nuncupato Ordinis Præmonstratensis, qui palàm omnibus confessus est; quanta beneficia sibi per pientissimæ Reginæ patrocinium à Deo fuerint concessa.

Instabat Helena quædam Reichitzeriana Anno 1616. Viennæ in diversis Monasterijs, & in Ordinem suscipi anhelabat, at ubíque repulsam est passa, quo vehementer contristabatur. At vice quadam spectabilem ipsi se reddidit pijssima Regina Elisabetha fundatrix Regij Monasterij, eamq; est consolata his verbis: Iret in suum Monasterium, inibíque in nomine suo in ordinem suscipi peteret, quod si faceret, certo certiùs confideret se suscipiendam. Obtemperat Helena, Monasterium adit animata, instat pro ordine in Nomine Elisabethæ, & suscipitur. Dúmque hæc induenda in Monasterium induceretur, conspicata Reginæ Elisabethæ effigiem in has voces erupit: hæc est Domina; quæ se mihi reddi-

dit

dit ſpectabilem,& hæc me huc ablegavit. Helenæ huic in año probationis conſtitutæ rurſus Dei amantiſſima Eliſabetha comparuit dicens: deduxi te in Monaſterium & brevì te iterum educam: ideóque te ad mortem fac diſponas, tertio igitur die pòſt in morbum incidit, & paucis pòſt diebus, feliciſſimè ad ſuum Cœleſtem ſponſum evolavit. Hæc omnia ex Manu ſcriptis fide dignis, quæ in Monaſterij Archivo aſſervantur, deſumpſiſſe lectori ſit ſatìs.

CAPUT IX.

Iſabella, Clara, Eugenia, Belgij Gubernatrix, Infans Hiſpaniæ, Tertij Ordinis S. Franciſci filia.

NAta eſt hæc Auſtriacâ ſoboles anno ſupra milleſimum quingenteſimùm ſexageſimo ſexto, die 12. Auguſti Segobiæ in Hiſpania. Patrem habuit Philippum II. Hiſpaniæ Regem; Matrem Iſabellam Henrici II. Regis Franciæ filiam. Luſtrata ſacro fonte à Pontificis Nuncio Joanne Baptiſta Caſtaneo, qui poſtea Urbanus ſeptimus dictus eſt. Iſabellam ab Iſabella matre, Claram à Diva Clara, cujus natali die lucem aſpexit; Eugeniam ab Eugenio Toletano quondam Epiſcopo, cùm ſacro illi die baptizaretur, appellaverunt. Crevit autem in Regia parentis aula, tantaque curâ ac ſedulitate educata eſt, ut Chriſtianos mores, virtutem omnem, ac honeſtatem pœnè citiùs, quàm nutricis lac, imbiberit, nec ullis in tam clara ſanctiſſimæ diſciplinæ luce vitiorum illecebris unquàm ſit corrupta. Vix adoleverat, & jam illam Hiſpani cor ſuum & delitium appellabant, cúmque eam intuebantur, videre ſe virtutis effigiem ipſis Angelorum manibus & divino quodam artificio expreſſam arbitrabantur. Eminebat enim & jam tum apparebat in illa quædam ad omnem virtutem indoles, quæ futuram ejus aliquando ſummæ probitatis & prudentiæ maturitatem ſignificabat. Gravitatē cum curâ, ac facilitate, Majeſtatem cum modeſtia, Dignitatem cum humanitate, Prudentiam cum ſimplicitate conjungebat; nec quicquam in ejus vultu, geſtu, ſermone, inceſſu cernebatur, quod non omnium admirationem excitaret, laudémque mereretur. Ipſe parens plùs illam oculis ſuis amabat; Unde factum eſt, ut per annos circiter viginti ab ejus latere nunquam diſceſſerit. Si quæ eſſent, ut erant frequentiſſimè de rebus graviſſimis & tanti Imperij negotijs conſultatio-

Natalis Iſabellæ, Claræ, Eugeniæ, Parentes.

Educatio.

ſultationes, ſemper aderat, conſulentes audiebat, judicia ſingulorum obſervabat, nec rarò ſententiam etiam rogata cum omnium admiratione dicebat. Imò ea tum omnium confeſsio erat, illam, quâ prudentiâ, quâ rerum uſu, non Provinciam aliquam unam, ſed totam potentiſsimi Patris Monarchiam regere, adminiſtraréque poſſe. Hanc autem præclariſsimam Iſabellæ laudem & ſummarum virtutum gloriam cùm fama per univerſum terrarum orbem diſſeminaret, cœperunt Auguſtiſsimi undequaque Principes oculos in eam conjicere, amorem illi ſuum vovere, conjugem illam ſibi, ſubditis ſuis Dominam optare. Expetivit illam, ut alios taceam, Rodolphus Secundus Imperator, ſed eodem poſtmodum tergiverſante, à patre Erneſto Archiduci ad Belgij gubernacula vocato deſtinata eſt; quo tamen è vivis ſublato, conſilium prudentiſsimus Rex mutavit; cúmque animadverteret quaſdam tum rebelles in Belgio Provincias nec decretâ culpæ oblivione, nec Regiâ benignitate, nec belli damnis patriæque pereuntis calamitate ad officium obedientiámque revocari, dilectiſsimam ſibi filiam Alberto Archiduci, non ſine divini Numinis inſtinctu addixit, Belgicáſque Provincias in dotem conceſsit. Nimirum, ut, ſi fata permitterent, futuræ pacis pignus eſſet, & Regij in Belgas amoris vivum ac ſpirans monumentum. Ita Rex de Belgarum omnium ſalute & de publica Belgij tranquillitate ſollicitus erat. Nec mora; matrimonium inter ambos Anno 1598. Ferrariæ in Italia coram ſummo ſacrorum Antiſtite Clemente VIII. & in publico Principum applauſu contrahitur; Valentiæ demum in Hiſpania coram Sedis Apoſtolicæ Legato confirmatur, Regiaq; magnificentiâ celebratur. Hoc Iſabellæ cum Alberto conjugium inter ſanctiora Conjugia reputatur. Aula utriuſque velut templum, nec meliùs componi Religioſa domus potuiſſet. Nihil in ea luxui, nihil inſolentiæ, nihil levitati permiſſum; omnia Caſtitatem, Religionem, ſanctitatem ſpirabant. Convixit Albertus Iſabellæ ad annum uſque 1621. Interea accidit unum, quod omnis ætas in Alberto & Iſabella admirari debet.

Cùm enim Auguſtiſsimi Imperatores Rudolphus II. & poſtea Matthias Primus fatis conceſsiſſent, Illuſtriſsimíque Germaniæ Septemviri digniſsimam Imperio virtutem Alberti judicarent, ipſe recuſavit; cùm deinde Hungariæ Bohemiæque Regna, ac tot alios ampliſsimos in Germaniæ Principatus hæreditatis jure obtinere potuiſſet, ijs omnibus ſeſe abdicavit, ſed annon Sereniſsimam Conjugem ſuam, quæ illi dotale Belgium attulerat,

aut

aut Imperatricem, aut Reginam facere debuisset? Debuisset sanè; sed vide excelsum animum incredibilem, in tanta fortuna modestiam: non voluit Isabella, & Alberto suo, ut in Ferdinandum Archi-Ducem Regna ista omnia Provinciásque transferret, author fuit. Aliæ diademata sceptráque concupiscunt, hæc contempsit; aliæ maritos ad rapiendos imperiorum fasces insitâ quâdam ambitione compellunt, hæc marito, ut illis cederet, infráque fortunam suam reputaret, persuasit. Quippe non terrarum, sed cœlorum Imperium ambiebat, non se regnorum titulis, sed virtutum ornamentis metiebatur, & cùm Belgas vehementer amaret, satìs habebat solis Belgis imperare. Hunc animum & hanc cœlestem verè doctrinam hauserat à Patre, qui paucis ante mortem diebus, cùm filio Philippo filiæque Isabellæ corpus suum varijs morborum generibus penè excruciatum ostenderet, Aspicite, inquiebat, in hoc afflictissimo corpusculo meo, quàm tenui filo pendeant pompa & splendor magnitudinis terrenæ. Vos ex me rerum humanarum instabilitatem & miserrimam vitæ conditionem animo reputate. Reputavit ipsa quamdiu vixit, & tam altè animo suo hoc auditum à Patre oraculum impressit, ut cùm eam moriturus Albertus ultimis ferè verbis ad suscipienda, quæ deserebat, Belgij gubernacula hortaretur, recusaverit primò, nec nisi sæpiùs cum lachrymis rogata, & ut extremè dilectissimi conjugis voluntati satisfaceret, tandem suscepit, sed animo profectò plusquam virili, & verè divino. Exspirante enim Alberto ipso Beatissimi Francisci festo ex manibus R. P. Andreæ à Soto Commissarij tunc Generalis depositâ purpurâ ac rescissis per Cubiculariam crinibus Sacrum B. Claræ Ordinis Seraphici vestem suscipit. Anno autem sequenti, cùm octavus ejusdem festi dies ageretur, coram eodem Religiosissimo Patre, inque ejus manibus, sororem se Isabellam appellando, recepto more consuetáque formulâ Deo, Deiparæ Virgini, ac S. Francisco solenne votum nùncupatis verbis emisit, seque Rectorum ejusdem Ordinis voluntati, & disciplinæ commisit. Movit forsitan etiam Isabellam ad suscipiendum habitum Franciscanum pijssimus maritus, qui moriens jussit, ut Franciscanorum veste indutus in eadem sepeliretur, ut testatur Laurentius Beyerlinck in suo Theatro titulo: *Religio*: Nicolaus Vernulæus testis oculatus ait Isabellam orbatam viro talem mundo universo se exhibuisse, ut in ipsa nulla virtus etiam, quæ supra sexum ejus erat, desideraretur. Non pietas, non modestia, non prudentia, non fortitudo, constantiáque, non

benignitas, non cæteræ denique virtutes, quarum omnium theſaurus quidam erat locupletiſſimus, & quaſi delubrum. Ac Pietatis quidem ita laudem omnem occupavit, ut vix quiſquam par illi fuerit, nemo ſuperârit; imò ut cum Deo ſæpiùs, quàm cum hominibus agere loquíque videretur. Idcircò cum propter occurrentium negotiorum multitudinem mediam ultra noctem ſæpiùs vigilaret, nunquam tamen ad quietem ſomnúmque ſe componebat, quin duabus ſemper horis, aut tribus aliquando genibus incumbens precibus ac divinis contemplationibus vacaret. Idcircò nullo unquam die rem divinam omittebat; ſupplicationibus publicis ſemper intererat; ad ſacram Synaxin ita frequenter accedebat, ut eâ ſolâ vitam ſuam ſuſtentare videretur. Sanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum incredibili Religionis ardore, qui Auſtriacis proprius eſt, venerabatur, quem ut omnibus teſtatum faceret, quicquid rerum ſacrarum in Oratorio ſuo poſſidebat, ejus Bruxellis Sacello ultimi decreti tabulis conſignavit. Ex ejuſdem Pietate extitit ſingularis illa modeſtia, quòd vi teſtamenti, quod anno 1617. condidit, ante ſanctiſsimi Sacramenti Sacellum mandari terræ voluerit, ut tanquam indigniſsima Dei famula pedibus hominum conculcaretur; nec hanc voluntatem ſuam, niſi poſt Alberti mortem mutavit, ut cum illo propter ſummam vitæ conjunctionem ſepeliretur. Quæ ne publicè exequiarum tempore laudaretur, prohibuit. Quæ in Aula, & in iſta tam excelſæ dignitatis fortuna, non aliter, quàm religioſa quædam mulier in cellula, ſine ullo ſplendore vivebat. Neque enim arcanum ejus conclave periſtromatibus ullis, ſed unâ alterâve duntaxat ſacrâ effigie ornabatur; neque lectus contextis auro vel ſericis ornamentis, ſed levi tantùm panno vix aureis ſex æſtimato, ac ſine fimbrijs tegebatur, cingebatúrque. Ad pauperum pedes Celſitudinem ſuam quotannis proſternebat, & ſuis ipſa manibus Chriſti exemplo lavabat. Ad titulum Sereniſsimæ rubore ſuffundebatur oculis in terram dejectis, quoties talis nominabatur. Quæ & quanta pauperibus præſtabat, difficilè eſt explicare. In eum finem erecta hoſpitalia, Virgines pauperes non tantùm ejus munificentiâ veſtitæ, ſed etiam honorabiles nuptias liberalitate ejus conſecutæ. Porrò Eccleſiarum tantam curam geſsit, ut vix aliqua in Belgio ſit, quam non ædificâſſet, renovâſſet, vel pretioſis donis exornâſſet. In Deiparam amoris argumenta propè infinita dixerim. Quæ cùm illi immortalem in terris gloriam compararent, tum inaurata chlamis illa comparat etiamnum,

quam Divæ Virgini Lauretanæ dono misit, in qua præter adamantes & gemmas alias innumeras viginti majorum Margaritarum millia numerabantur, cujúsque pretium triginta aureorum millia excedebat.

De Aspricollensi Laurentius Beyerlinck in Magno Theatro vitæ humanæ titulo: *Devotio*, extollendo quarundam personarum devotionem hæc in laudem Isabellæ memorat. Reliquis Heroinis, inquit, addi meritò potest Isabella, Clara, Eugenia, Brabantiæ Ducissa, Alberti I. cognomento Pij uxor, quæ sumpta à sua stirpe pietate, pleráque ornamenta sua contulit Virgini Deiparæ, ejusque Ædi in Aspricolle, quam maritus ejus impulsu ante paucos annos ædificari jussit, & paucis ante mortem hebdomadibus religiosè visitavit. Atque inter alia, vestem pretiosam auro ac Margaritis intertextam manu suâ adornavit, quâ diebus solennibus imago ibidem miraculis clara, ut quæ Deus per filij sui matrem ibidem indies operatur, circuminduitur.

Ad easdem sacras ædes, tum ad Divam Hallensem, & Fojensem quot annis, mensibúsque ferè singulis cereas coloris albi candelas suis mulis, quantum opus erat, transmittebat. Ejusdem devotione factum, ut quoties ad aliquem locum, Divæ Virginis præcipuè, peregrinaretur eam XII. Virgines honestissimæ anteirent. Adibat autem quotannis magno Religionis affectu plurima loca Deiparæ consecrata, & munera aurea argenteáque & sacras vestes, quas plerúmque suis ipsa manibus conficiebat, offerebat. Imaginem Sodalitatis Nominis Mariæ Bruxellis vestiri splendissimè supremis tabulis decrevit.

Propter festum gaudiosæ Annuntiationis XII. pauperibus cibũ solita est quotannis præbere. Cibo refectos vestibus donabat, indusia, aliáque vitæ necessaria largiebatur, additâ singulis bursâ cum aureo nummo trium florenorum. Ad extremum eos Rosario impertiebat, ut sic eos ad Beatæ Virginis cultum induceret. Quæ eadem pietatis ac munificentiæ exercitia in honorem Christi repetebat die Jovis Sancto.

Ut suam erga dulcissimum Mariæ nomen affectionem testatam faceret, & patrocinio gaudere posset, Urbano VIII supplex facta est, petijtque institui Festum sanctissimi Nominis Mariæ in Belgio, uti ex adjunctis ejus literis, quarum apographum Anno 1625. recitabimus, patebit.

Unum illi in vita votum erat, in eas omnes Europæ nostræ Provincias reductam Christi fidem intueri, quæ aliquando Sedis

Apoſtolicæ authoritatem agnoverunt. Idcircò cùm ei ſemel nuntiatum eſſet, religioſi cujuſdam viri operâ nonnullos in extremis Scotiæ finibus Religioni noſtræ rurſum aggregatos eſſe, & in tenebris ſuis veritatis lumen aſpexiſſe. O utinam, inquit, virum illum videre mihi contingat, qui tam feliciter pro Deo meo laboravit! Quod cùm diceret, geſtiebat gaudio & Celſitudinem ſuam riſu aliquo ſerenabat. Ita ſingularis in Deum charitas imis viſceribus ejus inuſta ad conſervandam propagandámque Chriſti Religionem pectus ejus accendebat. Idcircò Duaci, Audomaropoli, & in alijs Belgij locis ſtudiorum Seminaria ejus authoritate ſunt conſtituta, ut in ijs externa juventus Chriſtianis moribus & diſciplinis imbuta in Scotiam, Hiberniam, Angliam, deinceps ad Religionis culturam tandem emittatur. Hanc verò, ut in his Provincijs ſuis florentem ubíque retineret, eam ſemper ſedulam admodum curam adhibuit, ut in Eccleſiarum Cathedris conſpicuos doctrinâ & moribus Epiſcopos conſtitueret, Cœnobijs Archimandritas optimos præficeret, ad alias Eccleſiæ dignitates eos vocaret, quos ſacrorum virorum ſuffragium idoneos, & famâ ipſâ digniſsimos judicaret. Qua in re nunquam certè voluntate lapſa eſt, cùm neminem Eccleſiaſtica dignitate condecoravit, cujus vitam non penitus introſpexerat, aut ſinceræ commendationis teſtimonio cognoverat. Quantum autem eſt, quòd ſingularem ſemper ordinibus Eccleſiaſticis honorem exhibuit, & exhiberi à ſuis imperavit? quòd Eccleſiæ jura perpetuò conſervavit, nec ea imminui unquam eſt paſſa? Quantum eſt, quòd aſſiduè ſacros Antiſtites monuit, ut ad animarum curam viros optimos doctiſſimóſque promoverent, nulla in ijs pernitioſa vitia paterentur, & ſi quæ fortaſſis diſſidia nonnunquam exorirentur, ea quàm primùm authoritate ſuâ componerent? Quanquam non integram tantùm, ſed etiam cum ſplendore religionem eſſe volebat; atque idcircò tot templis Divorúmque delubris ſacras veſtes, aliáque pretioſiſſima divini cultûs ornamenta donabat, & ad piam ejuſmodi liberalitatem quàm plurimos excitabat. Audeo dicere, ita eam in ornanda religione ſollicitam fuiſſe, ut id Belgio ſuo deeſſe noluerit, quod in alia orbis parte efflorеſcere intelligebat. Deerant excalceati Carmelitæ; hos & ejuſdem Ordinis Virgines accerſivit, multíſque in locis, ac potiſſimùm Bruxellis, & in Marliana prope Namurcum ſylva, domos illis, annuáque vectigalia conceſſit. Deerant qui Beati Franciſci de Paula inſtitutum ſequentes Minimi dicuntur; hos evo-

cavit

cavit, & in Regia Bruxellensi Urbe constituit. Deerant severioris instituti observatores Franciscani; his in Belgium viam aperuit & recepit. Deerant, qui primos religiosæ disciplinæ Ordinis ad severiorem vivendi normam revocarent; hos invitavit, & Celsitudinis suæ authoritate protexit. Quid dicam de ijs virginibus, quas Annunciatas vocamus? illas non tantùm in omnibus ferè Belgij civitatibus esse voluit, sed earum, sicut & Carmelitanarum in Regna alia & in Poloniam usque, colonias quasdam duci curavit.

Neque vivi tantùm homines incredibilem illum Isabellæ erga religionem affectum viderunt, verùm etiam vitâ functi Principes, quorum cineribus dignos tumulos, & immortali gloriæ duratura semper monumenta, ita volente quoque Alberto Archi-Duce, posuit, senserunt. Posuit Furæ Antonio, Joanni Quarto, Philippo minori Brabantiæ Ducibus, posuit Bruxellis Joanni Secundo, & Balderico Comiti, posuit Luxemburgi Joanni Bohemiæ Regi. Pia in demortuorū corporia.

Quanta pietate in defunctum maritum vixerit Anno 1621. dicemus. Hìc tantùm innuimus eam pro refrigerio animæ Pijssimi Alberti imperâsse celebrari sacrorum quadraginta millia, ac per triginta continenter dies quotidie sacris decem ipsammet adstitisse. De ea Hadrianus Lyræus Libro V. Capite IX. de imitatione Jesu Patientis refert nocte postremâ cujusque anni lampadem jussisse accendi coram eburnea Christi in Crucem suffixi effigie juxta lectum collocatam; ut cùm Calendis Januarij evigilaret, primum obtutum cogitationèmque jaceret in Christum è Cruce pendentem, eámque mentem deinceps, quòad liceret, toto anno conservaret. Legisse poterat pijssima hæc Princeps, quod olim Cælestis Sponsus dilectissimæ Sponsæ suæ Catharinæ Bononiensi in hæc verba legitur esse prolocutus: *Tibi ergo*, inquiebat, *Catharina, ut majorem quàm antehac à me ineas gratiam non dies elabatur, quo non ùti cœpisti, animum ad Passionem meam convertas, & alios, ut id præstent, cobortare, si mihi rem gratam sibíque utilem, jucundámque facere velint.* Cætera quæ de Pietate Isabellæ Scriptores referunt nobísque hactenus innotuerunt consultò in annum 1598. & subsequentes, quibus cum Alberto & in statu viduitatis vixit, differimus, & mortem quæ in annum 1633. incidit breviter perstringemus. Vix redierat sexto Calendas Decembris è Luchensi Deiparæ delubro, in morbum incidit, qui cùm paulatim ingravesceret, moneretúrque ipsa, ut ad supremum diem sese præpararet,

nihil vultu mutata; nihil de solita animi tranquillitate remittens Sacramentis Catholico ritu muniri summâ mentis Serenitate postulavit. Recipit flexis in lecto genibus Sacro-sanctam imprimis Evcharistiam, sacro oleo deinde ungitur; quo tempore cùm domestici omnes suspirijs lachrymísque totam Aulam replerent; ipsa pacatissimo animo ad mortem, tanquam ad somnum, sese componebat. Cúmque aliquamdiu vox illi defecisset, rogata à Confessario suo, num ipsam erratorum vitæ pœniteret, omnino, inquit, & vehementer pœnitet. Addebat ille, fore ut è lecto propter ingentia virtutum merita mox in cœlum evolaret, sed ipsa, non mereor, inquit. Ac pridie quidem mortis vocatis ad se domesticis omnibus matronis ac puellis, si qua in re eas unquam offendisset, veniam efflagitavit. Hærebant muta omnium ora animíque, ipsa verò solabatur eas, animum addebat, & valedicebat. Fuit certè illa ejus, quæ aliorum Principum esse non solet, felicitas, quòd cùm animam ageret, astiterint ei Maria Medicea Mater Ludovici XIII. Galliarum Regis, & Ducis Aurelianensis; Margaritha Lotharingici sanguinis Princeps & Ducis Aurelianensis uxor; quibus omnibus ubertim collachrymantibus pro eorum meliore fortuna Deum se deprecaturam promisit. Vix autem exortæ erant Decembris Calendæ, obijt Isabella; illo ipso die, quo anno supra millesimum quingentesimum trigesimo Margarita Austriaca Maximiliani Primi Cæsaris Filia, & Caroli V. Imperatoris amita, Belgij quondam Gubernatrix Mechliniæ è vivis excessit. Ad Isabellæ excessum Bruxella, clausis per dies aliquot officinis, tabernísque dolorem suum est testata. Cùm fama verò triste nuntium partes in omnes evulgaret; vel ipsi hostes affectum suum testati sunt. Henricus Nassavius Auriacus Princeps, percepto mortis ejus nuntio primùm attonitus ac postea retrocedens: *Obijt*, inquit, *hujus Orbis Principum maxima optimáque.* Nec animum Illustrissima ejus uxor ita potuit dissimulare, quin madido leviter vultu, optavisse se diceret, ut compositis aliquando bellis tandem Principem invisere, & affectum pro exhibito sibi affectu testari posset. Illa verò Serenissimi Angliæ Regis Soror & Friderici Palatini vidua nomine Elisabetha non indoluit tantùm, verùm etiam tot acceptorum beneficiorum memor multis cum lachrymis matrem se amisisse proclamavit. Quibus titulis à morte Isabella à diversis Scriptoribus condecorata sit & quæ Judicia Magnorum Virorum de illa fuerint, in obitu ejus exponemus.

CAPUT X.

Vita Agnetis filia Alberti I. Cæſaris.

NUlla vim chronologiæ inferemus, neque contra inſtitutum noſtrum agemus hoc loco vitam Agnetis filiæ Alberti I. Cæſaris deſcribentes. Jam enim à morte Parentis in Cœnobio Königsfeldenſi pijſſimè vixit & Anno Chriſti 1364. pientiſſimè expiravit. Antonius Stöckler à nobis in ingreſſu ad vitam Margaritæ Auſtriacæ citatus Agnetem non ſolùm habitum S. Franciſci Seraphici induiſſe, ſed etiam profeſſionem ſolennem emiſiſſe; nos tamen ab hac ejus opinione recedemus fulti vitâ manuſcriptâ, quam in uno Codice grandi manuſcripto inter manuſcriptos Codices Hiſtoricos Bibliothecæ Domûs profeſſæ Societatis Jeſu Viennæ reperimus. Cùm enim enucleatè præcipua & propè ſingula, quæ Agnes gerebat, in vita illa memorentur, nulla autem mentio ſolennis profeſſionis fiat, neque aſſumptæ veſtis, quam Tertij Ordinis S. Franciſci Filiæ aſſumere conſueverunt, & præſumendum ſit, Scriptorem rem tanti momenti haud omiſſurum fuiſſe; nos, ne veritati Hiſtoricæ vulnus aliquod impingamus, ejus vitam prout ex Germanico idiomate translata eſt ſubnectimus. Honore tamen nequaquam fraudabitur ſacerrimus & de Eccleſia meritiſſimus Ordo Seraphicus ex contraria noſtra ſententia. Luculenter enim conſtabit ex ſequentibus qualiter Tertij Ordinis filiam vitâ ſuâ Agnes expreſſerit, honorificúmque ſibi duxerit ſub eodem tecto cum Clariſſis vivere, apud illas mori & quod etiamnum fieri ſolet fortè in habitu Clariſſarum ſepeliri. Quodſi nobis alia hac ſuper re notitia obtigerit lubentes opinionem noſtram corrigemus.

Utrum Agnes fuerit Clariſſa, vel Tertij Ordin. S. Franciſ.

Agnes Alberti Regis filia ſecundò genitâ, Andreæ Ungariæ Regis conjux: hæc à teneris annis in domo paterna devotioni, alijſque pijs operibus mirùm erat dedita; & licèt in flore adhuc eſſet ætatis, virtute tamen, ac rerum divinarum ſcientiâ annoſos etiam ſenes ſuperabat, nulli rei intenta magis, quàm ſtudio placendi Deo, ejuſque divinæ voluntati in omnibus obſequendi. Matrimonio primùm juncta (a) Domino de Colonna è Romana nobilitate facilè Principi, id precibus ab eo impetravit, ut toto, quo illi convixit tempore, intacta permaneret. Hoc demortuo Andreæ Ungariæ Regi nupſit, cui ob præclaras animi dotes longè extitit chariſſima. Quinquenniô in Matrimonio tranſacto conſiderans vice quadam ſæculi hujus, rerùmque humanarum vani-

Agnetis Pater.

Maritus I.

(a) Juxta Didacum de Lequile vocatus eſt Frider.

Marit⁹ II.

vanitatem obſervavit Mariti Regis conſuetudinem, quotannis Regni ſui potentiam ac majeſtatem palàm oſtentandi, ad quam omnes Provinciarum ſuarum Proceres ſpectandam evocârat: inter quos complures erant infideles, ſectarúmque diverſiſſimarum homines ùt moribus, ità & Religione ſibi diſſimiles: Quod cùm Agnes Regina accuratiùs perpenderet, ac tot tantorúmque æternam perniciem cordi ſumeret, de remedio cogitare cœpit: quare Verbi divini Præcones convocari, præſentibúſque fidei myſteria explanari mandavit; quod ea felicitate, ſimul ac Regis Reginæque ſolatio præſtitum, ut plurimi Chriſtianè vivere edocti vitam ſuam ad legum divinarum Regulam poſthac inſtituerint. Obijt interea Andreas Rex, & Budæ Ungariæ Metropoli apud RR. Patres Franciſcanos, quos Minores vocant, ſepultus. Hìc Agnes vidua occaſionem nacta, orationibus, aliíſque ſacris exercitationibus ſe penitus impendit; corpus nudum veſte cilicina contexit, ſic tamen occultè, ut à nemine obſervaretur. Kőnigsfeldam dein in Monaſterium ſe contulit, ubi cum Virginibus ſuis, quas ex Auſtria ſecum adduxerat, Deo ſoli ſeſe totam conſecravit, veſte non alia uſa, quàm Virgines Religioſæ eo in loco geſtare conſueverant; cum his in choro horas nocturnas tempore decantare, menſæ frugali aſsidere, labores domeſticos peragere. Inter Cœlites ſummo poſt Deum honore venerabatur Auguſtiſsimam Dei Matrem, ejúſque Feſta; horum pervigilia jejuniô, liberali in egenos eleemoſyna, & ſevera corporis teneri caſtigatione, ipſum verò feſtum Cibi Evchariſtici refectione tranſigebat: addicta erat præterea ſingulariter Divis Joanni Baptiſtæ & Joanni Evangeliſtæ, Sanctæ item Mariæ Magdalenæ, S. Agneti & S. Eliſabethæ. Quotidie per Quadrageſimam, extra verò Dominicis ſingulis & Mercurij diebus Sacrâ Evchariſtiâ reficiebatur. Jejuniorum mira obſervatrix; unde diebus Veneris aliíſque nil, niſi modicum cibi frigidi ad conſervandas vires corporis admittebat. A Septuageſima uſque ad Paſcha luctum induta tempus totum cum quatuordecim devotis mulieribus, quas in hunc finem ſibi delegerat, meditationibus, colloquijs pijs ac cantationibus conſumpſit. Ad exemplum Salvatoris noſtri Sacro die Jovis duodecim pauperibus pedes lavit, lachrymis ſuis rigavit, & poſt impreſſa ijs oſcula, liberali menſa ac ſtipe donatos domum dimiſit. Nunquam majori perfundi videbatur gaudio, quàm in Nativitate Domini; ibi nil cogitare, nil loqui poterat aliud, quàm de admirabili hoc myſterio: ad conteſtandum ſuum erga Divinum hunc Puſionem affectum, induſiola

Status viduitatis.

Totam ſe Deo conſecrat.

Virtutes ejus multæ.

la

la curavit quàmplurima, eáque inter parvulos distribuit, ut aliquo saltem modo in his recens natum ac nudum Salvatorem vestiret. Mater erat Virginum Religiosarum Königsfeldæ munificentissima, has non tam temporalibus, quàm spiritualibus cibis fovebat, nunquam in Monasterio visa absque singulari fructu ac solatio sacrarum Virginum, quas verbô & exempló, doctrinâ & adhortationibus ad summum virtutis apicem deduxit. Quod ipsum Privignæ suæ Elisabethæ Andreæ Regis ex alia conjuge filiæ præstitit: hanc ex Ungaria evocatam docuit ipsa primùm, alijs dein erudiendam commisit, ac tandem volentem Virginum Cœtui adjunxit, unáque in dotem præter alia pretiosissima Crucem argenteam centum marcarum pretio constantem Monasterio liberaliter donavit. Operibus misericordiæ totam quantam se impendit. esurientes & sitibundos cibo potúque reficiendo, solando captivos, nudos vestiendo, ac mortuos ad sepulturam ritu Catholico comitando. Post tot, támque præclara omnigenæ virtutis exercitia, permittente Numine gravi morbo est tentata, brevíque eò deducta, ut omnibus priùs optimè provisa, Sacrô demum oleô inungi expetiêrit, ex quo tanta animam suam perfundi dulcedine asserebat, ut verbis explicare haud posset. Restituta nonnihil viribus solùm de Deo loqui, deque rebus divinis voluit, donec tandem crescente morbo, deficientibus sensibus ad extremum deducta, postquam annos vitæ exegisset octoginta quatuor, die Divo Barnabæ Apostolo sacrâ, vesperarum tempore placidissimè obijt Anno à partu Virginis 1364. à Monasterij Königsfeldensis fundatione 64. in quo ejus corpus est tumulatum. Hucúsque vitæ Scriptor, cujus nomen libenter literario orbi publicâssemus, sed modestiæ causâ ab eo intermissum est & solùm titulus sequens utrique Codici præfixus: *Chronicon manuscriptum Austriæ.*

Morbus.

Mors.

CAPUT XI.

Literæ Benedicti XII. Papæ ad Albertum II. Ducem Auſtriæ, ut Ludovicum Imperatorem ad obediendum Sedi Apoſtolicæ reducat. Mors Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ & in eam Pietas Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis.

Mors Joãnis XXII. Papæ. Succeſſor Benedict⁹ XII.

PRæmemorato ãno 1334. ad initium Decembris deceſsit ex hac vita Joannes XXII. Papa nonagenario major; cui celebratis ex Gregorij Papæ X. inſtituto novem diebus exequijs, in vigilia Divi Thomæ Apoſtoli ſucceſsit Cardinalis Jacobus Fornerius, ſive de Furno, quondam Monachus Ciſtercienſis, ſumpto nomine Benedicti ejus nuncupationis vulgò duodecimi. Is ſtatim *poſt ſuam* coronationem nihil duxit antiquius, quàm miſsis ad *Ludovicum* Imperatorem Legatis, qui invitarent eum ad unionem Eccleſiæ. Quàmvis quidam Scriptores ſentiant, miſiſſe primò Ludovicum ſuos ad Pontificem: hunc autem ſpem eis feciſſe reconciliationis, non tamen conceſsiſſe: obſtantibus Regibus Philippo Franciæ, Roberto Siciliæ, & Joanne Bohemiæ atque Cardinalibus. Quidquid de his ſcribant Authores Itali præcipuè & Germani, hoc certum eſt Albertum Ducem Auſtriæ ſalutatum literis Pontificijs, ut Ludovicum Imperatorem ad præſtanda obſequia Sedi Apoſtolicæ adducat. Earum literarum eſt tenor, qui ſequitur.

Rogat Albert. Duc. Auſtr. ut Imperat. Ludovic. ad officiũ adducat.

Benedictus XII.

„Dilecto filio Nobili viro Alberto Duci Auſtriæ.

Literæ Papæ ad Ducem Auſt. *Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad an. 1335.*

„Cum nos, qui licèt inſufficientibus meritis vices illius in „terris gerimus, qui omnes quærit ſalvos fieri, & neminem „vult perire, pericula vereamur quàm plurimùm animarum, „gratum noſtris affectibus exiſteret & acceptum, ſi Ludovicus de „Bavaria vias ſuas, ſeu devia potiùs recognoſcendo, ac quibus & „quantis periculis tam ſua, quàm multorum aliorum animæ pro „factis ſuis expoſitæ ſunt hactenus, & exponuntur quotidie, diligenti meditatione penſando ſuæ ſaluti animæ conſultiùs provi„deret, ad ſanctæ Matris Eccleſiæ devotionem & unitatem, extra „quam non eſt ſalus alicui, vijs & modis debitis redeundo: nam

nos

„nos ipſum, ſi ſic,ut præfertur, redire curaret,ut ſua & aliarum in-„numerabilium perſonarum animæ de faucibus eriperentur æter-„næ damnationis & mortis, reciperemus, prout cum Deo & ho-„nore noſtro & Eccleſiæ poſſet fieri favorabiliter & benignè. Qua-„re, tu fili, eundem Ludovicum, ut ſuam & aliorum multorum „ſalvari procuret animas multis,ùt præfertur, expoſitas periculis, „exinde tibi apud Deum perennis mercedis acquiras præmium,ad „præmiſſa vijs & modis opportunis & debitis inducere non omit-„tas. Dat. Avenione Kal. Aprilis, anno 1. Pontificatûs.

Invitatus pariter Otto Auſtriacus ut ad pium opus hujuſmodi incumberet, inquit, citatus Raynaldus.

Dum autem Otto & Albertus Duces Auſtriæ in tollendis diſſidijs inter Pontificem & Ludovicum Imperatorem laborant, 10 Novembris Wiſſehradi ſuper Danubium tres Reges Carolus Ungariæ, Caſimirus Poloniæ, Joannes Bohemiæ, ejúſque filius Carolus Marchio Moraviæ adverſùs Cæſarem & Auſtriæ Duces fœdus ineunt. Occaſio belli mors Henrici Carinthiæ Ducis. Cùm enim Henricus extremum ſuum clauſiſſet diem, Cæſar præterito Joannis Bohemiæ Regis filio Joanne, qui Margaritam unicam Henrici hæredem habebat uxorem, Carinthiam, Carnioliam, & adjunctas illis Regiones, Auſtriacis fratribus in fidem contulit, ſolâ Tirolenſi ditione Margaritæ relictâ. Joannes Rex autem apud Imperij Principes graviter conqueritur filio ſuo magnam fieri injuriam, ejus uxorem paternâ hæreditate ſpoliari, multíſque argumentis & exemplis cauſam ſuam agit. Reſpondet Cæſar, pro jure ſuo licere ſibi, ditiones abſque melioris ſexûs hærede, ad Imperium revolutas pro ejus commodo, quibus videretur, aſſignare, conſtare ſibi facti ſui rationes & cauſas, eáſque Provincias Auſtriæ vicinas, non alio modo quietiores, & Imperio obſequentiores fore, quàm ſi ab Auſtriacis gubernentur. Hac itaque re offenſus Rex contractis in Bohemia, Moravia, Sileſia, & Miſnia haud contemnendis copijs acerrimam irruptionem in Auſtriam, quà Moraviæ contermina eſt, circa finem Aprilis menſis, Anno 1336. fecit, & nullâ intermiſsâ celeritate, ad Danubium uſque progreſſus, obvia quæque hoſtilem in modum eſt populatus; Polheimio, cui Otto, rebus ſuis in Carinthia firmandis intentus, curam Provinciæ demandârat, cum ſuis, quos ex finitimis locis coactos habebat, quòd ad reſiſtendum impar eſſet, congreſſum omnem vitante. Imitatus eadem re Henricus Bavariæ Dux & gener cum Carolo Marchione Moraviæ in Tirolim cum exerci-

Novũ bellum Ottonis Ducis Auſtriæ.

Gerard. de Rhoo Hiſt. Auſt. lib. 3. pag. 99.

tu abiêrunt: pax cum Ottone Austriæ Duce coaluit, his conditionibus: ut Tirolim Joannes Joannis Regis filius retineret, & partem Carinthiæ ad Dravum flumen, reliquam Carinthiam haberet Otto, sed vicissim Znoymam Carolo Marchioni restitueret. Recruduit postmodum bellum occasione Margaritæ, quæ pertæsa viri, ac veluti ad conjugium minimè idoneus esset ille, mentita, eum repudiavit, & Ludovicum Imperatoris filium thalami & Comitatûs consortem fecit. Quia tamen Albertus II. Ottonis frater, quo mortuo, & postea etiam filijs ipsius Friderico & Leopoldo immaturâ morte defunctis, solus ex Austriacis Principibus supererat, causâ hac vitabat intricari, missis cùm ad Imperatorem, tum ad Bohemiæ Regem Legatis, ut sibi neutri belligerantium parti addictus esse liceret, Provincias suas ab omni turbine belli immunes magno subditorum suorum bono servavit.

Pax Joan. Reg. Boh. cum Aust.

Præmemorato anno 1336. moritur Elisabeth Regina Portugalliæ, anno Jubilei & nostræ salutis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto totius orbis Christiani concursu & applausu ab Urbano octavo agente Philippo IV. Hispaniarum & Indiarum Rege inter Sanctos adscripta. Postero anno Otto Dux Austriæ Cœnobium S. Laurentij pro Canonissis Ordinis S. Augustini Viennæ ad finem perducit. Errârunt igitur qui initium hujus Cœnobij ad annum hunc collocârunt: nam Cœnobij S. Laurentij (nisi quis dicat & probet fuisse distinctum Cœnobium ab eo, de quo hìc sermo est) mentio facta est, ùt suprà insinuavi, in Testamento Friderici Pulchri, quod pijssimus & liberalissimus Imperator anno 1327. condidit. Neque assertioni meæ obstaret, quòd literæ Fundationis ab Ottone Anno 1337. datæ fuissent: nam multis exemplis discimus Fundationum literas, sæpe citiùs, sæpe etiam tardiùs, quàm ædificationes Cœnobiorum expediri.

Mors Elisabethæ Reg. Port.

CAPUT XII.

Alberti II. Ducis Austriæ Zelus in tuendo honore SS. Evcharistiæ. Mors Ottonis Ducis Austriæ.

Seditio in Iudæos concitata.

ANno 1338. In Germania ingentes Judæorum strages editæ, efferatíque sunt in eam barbariem adversùs eos fideles, ut nullo judiciorũ servato ordine sontes insontésve trucidarent. Dedit tumultui occasionem, hostiam in oppido Pulkâ Diœcesis Pataviensis sub paleis sanguine delibutam repertam esse haud procul

Odor. Raynaldus in Annal. Eccles. ad an. 1338.

cul a Judæi domo, creditúmque à Judæis ferro violatam. Perlatâ re ad Albertum Austriæ Ducem, vehementer is æstuare cœpit, an verè sacrata esset hostia, & miraculo divino tincta sanguine, an ab aliquo respersa cruore ad creandam Judæis invidiam, Pontificémque consuluit, quid in ea re agendum videretur. Cui Benedictus rescripsit diligentissimam inquisitionem habendam, eámque se Episcopo Pataviensi commisisse, ut si Judæi consecratam hostiam Christi odio confodissent, traderentur supplicio, vel eo afficerentur impostores, qui magno religionis scandalo id scelus ipsis affinxissent.

Breviùs Spondanus hac de re scripsit: cùm, inquit, in Germania oppido Pulkâ Diœcesis Pataviensis, Judæi de more sceleratissimo in Sacratissimam hostiam bacchati, stillante illâ ex ictibus gladij sanguinem detecti fuissent, multique ab Alberto Austriæ Duce in carcerem conjecti: is Benedictum Pontificem super ijs consulens, responsum accepit; Judæos ut meritis pœnis, si non converterentur, puniret, Sacram verò Evcharistiam debito cultu veneraretur. *Henricus Spondanus in Annal. Eccles. ad eundē an.*

Anno qui sequitur post Christum natum M.CCC. XXXIX. Dux Otto à Civitate Græcio Styriæ, debilis in Austriam est perlatus. Morbo itaque invalescente, & ad prælium mortis, Sacramentorum susceptione, devota confessione, & gloriosi testamenti dispositione se armavit fideliter, executores nobilem virum de Phamberchet, & Udalricum de Bergaw cum constructione fideli deputavit, & confortatus in spiritu libertatis, atque securitate conscientiæ, ulteriùs se non diligere vitam istam, nec velle de cætero superesse voce libera testabatur & commendatis duobus filijs Friderico, & Leopoldo totâ terrâ populis, & familiâ fratri suo Alberto, quarto Calend. Martij transijt, & apud fratres Augustinenses solennibus exequijs tumulatur. Deinde non post longum temporis Religiosus quidam Carthusiensis visionem sibi divinitus ostensam detulit ad Albertum, quâ indicavit purgationi ejus competere omnino, si sinè mora ad locum ipsius fundationis transportaretur, scilicet ad Monasterium Novi-montis, quod & factum est cum devoto, qui ad hoc requiritur, apparatu. Fundationis hujus meminit M. S. Chronicon Zwethallense Ordinis Cisterciensis à Monacho quodam ejusdem Ordinis & Cœnobij professo, qui addit fundationem hanc Ottonis factam fuisse cum consensu fratrum, nempe Friderici Pulchri & Alberti Sapientis. Mors Ottonis Duc. Austr. *Notitia Abbatiarum Ord. Cist. citati Caspari Jongelini.* Sepultura prima. Secunda.

Didacus de Lequile de hac fundatione agens, affirmat hoc

 Cœno-

Cœnobium ab Ottone fundatum etiam in remedium animarum progenitorum suorum. Hunc Ottonem nonnulli etiam appellant *Pulchrum, Audacem.* Reliquit ditionum & virtutum suarum hæredes filios Fridericum & Leopoldum, quorum utérque titulum adeptus *Advocati* Cœnobij Eremi Deiparæ in Helvetia. Occasione hujus tituli fit Caput sequens.

Ejus filius.

CAPUT XIII.

Rudolphi I. Cæsaris Cœnobij Eremi Deiparæ in Helvetia Abbati titulum Sacri Romani Imperij Principis confirmat. Posteri Rudolphi fiunt ejusdem Cœnobij Advocati.

Cœnobiũ Eremi Deiparæ in Helvetia celebr.

EST Einsidlense in Helvetia sacratissimũ & innumera populorũ multitudine frequentissimum Divi Benedicti *Cœnobium ob* ædem Deiparæ, sive Sacellũ ab ipsomet Virginis filio consecratũ. Cui loco propter prodigia & beneficia infirmis & qualitercúnque afflictis concessa, tanta reverentia conciliata est, ut olim ipsi Imperatores Thesaurarij titulum & officium sibi delegerint. Ita testatur Atlas Marianus, sive Liber de imaginibus Deiparæ per orbem Christianum miraculosis Auctore Guilielmo Cumppenberg è Societate Jesu. Hujus Sacratissimi loci Annales publicavit Christophorus Hoffmann ejusdem Sacri Ordinis ibidem professus, inscripsitque Reverendissimo & Serenissimo Principi Maximiliano Archiduci Austriæ, Ordinis Teutonici Magistro. Hos Viennæ in Cœnobio Scotensi Ordinis S. Benedicti perlustrando Bibliothecam nactus sum, postquam Liber primus de Rudolpho I. Cæsare in prælo absolutus esset, & in secundo annus 1299. imprimendo prætergressus. In his Scriptor ad meum propositum adducit Diploma à Rudolpho I. Cæsare datum Udalrico II. Abbati, per quod probare nititur Udalricum primum in numerum Principum Imperij Anno 1274. adlectum. Quod judicamus valde erroneum, siquidem alia documenta clarè ostendunt S. Gregorium Eduardi Anglorum Regis filium, Abbatem Eremi III. Sacri Romani Imperij Principem I. Anno Domini 963. ab Ottone Magno, qui Gregorij Sororem Adelheidem in Conjugem duxit, creatum. Hunc igitur Otto cum Adelheide Augusta Eremum invisens Principum Romani Imperij prærogativâ in suis quoque posteris condecoratum

Abbates S.R.I. sunt Principes.

Primus Princeps S. Gregorius.

tum voluit. Hos ei tum propria virtus, tum ſpecialis Ottonis affinis & Adelheidis amor peperit honores. Dicendum igitur Rudolphum I. Cæſarem titulum Principis Udalrico ſolummodo confirmâſſe. Diploma porrò Rudolphi ſequentem tenorem habet.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

„UNiverſis Sacri Imperij fidelibus, ad quos præſens „ſcriptum pervenerit, gratiam ſuam & omne bo„num.

„STipari catervâ multiplici inclytorum Principum ſacri exor„nat Imperij Principatum. In multitudine etenim ſplendeſ„centis cohortis refulget Princeps Principum titulis gloriæ co„ruſcantis. Cùm itaque Venerabile Monaſterium Eremitarum „Ordinis S. Benedicti Conſtantienſis Diœceſis per devotionem „puritatis, & ſinceritatem fidei præſidentium tantæ gratiæ, tan„tíque honoris à Divis Imperatoribus, & Regibus noſtris præde„ceſſoribus promeruerit incrementum, ut quicûnque prædicti „Cœnobij debeat Abbas exiſtere, idem Imperiali ſceptro à Roma„norum Rege de adminiſtratione temporalium inveſtitus Princi„pum conſortio debeat refulgere; Nos ſpeculo circumſpectio„nis Regiæ ſpeculantes honorificentiam venerabilis Abbatis Ul„rici memorato Monaſterio Abbatiæ titulo præſidentis eundem „collegio noſtrorum Principum aggregantes, Sceptro Regio Prin„cipatûs apicibus fecimus inſignitum. Mandantes univerſis præ„dictæ Abbatiæ Miniſterialibus, militibus, ſubditis, & ſubjectis „quatenus eidem, tamquam ſuo Principi in omnibus ad admini„ſtrationem temporalium pertinentibus devotè, ac fideliter pa„reant, & intendant. Datum Thuregi VII. Kalend. Februarij „Anno Domini M. CC. LXXIV. Indictione ſecundâ, Regni noſtri „anno primo.

Confirmatio tituli per Rudolphum I.

Quid evidentius, quid expreſſius jam Udalrici Prædeceſſores à Divis Imperatoribus & Regibus Rudolphi Prædeceſſoribus promeruiſſe, ut quicûmque prædicti Cœnobij debeat Abbas exiſtere; idem Imperiali ſceptro à Romanorum Rege de adminiſtratione temporalium inveſtitus Principum conſortio debeat refulgere.

Taceo Stumphium, Henricum Pantaleonem, ac librum de ſucceſſione Abbatum Einſidlenſium, Ulmæ typo editum An-

no 1494. qui omnes Gregorium Principem scribunt. Hanc refutationem desumpsi ex Curiosa, Scholastica, Stemmatographica Idea vitæ ac mortis S. Meinradi Martyris gloriosissimi Cultoris olim, atque Anachoritæ Eremi Deiparæ Virginis, &c. Philosophicè, Juridico-Canonicè, ac Theologicè descripta, illustrata, atque in lucem publicam data Anno 1681.

Literas confirmatorias Rudolphi iteratò roboravit Albertus I. Cæsar Anno 1299. in sequenti forma.

Albertus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

„UNiversis Sacri Romani Imperij fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum.

Item per Albertũ I.

„AD universitatis vestræ notitiam cupimus pervenire tenore præsentium publicè profitendo, quòd nos *Venerabili Joanni* genere de Schwanden Abbati Monasterij Eremitarum, Principi nostro dilecto Regalia feuda Principatûs, quem obtinet per Sceptrum Regium, adhibitis alijs solennitatibus debitis, & consuetis liberaliter, & libenter concessimus, & ipsum præsentialiter investimus de eisdem; Propter quod universis ministerialibus, vasallis, & hominibus prædicti Abbatis damus præsentibus in mandatis, quatenus ipsi, tamquam suo Domino, & nostro Principi intendant humiliter, & pareant in omnibus reverenter, in cujus rei testimonium præsens scriptum exinde conscribi, & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum apud Constantiam Kalend. Aprilis, Indictione XII. Anno Domini 1299. „Regni verò nostri anno primo.

Insuper memoratus Cæsar Albertus Joannem Abbatem & quidquid ejus Monasterij fuit, in suam, & suorum protectionem singularem adsumpsit. Posteri, & qui ab eo, & eum secuti Austriæ Duces, & Archi-Duces utriusque sexûs propè omnes magnis, & pluribus, perpetuísque beneficijs ad hæc usque tempora idem hoc Monasterium (verba citati Hoffmanni recito) collocupletare, & celebrare nunquam desiérunt. Primus igitur Advocatus ejus Cœnobij fuit Albertus I. Cæsar. Alter Leopoldus nominis hujus primus inter Habspurgo-Austriacos Principes. Tertius, Fridericus Pulcher Cæsar. Quartus, Otto, cui succesfsêre successivè filij duo Fridericus & Leopoldus. Utróque mortuo Albertus Sapiens

Austriaci Principes fiunt Advocati.

piens & eo fatis concedente Rudolphus Alberti primogenitus. *Erroneè positũ est initio Capitis hujus *Rudolphi primi Cæsaris*. legendum est: *Rudolphus I. Cæsar.* Abbates ad Comitia vocantur.

Memoratos Abbates Rudolphus I. Cæsar & alij Austriaci Imperatores, dignos censuére, qui Comitijs Imperialibus interessent. Exempla habemus in Maximiliano I. à quo invitatus, evocatúsque Abbas Conradus ab Hohenrechberg.

Per Carolum V. Abbas Joachimus 1554. 22. Januarij.
Per Ferdinandum I. idem D. Joachimus 1558. 1. Septemb.
Per Maximilianum II. Abbas Adamus 1570. 1. Febr. Item 1575. & 1576.
Per Rudolphum II. Abbas Udalricus 1582. Item 1594. & 97.
Per eundem Rudolphum Abbas Augustinus 12. Augusti 1602. 1606.
Per Matthiam idem Augustinus 18. Martij 1614.
Per Ferdinandum III. Abbas Placidus 26. Maij 1640. & 1652.
Per Leopoldum I. is idem Placidus.

CAPUT XIV.

Albertus II. Dux Austriæ Pius & Sapiens in gubernando.

Postquam Albertus regimen suarum Provinciarum adijsset, maxima ei cura fuit primariæ Ecclesiæ Parochialis Viennensis cujus consecrationem obtinuit per Albertum Ducem Saxoniæ Episcopum Passaviensem ex Agnete filia Rudolphi I. Cæsaris genitum. Hæc ab Henrico I. Duce Austriæ ædificari cœpta titulum Omnium Sanctorum habuit, ijsdémque dicata est. Sed quia tum sub memorato Alberto erat, ob memoriam Sancti Stephani Patroni Cathedralis Ecclesiæ Passaviensis ex consecratione titulum S. Stephani Proto-Martyris accepit. Ad eam dilatandam & ampliandam cum anno 1340. Albertus Dux animum adjecisset, feliciterque locatis fundamentis murum in altitudinem & in longitudinem notabilem perduxisset, posteris suis eam perficiendi, prout hodie visitur, occasionem reliquit. Observat Lambecius Comment. de Biblioth. Cæs. Lib. II. Cap. V. pag. 87. Ecclesiam *Omnium Sanctorum*, cujus in Pontificis diplomate fit mentio, eandem esse, quæ vulgò nunc vocatur S. Stephani. Utrumque, inquit, nomen conjunctum ei tribuitur in Privilegijs Academiæ à Duce Austriæ Alberto III. an. 1384. promulgatis, & quidem Rubrica XXXVII. his verbis: ordinamus, quòd deinceps de octo Canonicatibus & Præbendis Collegij nostræ funda- Alberti II. Pium & Sapiens Gubernitũ. Ecclesia Viennensis Paroch. SS. Omnium ampliatur.

tionis in Eccleſia omnium Sanctorum, aliàs S. Stephani, Wiennenſi proximè vacaturis, &c. Quam autem illa Eccleſia (recito verba ſupra citati Lambecij) habuerit originem, quomodò, & ſub quibus Principibus creverit, & per quam varias fortunæ viciſſitudines, paulatim ad præſentem magnificentiam ac Epiſcopalis Cathedræ dignitatem pervenerit, ex varijs Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquis & fide digniſſimis monumentis M. S. in ſuis aliquando Commentarijs in lucem proferre voluit, & varios à Wolfgango Lazio ac nonnullis alijs circa hoc argumentum commiſſos errores ſolidè refutare. Quod utinam viro omnis ævi hiſtoriæ ſcientiſſimo exequi licuiſſet, næ omnes illi, qui animum ad hiſtoriam Auſtriacam ſcribendam adjeciſſent in ejus Commentarijs ampliſſimum & copioſiſſimum campum proſequendi & augendi hiſtoriam ſuam cum accuratiſſima chronologia fuiſſent nacti. Ad Albertum revertor. Cùm Viennæ vel etiam alibi degeret Albertus ſæpius *in hebdomada* publicam ſui exhibere ſolitus eſt præſentiam, ut unicuique liceret accedere, conqueri, petere jus & æquum. Miris & juſtis titulis Albertum Principem condecorat Thomas Ebendorff ab Haſelbach inquiens: *Fuit Albertus Princeps potens, prudens, ingenioſus, literis præ fratribus excultus, morum honeſtate conſpicuus, Cleri pater, juſtitiæ indefeſſus zelator.* Franciſcus Tertius Bergomas jam aliàs citatus ita de Alberto teſtatur. *Albertus Sapiens cognomine Illuſtris divino munere populis donatus ingentem Principatûs potentiam cum mira Sapientia (quod ad ſalutem populorum optimum eſt) mirandum in modum conjunxit. Æquum enim videbatur, ut qui ſe à mundanis curis abdicaverat, & ſolùm ſe Deo addixerat, in magna neceſſitate fratribus nimirum ſinè hæredibus extinctis, populis pro eorum incolumitate à Deo reſtitueretur, & Principibus Auſtriæ, Ducibus ac Imperatoribus non tam regnorum & Imperij amplitudo, quàm Religionis & fidei conſtantia in exemplum & decus perpetuum relinqueretur.* Propterea *nec bellicâ laude caruit Albertus, dum & ſocios, & ſe ab injurijs vindicat, nec Religionis officia prætermiſit, dum templa condit, ſacris intereſt, honeſtè vivit, &c.*

Laudes Alberti Sapientis.

Vide Pag. 316.

Anno 1341. Illuſtris Dux Auſtriæ, ùt Chronicon Zwethal. Ordin. Ciſterc. refert, cùm Duciſſa ſua uxore Monaſterium Zwethallenſe (quem Ordinem ùt vidimus hactenus ſummè Rudolphus Avus & parens Albertus cum conjuge ſua proſequebantur) viſi-

viſitare dignatus eſt, viſiſque officinis & diverſis Monaſterij ædificijs, magìs autem cultum & perſonarum devotionem cum magna lætificatione receſſit, ipſum Monaſterium cum habitatoribus ſuper omnia Monaſteria, quæ videbat, approbans & collaudans.

Chronicon Monaſterij Zvvethallenſis Ord. Ciſt.

Eodem Alberto agente, Anno 1341. die 1. Maij conſecrata eſt Viennæ Capella S. Georgij, ſive Sacellum defunctorum per Reverendiſſimum Dominum Petrum Marcopolenſem Epiſcopum, qui hâc de re edidit Bullam tenoris ſequentis.

Viennæ Conſecrationem Sacelli S. Georgij procurat.

„NOs Frater Petrus Dei gratiâ Epiſcopus Marcopolenſis Ecclesiæ, gerentes vices in Pontificalibus Venerabilis in Christo Patris & Domini noſtri Domini Domini Alberti Pataviensis Epiſcopi, tenore præſentium profitemur. Quòd anno Domini 1341. in die Beatorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, Capellam Militum de novo conſtructam in Monaſterio Fratrum Eremitar. Ordinis S. Auguſtini Viennæ, & duo Altaria in eadem Capella incluſa videlicet altare lateris dextri, una cum Capella in honorem S. Georgij, nec non altare lateris ſiniſtri in honorem Sanctiſſimi Corporis Chriſti conſecravimus, & ambitum ejuſdem Monaſterij in craſtino diei præfati reconciliavimus. Cupientes quoslibet Chriſti fideles quibuſdam muneribus allectivis, videlicet indulgentijs & peccatorum remiſſionibus, ad opera pietatis invitare, ut gratiâ Dei reddantur aptiores.

M. S. Canobijs S. Auguſtini FF. Auguſt.

„Nos igitur de Omnipotentis Dei miſericordia confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis dictam Capellam, ſeu altaria in feſtis ſolennitatum ſcilicet Nativitatis Chriſti, Paſchatis, Pentecoſtes, ſeu in feſto Aſſumptionis, Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis B. M. Virginis Glorioſæ, in feſto S. Auguſtini Epiſcopi, ac in die Dedicationis, & in diebus Patronorum, nec non per Octavas eorum devotè viſitantibus, ſeu manus adjutrices ad fabricam dictæ Capellæ vel alia neceſſaria in charitate porrigentibus quadraginta dies Indulgentiarum ipſis injunctæ pœnitentiæ in Domino miſericorditer relaxamus, harum teſtimonio literarum ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datæ anno die & loco prænotatis.

Poſtero anno, nempe 1342. naſcitur Alberto Sapienti filius Leopoldus cognomine *Probus*.

Natalis Leopoldi Probi.

Anno 1343. Inceptus eſt chorus Eccleſiæ Zwethallenſis ab Ottone Abbate in Vigilia S. Ambroſij Epiſcopi, primum lapidem poſuit in perſona Alberti Ducis Auſtriæ Nobilis Dominus Ludo-

Initium chori Eccleſ. Zwethallenſis.

vicus Comes de Oettingen ſororius Ducum Auſtriæ. Ita Chronicon M. S. Cœnobij Zwethallenſis.

Notæ & Additamenta.

De Capella S. Georgij Viennæ apud PP. Auguſtinianos.

Circa hanc Capellam, quæ nunc per modum Eccleſiæ parvæ annexa eſt Eccleſiæ majori, ſciendum eſt non fuiſſe tam longam dum ædificaretur, quàm nunc ſit. Protendebatur enim tantùm uſque ad murum quo chorus ſuſtentatur: nec erat ita conjuncta cum Eccleſia majore prout nunc eſt, ſed intercedebat inter utrámque parva area, quam deinde hodierni ſacri incolæ circa annum 1633. fornice concluſerunt, & adaptârunt in ambitum.

Capella hæc non potuit fundari ab Equitibus S. Georgij.

Quæſtio circa hanc Capellam S. Georgij oritur: utrùm fuerit ædificata, ùt quidam volunt, ab Equitibus S. Georgij circa idem tempus, quo Eccleſia major collaborante potiſſimùm Ottone Friderici Pulchri fratre perficiebatur, & an fuerit Otto cum duobus filijs ſuis Friderico atque Leopoldo eidem Societati, *ſive Equitibus* S. Georgij adſcriptus? Reſponderi poteſt, quòd *milites, quorum* in bulla Petri mentio fit, non poterunt eſſe Equites S. Georgij: cùm à Friderico V. Cæſare Auſtriaco primùm ſub annum Domini 1468. inſtituti ſint. Aliorum ſub hoc nomine Equitum non meminit Wolfgangus Lazius rerum Auſtriacarum peritiſſimus. Accedit quòd in Bulla ſimpliciter nominentur Milites & non Sancti Georgij, quod neceſſarium fuiſſet ad diſtinctionem aliorum Equitum, qui tunc Viennæ ſedes ſuas habebant. Lazius ait fuiſſe Viennæ Milites Templi (idem eſt quod Templarij) & Rhodios: cùm ergo jam Anno 1312. cœperit ordo Templi Militum extingui, opinor hos milites de quibus in hac bulla fit mentio, fuiſſe Milites Rhodios. Unicum huic obſtare poſſe videtur, quòd Otto cum duobus filijs fuerit eidem Societati adſcriptus. Verùm utì poſtea Fridericus V. & ipſe Imperator Maximilianus I. adſcripti fuerunt Ordini Sancti Georgij, licèt votis illius illigati non fuerint, ſic & hìc factum crediderim. De Militibus Templi, fuiſſe Viennæ Libro II. Capite VII. paginâ 247. innuimus. De Rhodijs Cuſpinianus in ſua Auſtria pag 61. ita ſcribit: Magiſter S. Joannes Hieroſolymitanus Viennæ ad Sanctum Joannem plantatus per Rudolphum Regem Romanorum pluribus immunitatibus ab eodem eſt donatus, ut liberè poſſit ſine omni exactione ac telonio per terras & aquas merces quaſcùnque traducere.

CA-

CAPUT XV.

Feſtum Corporis Chriſti donatur Indulgentijs à Clemente VI. Pietas Auſtriaca illius diei exemplis demonſtratur.

CUltus publicus erga SS. Evchariſtiam jam priùs quidem apud Leodienſes in uſu fuit, & cum officio, quod incipit: *Animarum cibus.* Cùm autem Urbanus IV. anno quarto & ultimo ſui Pontificatûs generaliter in Eccleſia celebrandum inſtituiſſet, Officium illius Feſti juſſu Urbani compoſuit S. Thomas Aquinas, & quidem ſic, ut hic non videatur vidiſſe antiquius aliud Leodij confectum, & (quod iſtud ibi ſuſciperetur) uſitatum in Eccleſia illa, ſatagentibus Beatis Julianâ & Evâ; videatur ea de re Daniel Papebrochius in Paralipomenis Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum Tom. 7. Maij Præterea Laurentius Beyerlinck in Magno Theatro vitæ humanæ Littera F. titulo: *Feſti Dies.* Eodem autem anno, nempe 1264. ſingulari cultu Sacro-ſanctam Evchariſtiam à Rudolpho Comite Habſpurgico, dum ad ægrotum deferebatur, honoratam atque Romani Imperij dignitatem Ipſi ac Poſteris prædictam ſuprà libro I. Capite II. fusè deſcripſimus. Anno 1344. ut Clerus populúſque ad colendum Feſtum ipſum induceretur devotiùs & ad Eccleſiam, in qua ejuſdem Feſti celebraretur Officium, frequentiùs convenirent, Clemens VI. omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Matutinali officio feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua hujuſmodi ageretur officium, centum; qui verò Miſſæ, totidem; qui autem in primis ejuſdem feſti Veſperis intereſſent, ſimiliter centum; qui verò in ſecundis totidem; eis verò qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorij officijs adeſſent, pro qualibet hac ipſarum quadraginta; illis autem, qui per octavas illius feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum horarum officijs intereſſent, centum dies ſingulis octavarum ipſarum diebus de injunctis pœnitentijs relaxavit. Equidem Archi-Duces Auſtriæ ad omne religionis, diviníque cultûs officium magnô quodam ſtudiô feruntur, excelluiſſe tamen videntur in promovendo cultu SS. Evchariſtiæ præcipuè autem Theophorico feſto & intra ejus octavam. Nos hìc per modum diverticuli id ipſum demonſtrare exemplis conabimur, tum nonnulla afferemus, quæ in Evchariſticum Deum ſummum amorem & reverentiam ſpirant. Neque ea nobis intentio

Leodienſes primi Feſtũ Corporis Chriſti celebrant.

Donatur Indulgent à Clemente VI.

tentio ut eam opinionem Lectori ingeneremus, quasi omnia dicere velimus, quæ Austriaci Principes pietatis exercitia in Sacratissimam Evcharistiam reliquêre, ea solùm dicemus, quæ nobis seu ex impressis, seu ex M. SS. seu ex probatæ fidei hominibus huc usque audire contigit.

Lib. I. Virtutum Gentis Austr. Cap. III.

Austriacæ potentiæ, inquit Vernulæus, *principium & incrementum Sacro-sanctæ Evcharistiæ cultus est. Idcirco enim majori terrarum orbis parti Austriaci Principes imperant, quia erga istud adorandum Angelis hominibúsque Sacramentum tam reverentes sunt, tam pij. Fidem cœlum fecit, & oracula.*

§. I.

Illustrata exempla die Sancto Theophoriæ ab Austriacis edita.

Caroli V. Pietas die Theophoriæ.

Pont. Heuterus, & Hist. Ger.

CArolus V. Imperator cùm anno supra millesimum quingentesimum trigesimo, pridie diei Augustissimo huic Sacramento Sacri comitantibus Ferdinando fratre & imperij Proceribus Augustam Vindelicorum appulisset, publicæ *supplicationi*, (ùt aliàs semper) postero die interesse vel idcirco desideravit, ut Principes Martino Luthero tum adhærentes suo exemplo permoveret, aut certè confunderet. Nunquam visa pompa major, & ea ex Cæsaris edicto. Moguntinus Archi-Episcopus Sacris illo die operatus sub umbella Evcharistiam portabat, cujus dextrum latus Ferdinandus Rex, sinistrum Joachimus Marchio Brandeburgensis tegebat. Cæsar simplici è nigro holoserico veste amictus, & ardentem manu tædam gerens ponè solus procedebat. Principes deinde omnes pari cum facibus modo, tum ingens populi multitudo. Præcedebat Sacer ordo symphoniacíque, & post Cæsaris Principûmque Nobiles Domestici cum cereis ardentibus omnes. Fervebat pietate urbs tota, & tanti Imperatoris exemplo divini istius Sacramenti cultus in omnium animis cum amore crescebat.

Ferdinandi I. Cæs.

Ferdinandus I. Caroli frater nunquam erubescebat in festo Theophoriæ Sanctissimum Sacramentum caput serto florido coronatus, dextrâ facem gestans comitari.

Heuter. in Philippo II. alijque.

Philippus II. Hispaniarum Rex Caroli V. Imperatoris filius, cùm Cordulæ in Hispania, eo anni tempore ageret, quo Christi Corpus anniversario ritu circumfertur, dies erat æstivus, & fervens, sed ipse comitatus detecto capite solis ardorem Austriacâ pietate superabat. Et quidem cùm è Dynastis unus Regiæ salutis

anxius

anxius moneret, ut Majestas sua æstum vitaret, respondit pijssimus Rex: *Illo die sol aut lædere, aut offendere quemquam non potest.*

Carolus II. Archi-Dux Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ Dominus, quàm devotus fuerit etiam SS. Sacramento ostendit Anno 1572. quo ejus potissimùm impulsu Græcij Styriæ solenni Christi Corporis die supplicatio post annum vigesimum, ex quo fuerat intermissa, magnifico apparatu peracta est: quam opifices ordinatim cum suis quisque signis more Germanico cohonestârunt, stupente civitate, obtorpescentibus hæreticis, Carolo Duce lacrymas præ gaudio non tenente. Idem Anno 1575. Viennæ existens, antequam ad Maximilianum II. Cæsarem fratrem Pragam pergeret, veterem Domûs Austriacæ pietatem affirmavit: præsertim cùm die solenni Christi Corporis unà cum conjuge, in Collegio Societatis Jesu & rei divinæ religiosissimè interfuit, atque in supplicatione incessit quasi refundens aquas fonti, & quam ab immortali sole lucem accepit in obsequium ejus latentis impendens. Quæ lux ùt nova quàm Hæreticorum momordit, tam Catholicorum oculos exhilaravit. Et multi hìc quoque ad exuendos opinionum impiarum laqueos adjuti: duo præ cæteris illaqueandorum aliorum artem tempore longo professi.

Caroli II. Duc. Styr.

Histor. PP. Societ. P. 3. l. 8. n. 222.

Item ad an. 1575.

§ II.

Ferdinandi II. Pietas erga S. Evcharistiam.

CAroli filius Ferdinandus Archi-Dux Austriæ, Dominus Styriæ, &c. post mortem Matthiæ Cæsaris Romanorum Rex & Imperator, nulli mortalium in hoc Sacro-sanctæ Evcharistiæ cultu cessit. Antequam solium imperiale conscenderet Anno 1610. Pragæ apud Rudolphum II. Cæsarem existens cùm intellexisset, quòd renuerent sub festis Theophoricis Magnates nonnulli, comites se adjungere Deo, sub farre à templo Collegij Societatis Jesu ad Sanctum Clementem per plateas (ùt moris est) circumlato, maximo pietatis sensu in hæc verba prorupit: *etiamsi aliorum Principum nemo veniret, solus comparebo.* Subsequentibus annis ubivis locorum, in quibus morabatur, supplicationibus intererat omnibus pedes, nudo capite, interdum floreô redimitus sertó, facem dextrâ gerens. Nec aliter, quàm triumphanti Christo, famulari se credebat. Quodam tempore cùm diutius facem gestasset, manus illi & brachium intumuerat. Die altero cùm iterum interesse Supplicationi vellet, etsi brachium fasciâ à collo dependente sustentaret, Procerum quidam, Cæsar, inquit, hodie à

Ferdin. II. Cæsar.

face ferenda ceſſandum eſt; cui ille, *ſupereſt*, ait, *manus adhuc altera quâ Deo ſerviam.* Quoties turbulentiſsimo bellorum tempore adverſa aliqua, periculáque ingruebant, publicam Evchariſtiæ cultum indicebat, ac coram eâ, ut præſens divini Numinis auxilium impetraret, ſeſe adjiciebat. Si quispiam Sacerdotum cum eadem fortè pertranſiret, è curru vel equo deſiliens, lutulentâ etiam in humo, Deum adoraturus genua figebat, ac plerúmque quocúnque euntem proſequebatur.

Cúm ad indicta Ratisbonæ Comitia proficiſceretur Laureaci & Lincij (quæ Auſtriæ ſuperioris Oppida ſunt) ut ab anniverſarijs Evchariſtiæ ſupplicationibus non abeſſet, ſubſiſtit. Ibi verò contemplatus ingentem hominum multitudinem, quæ eò pietatis causâ confluxerat, inuſitatâ perfuſus lætitiâ. Hoc, inquit, gaudiorum omnium maximum mihi eſt, quòd ante obitum meum ijs in locis Evchariſtiam coli videam, in quibus impij paulò antè homines ſacrilegâ in eam linguâ debacchabantur. Tua iſta gloria eſt, Ferdinande Auguſte, quòd ſolo tam Auguſti Sacramenti aſpectu, vel ejuſdem ſumptione vivere videbaris.

§. III.

Nihil in veneratione SS. Evchariſtiæ quidquam majoribus ſuis conceſſit Ferdinandus III. Cæſar. Author Phoſphori de eo:

Ferdinandi III. Cæſ.

FErdinandus III. glorioſiſsimus quondam Cæſar, nunquam, ne in caſtris quidem, & inter armatas legiones publicum Evchariſtiæ cultum omiſit. Idcircò cùm arctiſsimâ Ratisbonam obſidione, eo tempore cingeret, quo Eccleſia Sacramenti hujus cultui octiduum impendit, ſupplicationes in caſtris ſuis Chriſtiano peragi ritu imperavit. Comitabatur ipſe ſingulari pietatis exemplo, quem Tribuni, Centuriones, milites armati, clangentibus tubis bucciniſque, & reſonantibus tympanis diffuſâ latè ardentium facum luce, ſequebantur. Accedebat ingens machinarum ænearum, velut in triumpho fragor, quo omnia circumquáque perſtrepebant. Vicit urbem pijſsimus Imperator, & victoriam iſtam tantæ pietati debitam cœlum indulſit.

Ferdinandi IV. Romanorum Regis.

Avi & parentis exempla Ferdinandus IV. æmulatus eſt. Etenim virginali modeſtiâ, pietate pluſquam humanâ, reverentiâ omnino Angelicâ cùm ſemper aliàs, tum verò præcipuè vix uno ante obitum menſe ſolennibus Chriſti Corporis ſupplicationibus

bus, ardente ſole, aperto capite, iteratis vicibus per publicas, & in longũ abeuntes urbis Viennenſis plateas pedibus incedens viſus eſt.

Ferdinandis quatuor liceat addere Ferdinandum Philippi III. Hiſpaniarum Regis filium, S. R. E. Cardinalem, Belgarum Proregem, qui SS. Evchariſtiæ cultum, quem à majoribus ſuis acceperat, exemplo ſuo propagare omnimodè connisus eſt. Ferdinandi Infantis Hiſpaniæ S. R. E. Cardin.

Cùm eſſet in expeditionibus bellicis (quemadmodum adversùs Gallos Batavóſque æſtivo tempore ſemper fuit) celeribus equis ac cum paucis in urbem Regiam de caſtris feſtinavit, ut ſupplicationibus in honorem SS. Evchariſtiæ, quot annis Bruxellæ peragi ſolitis, intereſſet. Iis peractis & exemplo ſubditis eximiæ pietatis relicto, eadem celeritate ad arma & caſtra revertebatur. Hæc tempora noſtra viderunt, & teſtantur, inquit Phoſphori Author. Leopoldus Ferdinandi II. Cæſaris frater germanus cultum ſanctiſſimi Sacramenti quaſi à natura hauſiſſet, adeò familiarem habuit: quaquà iter capeſceret, non contentus ſacris pluribus intereſſe, omnes etiam Theophoriæ proceſſiones ſuâ præſentiâ ornare voluit. Teſtis Judenburgum Anno 1601. Græcium anno 1602. Vienna, Praga, Bruxella, diverſis annis. Leopoldi fratris Ferdinandi II. Cæſaris. Leopoldum alius Leopoldus nepos, utpote ex fratre Ferdinando II. Cæſare genitus, excipiat. Ejus geſta & virtutes Nicolaus Avancinus eleganti ſtylo narrat tribus Partibus, quarum prima exhibet Leopoldum Archi-Ducem, altera militem, tertia Epiſcopum. Leopoldi Wilhelmi filii Ferd. II Cæſaris. In harum prima Cap. 3. cùm in commendationem cultûs Evchariſtici ſcripſiſſet: *hæc ſingularis eſt Auſtriacæ Domûs prærogativa, quâ ſibi per Rudolphum primum coronarum auſpicem fecit Deum, & inde per aſſiduam nepotum imitationem, earundem conſervatorem*, ſubjungit: Certè Leopoldus nec magno avo Rudolpho nepos, nec Auguſto Parenti Ferdinando filius hìc quidquam conceſſit. Quamdiu caſtra ſive in Germania ſive in Belgio moderatus eſt, ſemper laudato in Auſtriacis Principibus more publicam Sacræ Evchariſtiæ ſupplicationem eo die, quo hujus in Eccleſia celebratur ſolennitas, in ipſis caſtris ſummo quo licebat apparatu, obiri voluit: cui ad magnificentiam inſtruendo, quidquid ſecum ſacræ ſuppellectilis, quidquid periſtromatum devehebat, ad uſque ſui corporis pretioſum baltheum ſuppeditabat, &c. Illud longè illuſtriſſimum eſt devotionis ſpecimen, à patre olim, & patruis exercitatum, quod ſubjungitur: Valencenis cùm Dominum Dominantium ſequeretur, denſâ nube obvolutum cœlum in copioſum imbrem effuſum eſt: at Leopoldus nec integumento capitis arcere pluviam, nec ſæpe

invitatus propior Deo sub Umbellam tutò succedere, minus, quod amâssent alij, sub tectum recedere: adeò non horrebat immadescere nimis pro Deo, pro quo etiam diffluere sanguine sæpiùs optavit. Et valuit ea res tantùm apud populum, ut qui latebras meditabatur, totus in Religionis obsequio detineretur. Tantum est exempli robur, cum ab eo exhibetur, qui jubere cùm possit, abstinet; & quid fieri velit, facto ostendit.

Minimè prætereundam hìc censemus Pietatem illam, quam approbare miraculo visum est Numen, quando ad Salafeldiam quinque exercitibus obsessus Leopoldus supplicationem Theophoriæ de more indixit, & cùm antea omni ex parte boarent tormenta, toto eo tempore, quo deducebatur supplicatio, quasi divinitùs imperato silentio conticuerint. Cùm verò ille postmodum affixus templo continuaret orationem, jamque iterum revocato furore volarent globi; monitus locum illum non satìs ab ictu securum esse, respondit: *Apud Deum meum constituto nemo nocere poterit.*

Hic idem pijssimus Archi-Dux cùm anno 1655. tertiâ Augusti communi omnium Canonicorum Wratislaviensium voto postulatus esset ad Episcopatū, & Anno 1656. die 21. Januarij subsequentis anni confirmatus, effecit, ut Wratislaviæ, ubi ante perpauci essent Catholicæ Religionis, in prima solenni per se impetrata, per Augustissimum autem Leopoldum imperata Corporis Christi supplicatione qui ordine procederent, numerati sint quinquies mille.

CAPUT XVI.

Austriaci Principes Eucharistiam ad ægros delatam comitantur.

DAturi nonnulla hujus Pietatis exempla à Carolo II. Rege Catholico sumemus initium, qui sanè anno 1685. Rudolphi I. Cæsaris erga sanctissimam Eucharistiam Religionem novo exemplo Madriti repræsentavit. Rem omnem ex Epistola Hispanica, tertio post die Antuerpiam data, quæ in Propylæo ad Acta Sanctorum Maij reperitur, exscribam.

Carol. II. Rex Hisp. SS. Eucharistiam ad ægrum delatam comitatur.

Actiones quædam tam illustres sunt, ut minio aurôve depingi potiùs, quàm communi tinctura mereantur describi. Talis fuit ea, quæ Hispanicam Aulam in stuporem rapuit nudius tertius, tam eximiæ religiositatis exemplo edita à Rege ac Domino nostro,

ftro, verè Catholico, prorfus ut videatur Pater æternus,ipfam Filio fuo unigenito in ftrenam anni novi ineuntis repofuiffe,ex æterno fuo arcanóque confilio, ipfum inter homines identidem novis honoribus extollendi; omnibus quidem fuâ dignitate inferioribus, ejufmodi tamen, ut nova veteribus femper præcellant, dubiúmque faciant, an fecuturi poft anni majus aliquid digniúfque vifuros fe poffint fperare. Dies 20. Januarij gloriofo Martyri S. Sebaftiano Sacer, tam ferenus à nubibus, à ventis quietus, à fole amœnus illuxit Regiæ huic Madritenfi urbi, ut cœlum videretur compenfata velle paucis horis prægreffa plurium noctium algidarum frigora. Tam grata aëris temperatiffimi opportunitas elicuit in campos, ad ferenitatem auræ captandam, quidquid erat Rhedarum Nobiliúmque; alijs Pardum versùs viam tenentibus, alijs per S. Bernardini Portam finè numero fefe effundentibus, inter quos fuit etiam Rex ipfe. Fortè contigit ut eâdem horâ, à S. Marci Vicariali Ecclefia, intra Martinianæ Parochiæ terminos conftituta, egrederetur Sacerdos cum Venerabili Sacramento, Viaticum adminiftraturus pauperi cuidam olitori, graviter ægrotanti, in vico à Micis calentibus nomen nacto. Ibat ille, fuperpelliceum indutus quidem, fed injecto tectum pallio, & clericello uno dumtaxat ad lumen præferendum comitatus; quemadmodum ufus fieri patitur; quoties vel locorum diftantia, vel infirmorum urgens neceffitas prohibet inftructiorem pompam adornari. Ita per S. Bernardini portam egreffus, compendium fimul quærebat viæ pediti aptioris, fimul & occurfum vitabat equorum hominúmque tam multorum, quot eâ horâ tractum illum occupabant, folâ inclinati humiliter capitis reverentiâ, ex eo quem occupabant loco, falutantium tranfeuntem, ne quam oblectationis eo tempore quæfitæ moram paterentur. Sed omnibus religiofior Rex (cujus Rhedæ propinquior erat Sacerdos, quando fecundùm villam Floridam, per confitas ibi cupreffos, decuffanda ei publica via erat ituro in locum defignatum) cognofcénfque hunc tali in habitu geftare penès fe aliquid Chriftianorum myfteriorum, quæfivit, Sanctiffimúmne, an verò facrum Oleum deportaret. Ut autem ille refpondit: Sanctiffimum, continuò ejiciens fefe è Rheda, humóque ftratus, adoravit Dominum fuum. Deinde confurgens, & præter Regiæ fuæ Majeftatis ufum, Mercedis compellatione honorifica Sacerdotem cohoneftans (veluti qui fe conf ervum crederet habentis fecum communem utriúfque Dominum; nec æquum cenferet, tali jam

Bbbbbb 2 fungen-

fungentem miniſterio, eodem quô Vaſallos loco habere) Sacerdotem, inquam, Rex oravit in ſuam ut tranſiret Rhedam, & locum unde ceſſerat occuparet; Clerico mandans inſidere portellam, ſuiſque eam manibus cum quanta potuit reverentia claudens. Tum ipſe nudo vertice, & galerum alterâ manu tenens, alterâ portellam apprehendens, ſequi ex latere Rhedæ pedes, quouſque veniretur in locum jacentis infirmi. Ibi rurſum Rex portellam aperuit, Presbyterúmque cum Domino, velut pediſſequus, retro affectans, ingreſſus ad decumbentem eſt: & manſit genu flexus nuda in humo, quoad uſque officiô ſuô functus eſſet Sacerdos: vix ſatìs ſui compos, præ admiratione tam excellentis Religionis, cùm in Regio illo vultu legeret, quantâ reverentiâ deberet ipſe ſacris Myſterijs operari. Peractô miniſteriô quæſivit ſua Majeſtas, quis ſtatus, quæ conditio infirmi eſſet: & bene inſtructus de ſingulis, congruam eò loci eleemoſynam reliquit; ſpem inſuper faciens elocandæ ad matrimonium filiæ, quam pupillam & omni orbam ſuffragio morte ſua is erat relicturus. Hinc rurſum itum ad Rhedam eſt, Presbytérque eôdem, quô antea modô intrà eam locatus. Rex autem ſecundariam alteram (quæ ſtatûs dicitur, & Regij corporis latricem ſolet vacua ſubſequi) ità conſcendit, & ſubſequi juſſit, quomodo ipſúmmet foris in Palatia redeuntem affectari ſolent Nobiles ſui. Vulgatâ hujus novitatis famâ eòdem contraxit magnam populi, rhedarúmque multitudinem; ſtupentibus cunctis, & ex terreno Rege diſcentibus, quomodo deberent Cæleſtem venerari. Ità omnis iſthæc pompa, per totam quanta eſt, viam ducta uſque in urbem eſt; ventúmque ad Fontem Leganitorum, ubi Majeſtas ſua in pedes deſiliens, rurſúmque ſtratoris officiô fungens, Rhedam, quâ Sacerdos vehebatur aperuit; adoratúmque Sacramentum ſecutus, inter Eccleſiam S. Marci deduxit, ea alacritate vultûs reverenti modeſtiæ admixtâ, quæ Angelica potiùs quàm humana videbatur: & genu flexus non aſſurrexit *prius*, quàm finitâ cœremoniâ Benedictionem Presbyteri excepiſſet cum cæteris, petens, ut is pro ſe oraret. Tum demum ad ſuam ſe Rhedam recepit, inter feſtivos applauſus creberrimi populi, devotis interpolatos lacrymis; quas ſpectaculi religioſiſſimi venuſtas per affectum teneræ devotionis exprimebat. Admirationi quippe in hoc actu erant; non ſolùm ſupereminens tanti Monarchæ dignitas, coram cœli terræque Domino ſeſe quantâ poterat religione humiliantis; ſed etiam decor ubique ſummus, obſervatus à ſua Majeſtate

ſtate

ſtate, neque futuri occurſûs præſciâ, neque conſiliô cujuſquam inſtructâ, nec alio Cæremoniarum magiſtrô uſâ quàm interno dictamine Catholiciſſimi cordis ſui, aſſueti ſpiritualem auditum adhibere ſuggeſtionibus certiſſimæ fidei de veritate noſtrorum Sacramentorum. Fieri poſthac poterit ut multas magnáſque Regis noſtri victorias Fama annuntiet; ſed neſcio an ullam allatura ſit umquam Hiſpanicæ Nationi, Regi Deóque fideliſſimæ, quæ tot benedictiones accumulet ſuper caput illius, atque actûs tam Heroici exemplum. Datum Madriti, 23. Januarij M. DC. LXXXV.

Hanc Auſtriacæ Pietatis narrationem eleganti carmine adornavit R. P Emmanuel van Outeres Flandro-belga Societatis Jeſu, quam hic ſubnectere dignam judicavimus.

AUſtriadum pugnas alij, juſtóſque triumphos,
(Victores ſeu terra tulit, ſeu gurgite vaſto
Oceanus, Reges alius dum amplectitur orbis)
Quo decet ore, canant; & quo decet ordine pandant.
Religio mihi carmen erit: quando hinc ſibi laudem
Præcipuam repetunt, & iterum in ſæcula nomen.
Nequidquam fœcunda auri ſe divite venâ
Ingerit Americæ titulóſque affectat inanes;
Nequidquam centum populi, reſponſa, potentes.
Auſtriadum, & vultu venerantes ſupplice nutum
Solicitant. Major rerum mihi naſcitur ordo,
Carolus hinc dici tenuit. Communia magnam,
Nil tangunt mentem veterum præconia Regum.
Imperio latè populis tenuiſſe ſuperbo
Fortunæ, caſúſque fuit; ſubmittere ſceptra,
Seque ſuóſque Deo, Regalem vincere faſtum,
Hoc virtutis opus: propria hæc victoria Regis,
Hoc ſolidum decus. Haud illud decerpere miles.
Audeat, & pretium vultu jactare feroci,
Sanguinis eſſe ſui. Nil Conſiliarius, aut Dux
Expertus belli caſúque exercitus omni,
Inde petet. Fortuna tacet, licèt invida laudi.
Quid ſibi vult populi ſubitus ſtupor? unde per urbem
Concurſus? feſto reſonat cur Mantua plauſu,
Mantua, magnorum Sedes celeberrima Regum?
Quo cupidam rapiunt & quæ ſpectacula plebem?
Et me pompa juvat: juvat ire & diſcere cauſas.

Lætitiæ, atque oculos mentémque explere tuendo.
In medium celeri cursu feror impiger agmen
Undantis populi: mora nulla retardat euntem.
Huc oculos, atque huc defigo, & singula lustro
Mente avidâ. Subitò nova res oblata stupentem
Detinet, & pompæ non enarrabilis ordo
Regali vehitur curru, non divite cultu
Nec tantô officiô par majestate Sacerdos,
Arcanum gestans inobservabile Numen,
Exigua quod se Cereris sub imagine celat.
Fert puer accensam non magno Lumine tædam,
Subsequitur Rex ipse pedes (reverentia vultum
Dejecit, sanctúsque occulti Numinis horror
Vertice nudato, lachrymísque fatentibus ignem
Regia quo fervent præcordia. Nullus amantem
Avocet, aut fastûs causas obtendat inanes.
Ipse Deus, qualis superis quantúsque videtur,
Desertis cœli templis, cœtúque beato,
Si nostras talis terras tantúsque revisat;
Haud alio cultu testari possit amorem
Rex pius, præsens supplex agnoscere Numen.
Mirantur populi, proceres mirantur: & omnes
Exemplo Regis victi, solvuntur honestas
In lacrymas: omnes pompæ pars esse laborant,
Obsedêre vias densâ vicósque coronâ,
Spectandi studio, juvenes avidæque puellæ,
Decrepitíque senes, facti novitate trahuntur
Attoniti, gaudéntque premi: Res nulla fatigat
Obnixos. Juvat ipse labor: cognoscere tanti est,
Et regem spectare pium, exemplóque moveri.
Ille nihil turbam effusam populúmque moratus
Progreditur, fundítque preces & Numen adorat,
Defixis in terram oculis & supplice dextra:
Nil tamen inde minor. Talem te Carole, malint
Hispani vidisse tui, quàm clade superbum
Hostili meritâ redimitum tempora Laurô.
Non ità lætetur tua gens, si Marte secundo
Elatus captos traheres in vincula Reges,
Par proavo versis lugeret Gallia fatis.

Hæc

Hæc eſt, hæc rari ſpecies, & cauſa triumphi
Nobilior: palmæ hæc longè majoris imago.
Non pubes captiva & tinctæ ſanguine Regum
Exuviæ, cæsíque Duces, aut oppida capta
Afficiant animos, aut fractis cornibus amnes,
Æquoráve injectis Neptuno preſſa catenis,
Ut victor Rex ipſe ſui. Reverentia Divûm
Si patitur (certè patitur) cerne ora tuorum
Et mentes agnoſce pias. Quæ gaudia vultu
Significant! quô non animorum certior index.
Cerne precor, digna hæc eſt Rege, & honeſta voluptas.
Omnes ecce oculi, Te Rex figantur in unum,
Lætitiæ teſtes: ſolus tu lumine paſcis
Omnia, Tu ſatias quin paſceris ipſe viciſſim?
Quæque Tuis præbes, ingentia gaudia guſtas?
Hoc etiam prohibet rigida obſervantia Divûm,
Et noſtras audire preces, immotus eodem
Hæret in obtutu: mortalia negligit ora,
Atque oculos, præſente Deo. Greſſu inde modeſto
Urget iter, parvæ dum ventum ad limina ſedis,
Stramineámque caſam. Cuſtos hìc pauperis Horti
Ægram animam jam ſupremo languore trahebat,
Chriſtiadûm poſcens avidis ſacra ultima votis,
Æternæ pignus patriæ mortíſque levamen:
Siſtit equos, ſiſtit lentas auriga quadrigas.
Rex manibus rhedam, famuli vice functus amicis
Pandit, & egreſſum blando excipit ore Miniſtrum,
Deducítque intrò lectóque affunditur ægri;
Multa Deum pro ſe, próque ægro multa precatus,
Et pro commiſſis ſuperûm ſibi munere Regnis
Nil caſa, nil ſordes, nil oris luridus horror,
Nil fœtor, morbi nil dira pericula terrent
Numinis inflammatum & Religionis amore.
Obſtupuit ſubito aſpectu conterritus æger,
Illudíque diu vanâ ſe credidit umbrâ.
Porrigit admiranti Epulum cœleſte Sacerdos,
Et ſeſe indignúmque iterum indignúmque vocanti
Quem Deus & quem Rex tanto dignentur honore.
Unde amor & Pietas tanta eſt communis utríque
Et majeſtatis ſupremæ oblivio, vilem

Ut viſant animam, & tanto ſpem pignore firment?
Deficiens, ait: & grates Regíque Deóque,
Quo potuit nutu atque incerto murmure ſolvit.
Carolus attollentem oculos, lucémque ſupremam
Quærentem Cœlô, ſuſpirantémque repertâ,
Muneribus verbíſque bonus ſolatur amicis,
Contractis fugiens dum labris ſpiritus errat:
Et natæ (quoniam affictum cum illa remordet,
Una patrem) tutelam orbandæ ſuſcipit ultro,
Et victum & juſtam dotem promittit egenti.
Fortunata nimis tanto tutore Puella,
Deſine divorum fata incuſare gemendo,
Et mortem plorare patris. Rex Carolus omnes
Dum partes genitoris agit, feliciter orba es.
Quis voces vulgi interea, quis gaudia fando
Explicet, aut poſſit plauſus æquare canendo?
Hi pompæ cauſas ſcitantibus ordine narrant.
Auſtriades de more ibat fruiturus aperto
Proſpectu camporum & tempeſtate ſerena.
Numquam intermiſſæ Regni, ſolatia, curæ
Debita nempe petunt Cæleſtia ſacra ferentem,
Ut vidit caſu procul agnovítque Miniſtrum;
Deſiluit curru citus & mox poplite flexo
Pronus adoravit Numen, palmáſque tetendit.
Inde Sacerdotem pavidum & nil tale putantem,
Compellans ultro & ſummo dignatus honore
Compulit invitum Regalem aſcendere rhedam
Ipſe humilis, pedes ipſe Deum comitatus ovantem eſt
Captivus, mentémque trahens ſenſúſque revinctos;
Sæpe rebellantes vario conamine ſenſus,
Vincula rumpentes, indignantéſque teneri.
Quò magìs ingenium vinclis effræne repugnat,
Hoc magìs ille domat: ſua per veſtigia monſtrans,
Quò deceat nos Chriſtiadûm Myſteria cultu,
Nos humiles venerari & ſacra arcana vereri.
Illi Jeſſidem ſupra memorabile factum
Laudibus extollunt, ſacri dum fœderis Arcam
Ductis concelebrat choreis & carmina dicit:
Pars clamat, victum inſigni pietate Nepotis
Rudolphum, generis cedant exordia magni

Ætati robuſtæ & jam florentibus annis.
Privato vix major erat Rudolphus, ubi ingens,
Lapſus equo, ſpecimen divini oſtendit amoris.
CAROLUS Imperio quantùm terráque maríque
Vincit avum, tantùm Pietatem vincit Avitam.
Pars minor Albinij (quem Roma antiqua Sacratum
Faſtis æternâ transmiſit ad æthera famâ)
Comparat Albiniô Regem, Auſtriadæque Quiritem.
Quis tamen Albinius? tanto cur nomine dignus?
Romanus Civis, media de plebe Quiritum.
Excipit, uxore & natis deſcendere juſsis,
Æternas curru flammas Veſtámque fugatam,
Dum conjurati cingunt Capitolia Galli.
Albinio Regem Auſtriadæ conferre Quiritem
Deſinite, & laudem laude extenuare minori.
Albinius tantùm Regi Romanus Ibero
Inclytus Heroi cedit, quantùm impia verò
Veſta Deo. Pudeat minimis componere ſumma.
Dum loquor egreditur puero præeunte Sacerdos,
Vix memor officij lacrymis ſuffuſus honeſtis,
Attonitus victúſque ſui Reverentia Regis
Moverat inſolitâ pietatis imagine mentem,
Agglomerant populi: magìs undique & undique vulgus
Denſum humeris premit, atque magìs Regémque videre
Primi ardent, primi virtuti applaudere tantæ,
Et coram libare oculis, arcere ſatelles
Nititur incaſſum turbam & ſedare tumultum.
Intercluſa via eſt: dum quiſque irrumpere certat,
Et cauſam præbere moræ. Jam CAROLUS adſtat
Ante caſam, cunctis manifeſtâ in luce videndus,
Cæleſti ſimilis Genio, ſe major & ore
Pulchrior humano. Divinus promicat ignis
Luminibus tacitis, & flamma accenſa relucet.
Relligio tales oculis afflârat honores;
Majeſtas tanta eſt & dignæ gratia formæ,
Et caſtigati tam rara modeſtia vultûs.
Omnibus erumpunt lacrymæ, ſua gaudia faſſis
Deficiunt voces: oculos pius irrigat imber,
Suſpenſos tanta ſpecie, admonitúque ſupremi
Numinis. Horrorem Rex injicit omnibus illum,

Quo premitur prior; affectúmque inſpirat eundem,
Fit via, decedunt: ſpatijs tantiſper iniquis
Rex liber, currum rurſus deducit ad aureûm
Sæpe recuſantem dejectâ fronte Miniſtrum;
Et relegens iter omne, Deum comitatus ad alta
Templa triumphantem eſt, & lætis reddidit aris.
Quis nunc ignavum ſiſtat ſuper æthera vatem,
Sub pedibus nubes atque ignea tecta prementem?
Ut valeam divorum audire & reddere voces,
Gaudiáque & totum cantu vulgare per orbem?
Excelſis, intenti omnes, in nubibus hærent,
Deſpectántque ſolum, converſo ad regia vultu
Mœnia, & accenſam ſtudijs cœleſtibus urbem
Abreptas inopina tenent ſpectacula mentes,
Et ſêclo pietas haud unquam viſa priori:
Gratantur Regi, Genti gratantur Iberæ:
Et ſtirpem gaudent non degenerare ſuperbam,
Aſt dignis Cælô magìs inclareſcere factis.
Ante omnes magni Generis clariſsimus Auctor
Exultat Rudolphus, & uno in Rege moratur,
Expendítque ſuæ ſobolis certiſsima ſigna,
Et ſêclis olim non inficianda futuris:
Quémque ſibi præfert prælatum audire Nepotem,
Geſtit & antiquis Heroem Heroibus addi.
Auſtriadûm latè ſeries pulcherrima Regum
Circumſtat, paſcítque oculos ſua bella recenſens
Nec fruſtra exhauſtos pro Relligione labores,
Tam ſanctâ quos prole Deus penſârit in unâ,
Ut proavûm ſtudia & mores agnoſceret omnes.
Immortalem illic videas longo ordine gentem:
Illic Albertos geminos, dum Vita manebat,
Illuſtres bellis, quæ cauſa Deúſque juvaret:
Illic Fernandos & magnanimos Leopoldos,
Nulli Armis quondam, nulli pietate ſecundos;
Rudolphúmque parem meritis & nomine primo;
Matthiámque Scythis domitis Turcíſque ferocem;
Et geminum juxta Fredericum; omnéſque Philippos,
Quos Reges Dominóſque ultro coluiſtis Iberi.
Eminet Heroës inter fortiſsimus omnes,
Carolus Herculeus auſus ſuperare Columnas,

Et monſtra æternis oppugnare omnia bellis.
Nominis hic magni virtutúmque altiùs effert
Heredem, & Divis & Cœlo laudibus æquat.
Adſunt & variæ, Generis laus altera, Divæ,
Multiplici partu & felici prole beatæ:
Nec magnos Lucinæ illas toleráſſe dolores
Pœnitet, ut poſſes quondam labentibus annis,
Carole, tu naſci, magnæ ſpes maxima gentis.
Suſpice nos (melior quoniam, & mortalia major.
Omnia faſtidis) Cæleſtes ſuſpice ſedes,
Et ceſſura tuis olim virtutibus aſtra.
Illic majorum Chorus ingens, ecce, Tuorum,
Tali Te Genitô, tali Te Rege triumphant.
Submittunt tinctas uni tibi ſanguine Lauros,
Et ſigna Imperij, & faſces ſudore paratos
Et patriæ defenſæ & Religionis honores,
Tota tibi jam nunc domus omnipotentis Olympi
Panditur: & cœli juſtâ plus parte recedit.
Proxima turba Deo. Victum ſe quiſque fatetur.
Te ſocium Divi, Te ſidera cuncta repoſcunt,
Atque indignantur noſtros curare triumphos.
Hoc dignum invidiâ tellus, hoc poſſidet unum.
Perge tamen: neque nos quàmvis maturus Olympô,
Deſere: ſed terras Clemens miſerare jacentes.
Innumeri circùm populi Tibi brachia tendunt,
Et non tam Juvenis ſuperos audire vocantes.
Ad ſua Regna velis, concordi voce precantur:
Nec Tu rejicies miſeros, quibus omnis in uno
Rege ſalus & fortuna inclinata recumbit;
Nec Deus, Auſtriacis æterno fœdere junctus.
Perſtabit ſemper fati inviolabilis ordo
Et ſeries immota Tibi: neque fallere cuiquam eſt.
Vives & perges vitiorum exſcindere monſtra,
Et pulchris latè virtutem extendere factis.
Hic finis centum Regnorum, hic terminus eſto.
Interea hanc pompam Sanctorum Annalibus addi;
Omniáque inſcribi victuris ſecula faſtis
Rex patere, & fidum non dedignare Clientem
Carole noſter amor, majorum gloria, ſeræ
Poſteritatis honor, decus immortale Tuorum!

Philip.IV. Hiſp. Rex. Philippus IV. Caroli Regis glorioſiſſimus genitor viſus eſt non ſemel, cum incidiſſet in Parochos Evchariſticum Viaticum ægris deferentes, ex geſtoria ſella deſilire, nullóque turbæ faſtidio, nullo æqualitatis metu, medijs affectatoribus ſe inferre, ægríque domum promiſcuè ingredi, neque antè proſequi iter ſuum, quàm Sacro-ſanctam Evchariſtiam in templum reduxiſſet. Cujus regiæ pietatis etiam anno 1635. Madritum teſtis fuit; cùm Philippus ex aliquot dierum ruſticatione rediens in urbem Sanctiſſimæ Evchariſtiæ occurſu, aurigam ſubſiſtere juſſit, deſiliénsque è rheda ad ægrotæ cujuſdam domum, indeque ad Sacram Ædem pedes comitatus eſt.

Ferdin. Infans Hiſp. Ferdinandus Infans Hiſpaniæ Philippi IV. frater viderat aliquando Sacerdotem ad infimæ ſortis hominem tunc ægrum cum SS. Sacramento properantem, & è rheda confeſtim deſcendit, raptáque è vicina domo face, & aulicis idem facere juſſis, magnâ animi ſubmiſſione comitatus eſt. Cùm autem ægri conditionem admodum tenuem intellexiſſet, ejus paupertatem inſigni liberalitate ſublevavit. Dúmque ipſe in eo morbo, qui illum Belgio eripuit, iter in cœlum adornat, Sacro-ſanctam Evchariſtiam in Viaticum, ad ſe ex Parœcia cum publica pompa deferri juſſit, tum ſtudio honoris Evchariſtici, tum boni exempli: ut Auſtriaci Principis perſonam maximè in ultimo iſto actu, qui potiſſimus eſt, optimè ageret.

Ferdin. II. Cæſar. Anno 1615. fine Novembris Ferdinandus Caroli II. Archi-Ducis filius, poſtea Imperator, venatum pergens Sacerdoti Evchariſtiam bajulanti obvius, eundem pedes notabili luteóque itinere ſummâ devotione ac reverentiâ comitatus, ægrum liberali ſtipe donavit, teſtante Franciſco Chriſtophoro Kewenhiller in Annalibus Ferdinandeis. Hæc pietas Ferdinando fuit penè annua. Meminit Pietatis hujus Bulſius in ſuis Epigrammatibus canendo:

Diſcurſat Venator equo Rex Auſtrius, audit
Cum campana ſacris ære tonare ſonis.
Sollicito per teſqua gradu volat invia Princeps,
Perque vepres aperit, quà licet arte, viam.
Templa ſubit tandem; quæ liba ſuprema feruntur
Ægro inopi, rutila cum face ſubſequitur.
Ponè Sacerdotem luteas Rex intrat in ædes,
Paſcendóque inopi poplite flexus adeſt.
Plaudas æger inops: tibi quidnam excelſius optes.
Rex Auguſtus adeſt binus in æde tibi.

Sed tu plaude magis pietas: & inhospita oberrans
Venator Cæsar per juga, præda tua est.

Eadem Pietas fuit filijs & nepotibus Ferdinandi II. De Ferdinando III. panegyrim funebrem, quam Romanus Rhetor è Societate Jesu coram ipso Alexandro VII. Romano Pontifice de virtutibus Cæsaris perorans habuit Anno 1657. recitabimus. Continet ea permulta, quæ ad præsentem materiam, videlicet cultum Evcharisticum, pertinent. De fratre Ferdinandi Leopoldo Guilielmo Virtutum ejus Scriptor ita scribit. Quod in Rudolpho, Augustæ Familiæ conditore, miraculum fuit orbi, penè annuum factum est in Leopoldo. Certè toties quoties vel in Austria, vel in Bohemia, vel in Belgio SS. Evcharistiæ, sive equo, sive rhedâ vectus occurrit, ad primum ejus conspectum solicito Religionis affectu cursum stitit, in terram desilijt, utùt pluviâ aut luto madentem, positis genibus præstolatus, ad ægros conditione humiles, etiam de contagioso morbo suspectos est comitatus. Ferdinandus IV. Rex Romanorum Avi & Parentis mores delineabat in suis. Adhuc infantulus, si quandôque contingeret per Aulæ forum ad ægros transferri sacrum viaticum, ad æris sonum accurrebat, Crucis signum efformans, & genua flectens. Adultior, si curru veheretur (ùt Ratisbonæ factum) mox exilijt ut transeuntem in Evcharistico ferculo Deum adoraret.

Leopold. Guilielm.

Avancinus Vita Part. I. cap. 3. p. 36.

Ferdinandus IV. Romanorum Rex.

CAPUT XVII.

Austriacorum Principum Pietas in honoranda Sacro-sancta miraculosa Hostia Bruxellis. Solennis Processio à Philippo IV. per Hispaniam instituta.

ANno 1369. perfidi Judæi, qui tunc Bruxellis morabantur, immani sacrilegio sedecim circiter sacras Hostias (quarum una erat majoris formæ) pugionibus transfigunt. Cúmque sanguis ex hostijs transfixis fluxisset, & eadem postmodum inclaruissent miraculis, tandem Margarita Maximiliani I. Cæsaris filia Belgij Gubernatrix, in honorem prodigiosi Sacramenti celeberrimam processionem indixit, quæ hodiéque maximo apparatu, ac religione quot annis instauratur. Obijt Margarita Mechliniæ Anno 1530. eíque in gubernio successit Maria vidua Ludovici Regis Hungariæ & Bohemiæ, soror duorum Cæsarum Caroli V. & Ferdinandi

Margarita filia Max. I. Cæsaris cultũ Evcharist. in Belg. promovet.

Idem facit Maria fil. Philippi I. Regis Hiſpaniar.

dinandi I. quæ devotionem à Margarita cœptam promovit, magnúmque decus ex præſentia ſua, totiúſque aulæ ſuæ comitata addere ſolita eſt. Poſt mortem Mariæ præerant Belgio quatuor ex Domo Auſtriaca, & in primis ſub finem elapſi ſeculi Albertus Archi-Dux Auſtriæ & Iſabella, Clara, Eugenia, hæc Philippi II. Hiſpaniarum & Indiarum Regis filia, ille Maximiliani II. Cæſaris filius. De utrôque ad propoſitum noſtrum Laurentius Beyerlinck in ſuo Theatro titulo *Evcbariſtia* ſequentia. Quis, inquit, pro dignitate commemoret pietatem Sereniſſimorum Belgiæ Principum, Alberti & Iſabellæ, quam etiam & in anniverſaria celebritate Sanctiſſimi Sacramenti Bruxellæ quot annis exhibent? Quando non obſtante cœli æſtu: recurrit enim illa in menſem Julium, quo maximi calores hìc eſſe ſolent, viarum etiam quæ nunc declives in ea urbe moleſtijs poſthabitis, longo itinere, pedites, accenſámque facem manu tenentes inſequuntur ipſum Sacramentum, & exemplo ſuo quàmvis raro, Principum, ſubditorúmque affectum erga ſanctiſſimum hoc Sacramentum provocant. Denique triplex illa corona ex pretioſiſſimis adamantibus compoſita, quæ Sacramentum hoc Bruxellenſe cingit, Alberti pariter & Iſabellæ pretioſiſſimum munus eſt. Et quemadmodum Albertus Evchariſtiæ cultum exemplo ſuo ac Sereniſſimæ conjugis Iſabellæ per totum Belgium vivus aſſeruerat, ita & mortuus commendare voluit, quando ſe in Sacello Sacramenti, ùt vocant, miraculoſi inhumari, & quaſi ante pedes Chriſti Evchariſtiæ inſidentis venerabundum proſterni teſtamentarijs tabulis juſſit. Mortuâ Pijſſimâ heroinâ munus gubernandi Belgium Philippus IV. Hiſpaniarum Rex fratri ſuo Ferdinando detulit, quod ille per annos ſeptem magnâ pietatis, fortitudinis & Sapientiæ famâ inter duos utrinque hoſtes feliciter gubernavit. A celebritate tamen & ſupplicatione, de qua nobis ſermo eſt, nunquam abeſſe conſuevit Sereniſſimus Archi-Dux Leopoldus Guilielmus cùm anno 1647. Belgij gubernationem ſuſcepiſſet, in occurſum omnis Ordo, omnis æſtas & conditio effuſi; quàm laxis amplíſque affectibus ſuum (ut ajebant) Servatorem ſalutabant, tam anguſta reddebat fora & compita ejus ſpectandi deſiderium. Nihil omiſſum eorum, quæ geſtientis animi lætitia miniſtris Regijs & proceribus, Belli-Ducibus & militi, civi & plebi ad ſignificationem plauſûs animorúmque obſequium imperare poteſt. Hinc ne quâ morâ per procerum Patriæ, & Bruxellenſium ſtudia, excipiendo Principi laborantia detineretur, præmiſſo nuntio ſtitit

Albertus cum Iſabella conjuge.

Ferdinandus Infans Hiſpaniæ.

Leopold. Guil. Ferdinandi II. Cæſ. filius. *Avanc. in vita Fer. II. pag. 99.*

operas

operas, ne, quos militi impensos cupiebat sumptus, vanitatis fumo absumerentur: ipse verò mox secutus declinatâ pompâ, Aulæ invectus per hortensem semitam ad D. Gudilæ properavit, Sacram ibi Evcharistiam miraculo nobilem (quod illi genuina Austriacis familiare pietas reddiderat) salutaturus. Annuum ei deinde illud devotionis tributum fuit (nisi procul dissitum uberior Dei gloria prohiberet) sub mensem Julium Bruxellis comparere, ubi stato die publicus honor venerandæ Hostiæ reponitur, eâ religione obire, ut non tantùm præsens esset omnibus ad pietatem stimulo, sed etiam absens altè impressum cordibus exemplum relinqueret ad nepotes transmittendum; nemóque illi auguraretur malè, qui de Deo sentiebat tam benè.

Non abs re erit forsitan hìc referre celeberrimam processionem à Philippo IV. Rege per universam Hispaniam in honorem Sacro-sanctæ Evcharistiæ institutam. Cùm anno 1635. Thenas Brabantiæ urbem (quam Tillemontium vocant) Hollandi expugnâssent & eorum nonnulli Sacratissimam Hostiam flammis traderent; alij eandem turpissimis pedibus protererent; alij denique pyxidem sacram in eâque plenas Deo formulas, equorum caudis alligarent; re ad Philippum IV. delatâ, in ejusmodi vocem Catholici Regis, pectorísque Austriaci testem erupit: *Efficiam, ut plus honoris Augustissimæ Evcharistiæ habeatur, quàm probri hostes nostri inferre potuerint.* Et promissis magnificè stetit. Totis enim Hispanijs indixit supplicationes Venerabilis Sacramenti per civitates atque oppida summo cum apparatu instituendas. Ita maculas una in urbe Evcharisticæ gloriæ aspersas florentissimi regni honor eluit: dum infandis sceleribus eluendis æternus ignis paratur.

Solennis processio in Hispan. à Philippo IV. instituta. *Jacob. Hautin. Sacramento Amoris Evcharistici l. 1. c. 2. p. 23.*

CAPUT XVIII.

Austriacorum Principum æstimatio Missæ.

PRimum hìc Carolum V. Imperatorem producam. Non omittebat ille ullo die divinis ad altare mysterijs adesse dempto illo unico, quo tempestate jactatus ad Algerium fuit prohibitus. Quin imò compertum est Carolum quotidie, si tempus ferebat, pluries sacrificio Missæ interesse solitum. Unde Bulzius in Carolo V. Epigramate sexto ita olim lusit:

Pietas Caroli V. in quotidiana audienda Missa.

Cæsar adoratas bis se prosternit ad aras
Libat ubi summo Mysta Sacerrima Deo.

Hic ſtat & intento ſpectans libamina vultu,
Cernuus offerri bina holocauſta videt.
Quippe homine eſt uno vivens plus Carolus orbi,
Is quoque plus uno vult pius eſſe viro.

Ferdinandus Caroli frater, & poſt illum Imperator, cùm pe-
Ferdin. I. nè aſſiduas divinæ Majeſtati preces funderet, quotidie etiã Miſſæ Sacrificio ſummâ pietate aderat. Miſerat Maximilianum filium, poſtea etiam Imperatorem, ut nomine Philippi Secundi, tum abſentis, Hiſpanias moderaretur. Proficiſcenti dedit ſcripto in mandatis. Primùm ut omnibus negotijs orationem, & Miſſæ ſacrificium præmitteret, &c.

Ferdinando II. Cæſari, atteſtante Scribano in Politico Chri-
Ferdin. II. ſtiano, de tot hoſtibus triumphum & Imperium Pietas dedit. Vincebat quippe in tot Ducibus pugnantibus Deus, ſed Ferdinandus Dei favorem ſuis precibus conciliabat. Modus & ordo tantæ pietatis hic fuit. Experrectus è ſomno diem à Sanctiſſimæ Trinitatis adoratione auſpicabatur, hâncque precatiunculæ formulam ſubjungebat. *Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.* Iſti alias addebat, nunc brachia expandendo, nunc terram oſculo tangendo. Duobus deinde Sacerdotibus ad aras ordine operantibus non modò intererat puro corde, ac reverenter, ſed amavit etiam eos potiſſimùm coram ſe ſacris operari, quos credidit Deo à pietate ac Sanctimonia commendari. Neſcio qua ex cauſa factum eſt, ut ex ijs, qui à Sacris Cæſari erant, nemo aliquando adeſſet. Ergo loci, in quo Aula erat, Sacellanus ab eo, cui incumbit providere, invitatus eſt ad Miſſam coram Cæſare dicendam. Jam Sacerdotalibus ornatus veſtibus Sacrum auſpicaturus erat, cùm Cæſar novum hominem intuitus, ex illo ſciſcitatur, an ſacrâ animum exomologeſi expiâſſet? hærente illo, ac tacitè negante, oporteret ſubintulit antè confiteri.

Nicolaus Vernulæus de Ferdinando II. Libro I. Cap. II. Virtutum Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ commemorat voluiſſe quempiam inter ſacra ſermonem cum Ferdinando miſcere, cui ille: *Sile, ne ſcandalo ſimus.*

Philippus II. Hiſpaniarum Rex in Eſcuriali decumbebat ſub ſeram noctem, & ſub quartam matutinam erigebat ſe ſtrato. Ad primum Miſſæ Sacrificium, quod procurabant ante auroram
Philip. II. Reg. Hiſp. inſtituti à Rege ibidem in Seminario adoleſcentes, non abhorrebat excitari: ratus cantum Angelorum ſuppleri per hos in terris:

ris: quorum officium, nè quietem interturbarent, quàmvis cogitaverint aliqui differre, noluit tamen ullo tempore impediri.

Ejusdem Regis Regium prorsus exemplum silentij & reverentiæ in templo extat, quod refert Raphael Columba Dominicanus feriâ secundâ Dominicæ primæ Quadragesimæ. Cùm ille Sacrificio interesset, duos è suis proceres animadvertit Sacrum illud tempus fabulis violantes; & tum quidem rem dissimulavit: at ubi in confessum ventum est, amarùm illos intuens, facessere jussit & imposterum conspectu suo interdixit. Quod pœnæ genus adeò ambos perculit, ut alter mœrore contabuerit, alter reliquum vitæ velut attonitus manserit.

De eodem Rege Historia Societatis Jesu ad annum 1565. memorat, jussisse pro quolibet carcere fieri sacellum, ut damnati ad Sacrificium admissi Sacro-sanctis Mysterijs donarentur.

De Leopoldo Guilielmo Archi-Duce Nicolaum Avancinum Parte I. ejus Vitæ paginâ 27. audiamus Nullus illi, inquit, dies nequidem instruendi, subeundíve conflictûs, aut oppugnandæ urbis (quàmvis ipse disponeret, urgeret, agerétque omnia) necessitatem imposuit omittendi Sacrificij. Et ostendit quandóque Deus, quàm sibi id obsequij genus acceptum sit, quando, vel vibrantium hostiũ siluit furor, dum agerentur Divina; vel quam antea admotâ omni bellicæ artis vi frangere non potuerat propugnacula defendentium pertinaciam, finito eo pietatis obsequio, flexam submissámque invenit. Neque ille dum hæc tractarentur mysteria, occupari, quæ exhibebantur, litteris visus, neque admittere ad aures negotia, neque mandare; ut totus cum Deo ageret. Leopoldi Guilielmi Archiduc. *Avancinus Vita Part. I. pag. 27.*

Unum hìc, quod occasione belli à Leopoldo factum, & memoratu dignissimum, nefas omittendum duxi. Incluserat Neoburgo ad Bohemiæ fines Slangium cum universo milite; insistebat magnâ violentiâ mœnibus, ut ad deditionem compelleret; sed nondum pertinaciam expugnabat. Imminebat tempus assultui dictum. Archi-Dux ad suos conversus *Missæ*, inquit, *Sacrificium audiamus, & Deus vecordem reddet inimicum*. Mirum dictu! Ubi primùm Sacra Hostia præsentibus spectanda sublata, auditum è mœnibus deditionis signum; ad quod Serenissimus Archi-Dux piè: *Sic hostes vincendi sunt.* *Idem Parte II. pa. 145.*

Porrò vel in ipso postremo morbo Sacrificio Divino intererat quotidie, Dominicis etiam Festísque diebus geminato; ejus autem audiendi cura evigilanti semper fuit. *Parte III. pag. 145.* Ejusdem methodus Missam audiendi.

Libet verò hìc adjicere, quam sibi præscripserat Missæ au-

diendæ methodum, in ejus adverſarijs repertam, cui titulus eſt: CONSIDERATIONES ad S. MISSÆ SACRIFICIUM. Ad Pſalmum, INTROIBO: Formabo intentionem, quâ tremendo huic Sacrificio interſum; & finem ſacræ Communioni, ſeu reali, ſeu ſpirituali præfigam. Ad CONFITEOR: Confitebor iniquitates meas Deo ſummo Sacerdoti; concipiam intimum de peccatis meis dolorem. Ad INDULGENTIAM: Excipiam abſolutionis ſententiam, quæ mihi à Deo impenditur. Ad INTROITUM: Excitabo deſiderium, ut veniat ad me Dominus meus per ſui corporis veram aut ſpiritualem ſumptionem. Ad KYRIE: Petam hanc humiliter à tribus Divinitatis perſonis. Ad GLORIA IN EXCELSIS: Collaudabo & congaudebo Deo de eo, quod eſt ſuper omnia Deus. Ad ORATIONEM: Rogabo eundem Dei in me adventum, per interceſſionem eorundem Sanctorum, quorum eo die memoria agitur. Ad EPISTOLAM: Expendam deſiderium & voluptatem, quam Deus ipſe habet, ſe mihi exhibendi, & cum animâ meâ uniendi. Ad EVANGELIUM. Audiam ea verba tamquam ex ore *Chriſti*, ad me unicum & ſolum deprompta. Ad CREDO: Eliciam *actum* veræ ac vivæ Fidei, cum ardente deſiderio, etiam vitam & ſanguinem in ejus conteſtationem fundendi. Ad OFFERTORIUM: Offeram, &, quantum potero, me perfectiſſimo amore cum Deo uniam. Ad PRÆFATIONEM: Eodem affectu elevabo cor meum ad Deum meum, & Majeſtatem ejus cum Angelis collaudabo. Ad SANCTUS: Dicam Pater noſter, &c. ut S. Mechtildis ſolebat, & ſalutabo venientem Deum cum Hebræis, benedictus qui *venit in* nomine Domini. Ad INFLAMMATIONEM CEREI: Ex corde dicam: Accende lumen ſenſibus & cordi meo, &c. Ad CONSECRATIONEM: Optabo ſic cor meum ſpirituali modo perfectiſſimo transmutari in cor Dei. Ad ELEVATIONEM: Aperiam Deo meo vulnera animæ meæ, & hærebo corde ad crucem morientis JESU. Ad PATER NOSTER: Petam humiliter panem ſuperſubſtantialem & parabo me affectibus ad S. Communionem. Ad AGNUS DEI: Veniam peccatorum corde contrito à miſericordiſſimo Deo petam, cum magnâ ſpe & fiduciâ. Ad DOMINE NON SUM DIGNUS: Agnoſcam indignitatem meam triplicem. Primò, quòd Deum meum offenderim: ideò offeram ei ſuam ipſius ſatisfactionem, quam pro me miſero æterno Patri obtulit. Secundò, quod nullam habeam ad tantum myſterium præparationem: ideò offeram illi, & optabo omnes omnium Sanctorum, Beatiſſimæ Virginis, ac ipſius Chriſti mei præparationes. Tertiò, quòd eum non amem, ſicut

Idem ſupra citatus pag. 27.

ſicut debeo,& toto corde deſidero: ideò ſupplebo defectum amoris mei per ardentem amorem Seraphinorum, omnium Sanctorum, Beatiſſimæ Virginis & ipſius Dei. Ad COMMUNIONEM SACRAMENTALEM aut SPIRITUALEM: Profundiſſimâ humilitate, ardentiſſimo deſiderio recipiam aut recipere optabo in corde meo Deum meum; & tum conſvetis affectibus cognitionis, æſtimationis, laudis oblationis, unionis, &c. hoſpitem meum excipiam. Ad ORATIONEM ULTIMAM: Orabo mihi gratias & effectus ſpirituales hujus Sacramenti conferri. Ad ITE MISSA EST: Eliciam propoſitum procedendi de virtute in virtutem, uſque ad apicem perfectionis, in fortitudine cibi iſtius. Ad BENEDICTIONEM: Excipiam hanc à Sacerdote, tamquam à Deo, cum deſiderio excipiendi ultimam à ſupremo Judice, quam daturus eſt electis, quando dicet: *Venite benedicti, &c.* Ad *ultimum Evangelium*: Audiam & illud, ut verba loquentis ad me Dei, conquieſcam in eo, *& Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, delectando me cum amantiſſimo meo hoſpite Deo. Ita ille plenus affectibus ad unum ſemper Evchariſtiæ, ſeu in Sacramento, ſeu in voto ſumendæ finem directis.

CAPUT XIX.

Auſtriacorum Principum æſtimatio Sacerdotij.

ECcleſiam, Eccleſiæ Caput, & Sacrum Sacerdotum Ordinem Auſtriaci Principes amârunt ſemper & coluerunt. Commemoremus pauculos & ſua laude coronemus. Agmen mihi ducat, qui Familiam, Rudolphus I. Cæſar. Hic fluctuantis pridem Imperij gubernaculo admotus, nihil prius habuit, quàm Romana Sceptra Romanis Clavibus ſubmittere, & humanæ aſſertorem ſalutis Germanæ libertatis aſſertor venerari in Vicario Pontifice. Is erat Gregorius X. cui primùm per Legatum Ottonem Præpoſitum S. Guidonis Spirenſis Diœceſis Aulæ Imperialis Cancellarium obedientiam & fidelitatem ſpopondit Lugduni in Gallijs. Id ipſum Lauſanæ ipſemet ex formula à Sacris Canonibus præſcripta iteratò præſtitit, cùm priùs pedi illius magna humilitate oſculum infixiſſet. Quod honoris ſymbolum Auſtriaci Principes complures, dum occaſio ita ferret, ſummo Eccleſiæ Capiti, exhibere ſunt ſoliti: Primus poſt Rudolphum, de quo nobis conſtat, occurrit Albertus VI. Archi Dux Auſtriæ Friderici V. Cæſaris frater, qui anno 1450. Romam ad lucrandum Jubileum profectus

Pietas Rudolphi I. Imper. in Caput Eccleſiæ.

Vide Lib. I. Caput IV. V. VI.

Alberti VI. Archi-Ducis.

fectus, Nicolai V. Pontificis pedibus advolutus humilitatis ſummæque reverentiæ ſpecimen dedit.

Friderici V. Cæſar.

Anno 1452. cùm ipſe Imperator Fridericus Romam veniſſet, antequam à Pontifice imperialibus inſignibus decoraretur, ad pedes Pontificis ſeſe abjecit, & auri maſſam obtulit. Tum quoque, ùt in Annalibus Eccleſiaſticis Odoricus Raynaldus refert, Ladislaus Ungariæ & Bohemiæ Rex, & Albertus Archi-Dux Auſtriæ, ac demum Imperatrix pedes baſiaverunt.

Ladislai Bohemiæ Regis.

Voti cauſâ Anno 1468. eodem veniens Cæſar, pedem, manum & faciem Pontificis, atteſtante memorato ſuprà Scriptore, deoſculatus eſt.

Caroli V. Cæſaris.

Neque in hoc Pietatis genere ſuis prædeceſſoribus ceſſit Carolus V. Cæſar, qui Anno 1530. Bononiæ dum coronaretur, piè inflexo genu pronus exoſculato pede Clementis VII. Pontificis, eum adoravit. Ipſi poſtea Pontifici equum conſcenſuro ad lævam Cæſar auratas pedibus inſerturus ſtapedes erat; niſi obſequium Religioſa modeſtia detrectâſſet. Nobilitata eſt Ferraria Italiæ Urbs Anno 1598. præſentiâ Clementis VIII. Pontificis, Alberti Archi Ducis Auſtriæ filij Maximiliani II. Cæſaris, Margaritæ filiæ Caroli II. Archi-Ducis Auſtriæ, Sponſæ Philippi III. Hiſpaniarum Regis, tum Mariæ parentis Margaritæ, ſúntque ſinguli ad Pontificis pedis, & manús oſculum admiſſi. Prima omnium Regina: ſecundo loco Archi-Dux Mater; Albertus tertio.

Alber. VII. Archi-Ducis.

Margarit. Sponſ. Philippi III. Reg. Hiſp.

Ferdin. II. Cæſaris.

Margaritæ frater Ferdinandus (poſtea nominis hujus ſecundus Cæſar) Dux Styriæ memorato an. 1598. habito priùs Pragæ conventu cum intimis Cæſareæ Majeſtatis Rudolphi II. Conſiliarijs, cùm ſe ad reformationem Religionis in terris ſuis hæreditarijs reſolviſſet, ad feliciorem rei tantæ progreſſum Romam ad Clementem VIII. pro accipienda benedictione, pauculis Aulicis comitatus proficiſcitur, ubi in Collegio Patrum Societatis Jeſu divertit, indeque incognitus ad Pontificem ductus, impreſſo ſacris pedibus reverentiſſimè oſculo, ab eo largiſſimam benedictionem accipit, & in Miſſa ex ejuſdem Sacris manibus ſacrâ Synaxi reficitur.

Ferdinandi frater Leopoldus Epiſcopus adhuc Argentinenſis & Paſſavienſis Anno 1625. ad pedes Urbani VIII. ſe provolvit. Cæteri Habſpurgo-Auſtriaci Imperatores & Reges hanc Pietatis in ſummum Eccleſiæ Caput notam per Legatos ſuos exhibuerunt.

A ſummo Capite Eccleſiæ & Sacerdote ad eos qui ei ſubordinati ſunt progredior, declaraturus exemplis æſtimationem

Sacerdotalis muneris apud Principes Auſtriacos. Religio Ferdinandi II. Imperatoris, ac Pietas cunctis eſt gentibus notiſſima. Extra Cælites ille nulli impendebat majorem reverentiam quàm ordini Sacerdotali. Pretium homini apud Ferdinandum conciliabat ſolus hic character. Deum in Sacerdote venerabatur. Præponderabat hæc dignitas alteri cuivis honoratæ vitæ, aut faſtigij celſioris: quàmvis & vitæ integritate in proximo & eminentiâ honoris cujuslibet pro merito, & conditioue delectaretur. Colloquens cum Sacerdote, etiam Capellano domeſtico, honorabat hunc titulo Domini, aut Patris. Occurrens de his cuipiam, aperto capite eum reverebatur. Mos eſt Principibus è Domo Auſtriaca Alemannica præbere accedenti manus oſculandas in ſignum gratiæ, & benevolentiæ. Sacerdotibus dexteram promptè offerebat Ferdinandus, ſed non ſuſtinebat, ut oſculo tangeretur: ajebat enim, illud eſſe favoris Cæſarei, quem deberet; iſtud honoris & obſervantiæ, quam character depoſceret. Stupuerunt circumſtantes, cùm diceret aliquando, ſe in occurſu Angeli, & Sacerdotis, priùs Sacerdoti venerationem impenſurum, poſtea Angelo. Quotidie infuſis ad Deum precibus meminiſſe ſolebat Cleri, primùm Epiſcoporum univerſim, denique ac ſingulariter ſummi Pontificis. Honorem ordinis Sacerdotalis tutabatur fortiter. Audierat de quodam Epiſcopo, quòd de ſe acerbiùs prolocutus fuerit; nec defuit ex colloquentibus, qui hominem ùt improbum, & iniquum ſuggillaret. Quem reprehendens Ferdinandus: omitte iſta, inquit, Epiſcopus enim eſt. Quocunque proficiſcebatur, volebat ſibi adeſſe confeſſarium. Hujus præſentiam ſibi æquè gratam eſſe affirmabat, ut cuſtodis Angeli. Cùm ad confeſſionem Cæſaris excipiendam ille veniret, occurrebat obviam Ferdinandus capite detecto ad limen conclavis; & ingredientem reverenter conſalutabat; morem hunc toto vitæ tempore proſecutus. Mirum & illud in tanta Majeſtate. Capiebat prior Sedem, & accomodabat loco, in quo aſſidere excipiendæ Confeſſioni Sacerdotem oportebat, cúmque officium præveniret, aut deprecaretur confeſſarius, ajebat; ſineret ſe agere, quod muneris ſui nunc eſſet. Alijs quoque obſequijs præſentem, ac recedentem ſtudioſè proſequebatur.

Ejuſdem reverentia in omnes Sacerdotes

Lamorma- in in Vita Ferdinand. cap. IX.

Dictu memorabile.

Philippus II. Hiſpaniarum Rex in Eſcuriali locum habitationi ſuæ deſignaverat ambulacrum inferius, cui incumbebat aula, quam curſu, & recurſu; cantu item, ac ſedilium ultro citróque deportatorum motu inquietabant religioſi incolæ. Animadverſo

Reverentia in Sacerdotes Philip. II. Reg. Hiſp.

so demum errorē deprecabantur molestiam, quam diu noctúque Philippo creâssent. At ille; molestiam sensi equidem, sed patienter me ferre oportuit, qui dignus non sum subire vel pavimentum, quod calcant servi Dei.

Nirnberg. in Virtute Coronat. cap. IV. §. II.

Idem Cæsar Augustæ moratus die Cinerum non permisit capiti suo cineres de more affundi, donec Ecclesiastici omnes, etiam non Sacerdotes essent inspersi: tum singulari cum corporis compositione ad infimum gradum Altaris processit, cætero vulgo communem, nec tapetem, nec pulvillum substerni genibus passus. Ministros Ecclesiæ, & Sacerdotes reverentissimè colebat. Intelligens subortam fuisse litem inter Pro-Regem Valentiæ & loci Archi-Episcopum, super pace accipienda tempore divini Sacrificij: quin etiam ex mandato Regij Senatûs decretum fuisse, ut Pro-Regi personam Philippi præsentanti primæ deferrentur, quod similiter in novo orbe sancitum ferebatur: præsens itaque ipse anno 1585. Valentiæ, cùm pax ab altari primùm sibi deferretur: abi, inquit, ad Officiantem, & primùm Archi-Episcopo defer, tum redi, & pacem offer. Ædificationis publicæ momentum singulare prosecutus est populus cum acclamatione universali; una voce insonantibus in templo cunctis; *Vivat Rex, vivat pietas Regia, vivat annos æternos magnus monarcha!*

Nec habuit, nec desideravit rerum abs se gestarum historiæ Scriptorem. Qui tum scribebat Ambrosius de Morales, Regni Historicus, non Regis fuit. Fortuitò sacristiam in Escuriali cum Philippo filio ingressus in Sacerdotem incidit, qui Sacro ad missam celebrandam apparatu se induebat: mandavit illicò ire filium & juvare assumentem indumenta, & aptare albam vestem decenter ad talos. Statim Princeps accinctus operi adfuit, sed pileo caput coopertus: cùm Rex: an intelligis fili, quid agas? Et isto nudato confestim capite pulchra cum decentia ac demissione officium prosequi perrexit. Cùm è Sacrario Sacerdos ad altare procederet, canitiem suam venerandā nudabat Philippus, præstito rursus eodem signo reverentiæ, cùm ab altari recederet. Rationem facti posterioris rogantibus aulicis affirmavit: in Sacerdote ad Sacrarium revertentē venerari se Reliquiarium, ac lipsanothecam corporis, ac sanguinis Christi, cujus species Sacramentales adhuc intra pectus sacrificantis durarent. Occupato Divi Quintini in Francia fano publico edicto cavit, ne quis Sacris Divorum Ædibus, Sacerdotibus, Religiosis hominibus vim ullam inferret.

Vernulæus Virtutum Gentis Austriacæ Lib. I. Cap. II.

Piaculum admisisse judicarer, si hoc loco præterirem Leopoldum

dum Wilhelmum Archi-Ducem Austriæ, de quo Scriptor vitæ Parte III. Capite V. hisce meminit. Erat ejusdem cum Augustino opinionis, cujus verba recitabat sæpiùs: *Si cùm Sacerdote occurreret Angelus, priùs Sacerdoti quàm Angelo honorem esse exhibendum.* Hinc Deo consecrati viri primæ semper fuerunt admissionis: qui ne ministrorum seu incuriâ seu injuriâ ad secundam tertiamve admissionem retruderentur, ipse in admittendorum capite eos collocabat; ut qui apud Deum sunt primi, non essent accessu postremi. Conscientiæ suæ arbitrum eâ reverentiâ observabat, quâ filius patrem: occurrebat advenienti, excipiebat nudato capite, sedem ipse judici suo locabat, è quâ sententiam gratiæ pronuntiaret. Si quando procederet in publicum, ubi fastus plerúmque Principes comitatur, ad cætera non admodum curiosus, si tamen Ecclesiasticum quempiam, aut sanctioris Ordinis virum conspexisset, præ cæteris reverentiæ signo honorabat. Reverentia in Sacerdotes Leopoldi Guilielmi Archiduc.

CAPUT XX.

Miscellanea de cultu Evcharistico & Zelo Domûs Domini.

HIc titulus ùt multa complectitur, ìta multa eaque varia, quæ Austriaci Principes pro Zelo cultûs divini egêre, prout nobis in calamum inciderunt, memoramus. Leopoldo Guilielmo armorum imprimis Ferdinandi III. Cæsaris fratris Generalissimi, postea Belgij Gubernatoris, dum bella gessit, annuum armorum auspicium fuit, priùs circumlatum Angelorum panem indictâ solennitate prosequi, quàm exercitibus in campo præire. Ejusdem annuum armorum initium per cultũ SS. Evcharistiæ. *Citat. Vita Script. P. I. paginâ 35.*

Et quia toto prope, quo armis imperavit in Belgio præcipuè, tempore commeatus deficiebat militem, & magìs promissis rerum, quàm usu sustentabatur, de animarum annona sollicitus ea versabat consilia, ut quaqua migraret miles, hac cum illo commeatus sacer, summâ, quâ posset religione deveheretur; jamque currule Sacellum adornaverat, in quo magnificâ pompâ gaderetur in Evcharistia Deus, & assiduo lychno honoraretur: sed artificia pietatis expendentem terruerunt pericula; ne is, quæ suæ suorúmque venerationi optabat comitem. Si quando sinistrâ confligeretur aleâ, hostium irreverentiæ exponeretur. Ita prodidit, cùm præstiterit potueritque multa, majorem tamen extitisse affectum, quàm valuerit facultate adæquari. Idem Serenissi- Inventum colendi SS. Evcharist. tempore bellico. *Idem p. 37.*

reniſſimus Archi-Dux hujus myſterij honori complura, ſeu proſâ, ſeu ligatâ, ad muſicos numeros dirigenda ſcripſit.

Pietas Philippi IV. Regis Hiſpan. in SS. Evchariſt. ſanctiore hebdomade.

Philippus IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Sanctiore hebdomade, viâ lutulentâ, pluvio cœlo, aulicis propè diſſuadentibus, humili ſagulo & vulgari perone tectus plurima templa Madriti pedibus obire non ſemel viſus eſt, ibique ſacrum Chriſti corpus pro more veneratus, imbre madens ad palatium revertebatur. Hæc aliáque complura refert JacobusHautinus Sacramento Amoris Evchariſtici Lib. II. pag. 559.

Liberalitas Philippi II. in SS. Evchariſtiam. *Jacob. Hautinus Sacramento amoris Evchariſtici lib. 2. pag. 566.*

Cùm anno 1557. Philippus II. Hiſpaniarum Rex celeberrimam illam ad S. Quintinum victoriam de Gallis reportâſſet, ob memoriam ejus Cœnobium Religioſis Sancti Hieronymi Scuriacum vulgò Eſcurial nominatum, octavum mundi miraculum, in honorem S. Laurentij Martyris à fundamentis immenſo ſumptu excitavit. Feruntædicolam Venerabilis Sacramenti, ſeu tabernaculum aræ Principis in templo, quindecies centenis aureorum millibus conſtitiſſe: ſtructuram ipſius aræ *quinies centenis*: totum Cœnobium, vel Regiam potiùs, triginta *millionibus*: ex quo datur intelligi, quantum ornatûs elegantiæque inſit ſingulis ejus partibus ac templi præſertim vaſis, aliiſque quadraginta hujus altaribus, cùm ejus conditor Philippus ſecundus duos ac viginti annos & primorum totius Europæ artificum omnem artem induſtriámque in ejuſdem extructione inſumpſerit. Hoc magnificum & ſtupendum Cœnobium, verè orbis miraculum maximo Hiſpaniarum luctu Anno 1683. conflagravit, in cujus extructionem quantum præſtiterit hodie regnans Carolus II. Rex, alio loco dicemus. Interim paucula dare conſtituimus circa rem nummariam, quam memoratus Catholicus Rex dicatam habet occaſione ſolùm Religioſorum è Societate Jeſu, qui in Indiam transportantur, ibique aluntur. In Provincia Novæ Hiſpaniæ, in vinum coëmendum in ſacrorum uſum, atque in oleum ad lampadem unam, quæ in uno quoque templo pro Sacro-ſancto Sacramento lucet, Majeſtas Regis tribuit ſingulis annis bis mille & octingenta quinquaginta ſcutata argentea. In Provincia Philippinarum in Templorum ornatum, cœtûſque muſicorum ac eorum cultum, è ſex millibus ſcutatorum argenteorum certam ſummam. Habet præterea ſtatutum Rex, ut uno quoque anno ſuis expenſis adornetur navigium, quô in Marianas Inſulas neceſſaria quæque ad victum invehantur, quibus, & ali poſſint excurſores Evangelici cum militibus, & Chriſtiani unà cum templis valeant quoque

Munificentia Caroli II. Regis Hiſp. in Sacrorū uſum.

ſuum

ſuum ſtatum atque rationem tueri, hujúſque adornatio navigij, expeditióque conſtat Regi ſcutatorum argenteorum quatuor millibus. Item in Miſſiones, & reſidentias, quas Patres habent in Tagala Regione, confert ſingulis annis Rex ſcutata argentea quater mille. Præterea tantùm olei præbet in lampades ſexaginta, quæ ardent aſſiduè pro Sacro-ſancto Sacramento in templis dictarum Miſſionum; tantúmque vini confert etiam ſingulis annis, quantum emì poſſit non minoris, quàm duobus millibus ſcutatorum argenteorum. In Provincia Novi Regni vino & oleo in uſum Templorum Carthaginenſis Collegij atque de Panamà atque in medicaminibus ægrotis Patribus largitur Rex ſingulis annis quadringenta & quinquaginta ſcutata argentea. In Provincia Paracuarienſi oleo in uſum lampadum Templorum, vinóque in ſacrorum uſum, prætereà in varijs medicaminibus ægrotis Patribus adhibendis, qui verſantur in miſſionibus ſeu in his morbum ſuſtineant, ſeu in Collegijs penuriâ rerum oppreſſis, largitur ſingulis annis ſcutata argentea ad ter mille. In Provincia Chilenſi vino in ſacra, atque oleo in Templorum lampades ſingulis annis expendit Rex ſcutata argentea ad mille & quingenta, plùs minúſve. Tantæ pietatis & munificentiæ fuêre præcurſores Carolus V. Cæſar; filius ejus Philippus nominis hujus ſecundus, & Philippi III. & IV. omnes ſoboles Philippi I. Auſtriaci.

Præcurſores tantæ munificentiæ Auſtriaco-Hiſpani Reges.

Philippus III. Hiſpaniarum & Indiarum Rex ut ſtudium ſuum ſingulare, ſeu Catholicæ fidei tuendæ propagandæque, ſeu Evchariſticæ religionis colendæ, Hiſpaniarum Regnis circumſcribi minimè paſſus, cùm intellexiſſet utrámque in Germania graviſsimè periclitari, Regium patrimonium oppignoravit, Eccleſiæ & Cæſari devovit, & opportunè ſuppetias tulit. Idem quadraginta hominum millia expedita ad nutum Pauli V. tamdiu in armis habuit, donec idem Pontifex mittens, qui ſuo nomine gratias ageret, haud ſe ampliùs eo milite indigere teſtatus eſt. Eodem ipſo regnante Societati Jeſu aliíſque Religioſis hominibus opitulante novem Regna in America ad Chriſti fidem converſa, templa & aras Evchariſticis Sacris excitârunt, totidem monumenta Auſtriaco-Hiſpanicæ pietatis. Hic etiam Rex pietatem Marianam conjunxit cum Pietate Evchariſtica, dum numiſmata cudi curavit unâ parte referentia SS. Sacramentũ cum epigraphe: *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum*, aliâ parte Deiparam ſole amictam cum ſuppedanea Luna & epigraphe: Concepta ſine Originali, juxta veterem apud Hiſpanos uſitatam clauſulam; *Laudetur*

Jacob. Hautinus paginâ 559.

tur Sanctiſſimum Sacramentum, & puriſſima Conceptio Dominæ noſtræ ſinè peccato originali. His libet addere, quod in ſuo Theopholitico obſervavit Nierembergius. Recentes, inquit, Hiſpaniarum Reges (haud dubiè Philippos III. & IV. intelligit) amplificandæ Chriſtianæ Religionis ſtudium ſecuti nullis parcunt impenſis, in Religioſos omnes profuſi. Societas Jeſu novem in Indijs Provincias habet, vice-Provincias duas, quarum omnium penè Religioſi ſumptibus Regis ab Europa in extrema mundi trajecti ſunt. Præterea vinum ad celebranda ſacra oleum ad alimenta lampadum templis liberaliter largitur Rex Hiſpanus. Religioſis medicamenta Europæa ſuppeditat, plurimóſque alit. Multa quoque ex fiſco Regio ædificata ſunt templa. Eâdem liberalitate uſus erga Dominicanos, Franciſcanos, Auguſtinianos, Carmelitas, Mercenarios, quarum ſanctiſsimarum familiarum Religioſi ſumptibus quoque Regij fiſci Indias penetrant. Neque id, quod de vini donatione dictum, parùm eſt, cùm in Philippinis Inſulis quadringentis nonnunquam Regalibus ematur ea vini menſura, quam arroba dicimus. Neque tantum pro ſua ditione providet tot impenſis Prædicatores Evangelicos, ſed & pro Regnis & Provincijs extraneis Sinarum, Japonum, Magor, Tibet, Cambajæ, Sian, Pegu, Cochinchinæ, Æthiopiæ, Biſnagæ, Tuquimar, & alijs. Deinde omnes Cathedrales Eccleſiæ (quadraginta numero ſunt in America) Regum juſſu, ex fiſco ædificatæ ſunt. Ex eodem ſolvuntur annui reditus Epiſcoporum Indicorum & Japonum, & Sinarum, & Serre in Oriente: tum Parochorum, & Sacriſtarum, & aliorum Eccleſiaſticorum. Plurimis quoque Franciſcanis, & Dominicanis veſtitum donat. Exploratum quidem ex ſolo fiſco Mexicano ſeptuaginta millia argenti pondo (Hiſpani peſos dicunt) cùm Religioſis exhauriri. Quid fiet ex aliarum Provinciarum fiſcis? ſunt autem in ſola America quinquaginta & quatuor fiſci præter Braſiliam, &c. Hæc ferè ad verbum Nierembergius. Stupeat orbis Conſtantini Magni, Caroli Magni, Henrici II. Sancti Imperatorum effuſam in Eccleſias, & Eccleſiaſticos munificentiam; nunquam tamen illa æquabit, hanc tam luculentam juxtà & ſanctam, ut ita dicam, prodigalitatem.

CA-

CAPUT XXI.

Heroidum Auſtriacarum Pietas Evchariſtica ex præmiſſis titulis deducta.

COnſtantia Archi-Dux Auſtriæ Caroli Archi-Ducis filia, Ferdinandi II. Cæſaris ſoror, poſt Annam ſororem Sigiſmundo Regi Poloniæ in matrimonium elocata, reſpondit nomini ſuo, tunc vel maximè cùm ultimo vitæ ſuæ anno feſtum Theophoriæ celebraret. Annus erat reparatæ ſalutis 1631. quo illa ſupplicationem ſacram in ſolenni deportatione Auguſtiſsimi Corporis Chriſti pedes obiverat, ſole admodum fervente: indè plurimum fatigata, inflammationem concepit, quam Medici balneo frigido auxêre. Neque morbi vis intellecta eſt, donec ancillæ cubiculariæ jam extinctam in toro reperêre. Magnarum, inquit, Adolphus Brachelius Hiſtoriarum noſtri temporis Libro quinto, virtutum Heroina & planè Auſtriacæ pietatis. Præter multa pietatis Evchariſticæ exercitia, & illud pietatis exercitium Conſtantia in Polonicam induxit aulam, ut feriâ V. majoris hebdomadæ in memoriam Cœnæ Dominicæ epulum inſtrueretur duodecim pauperibus, quibus Rex & Regina in perſona ſerviêre ad menſam nemine alio admiſſo præter Confeſſarios & Regium Principem. Ità nimirum Auſtriaci ſolis genium imitati, nolunt ſibi tantùm lucem & calorem impendere, nisì diffundant in alios. Nec aliæ Conſtantiæ ſorores degeneraverant. Maria Magdalena Magna Duciſſa Hetruriæ, cùm Græcio Florentiam ſponſa deduceretur anno 1608. Labacum tranſijt, ibique Archi-Confraternitati Corporis Chriſti nomen dedit, quia devotiſsima ſemper fuit SS. Sacramento. Quin altero mox anno ad Epiſcopum Labacenſem Thomam literas, & ſacrum munus tranſmiſit gravem pondere, & magni pretij Monſtrantiam in Theophoriæ proceſsionibus uſurpandam, quæ etiamnum in Eccleſiæ Cathedralis ſacrario aſſervatur.

Pietas Evchariſtica Conſtant. Archiduc.

Schönleben Prolegom. P. II. C. IX.

Mar. Magdalenæ.

Schönleben citatus.

Margarita, priorum ſoror lectiſsima conjunx Philippi III. Regis Hiſpano-Auſtriaci, nuptialem veſtem in qua Ferrariæ anno 1598. marito Regi in manus convenit, ab ultima poſt quadriennium Hiſpania Græcenſi Baſilicæ D. Ægidij donum tranſmiſit. Veſtis erat auro argentóque texta Attalico ingenio, tanti ponderis, quantum mirum eſt à ſexu imbecillo portari potuiſſe. Ex ea poſtmodum Sacerdotalia paramenta formata ſunt. Et verò ut

Margaritæ

Idē ex Annal. PP. Societ. ad añ. 1598. 1611. & 1612.

munus Regiam munificentiam commendaret efficaciùs, conjunxit aliud, cujus pretium decem aureorum millibus æſtimatum. Capſa erat hexagona cubitali altitudine elaborata, ebeno, cryſtallo, ebore, argento, auro, unionibus 147. pyropis 84. Smaragdis 72. exornata, cui incluſæ SS. Reliquiæ. Poſtquàm omni die devotiſſimè tria audîſſet Sacra, illius curæ erant in paranda, ornandáque ſupellectile ſacra maximè, quæ Venerabile Sacramentum contingit. Didicerat hoc ab Archi-Duce Auſtriæ Maria Bavara parente ſua, quæ quidquid operis faciebat, ad templorum altariúmque cultum conferebat. Certè cùm Margarita lacera cujuſdam altaris ornamenta vidiſſet, obortis lacrymis: heu, inquit, quàm humilis eſt Deus, qui in ſuo cultu tam vilem apparatum patiatur. Ejus poſtremus morbus, qui tam piam parentem, támque inclytam Reginam Hiſpanis abſtulit, hanc in concinnando anteriori aræ velamento, quod antipendium vocant, adlaborantem deprehendit: perinde quaſi portenderet ad laboris cultúſque ejuſmodi præmium eam cælitus vocari. Singularem etiam animi ſenſum obſervantiámque in Sacerdotes heroinæ hujus juvat ſubjicere. Hæc tanti illos faciebat, ut diceret, dolenter ſe ferre, quòd propter Reginæ morem, jubere non poſſet Sacerdotes coram ſe operto eſſe capite, & ſedere; cùm tamen ipſam flexis ante Dei miniſtros genibus jacere oporteret. Quem honorem ſolita eſt reddere SS. Evchariſtiæ Sacramento, dum ad ægros deportaretur, argumento ſit vel illud. Quondam primo manè ac frigidâ tempeſtate cùm è ſomno excitata eſſet pulſu campanûlæ Evchariſtiam per plateas de more indicantis, confeſtim ad palatij feneſtram, unde illa conſpici poterat, è lecto proſiluit, & prætereuntem reverenter adoravit. Quid de Anna harum ſorore & prima conjuge Sigiſmundi III. Regis Poloniæ dicemus. Quotidie illa Miſſis pluribus interfuit. In Adventu Miſſam de B. V. quam Rorate ab introitu appellamus, per duas horas decantari curabat, & nihilominus alijs duabus Miſſis intereſſe voluit: neque ullâ aëris intemperie aut frigore (quod in Polonia rigidiſſimum eſt) ſeſe ab ea devotione arceri paſſa eſt. Neque hìc præteriri debet Eleonora quinta filia Caroli Archi-Ducis filia. Hæc graviſſimo oculorum morbo aliquando affecta, dum pro more devotiſſimè Miſſæ intereſt, & Sacro-ſanctam Hoſtiam à Sacerdote ſublatam magna cum voluptate jam adoraverat: de repente ſenſit humorum ſuffuſione lucem ſibi mergi. Quid tum ipſa? *bonum*, inquit, *factum, felicem me repeto, cui quod pulcherrimum in orbe ſit, ultimum conſpicere*

Hautinus Lib. II. de SS. Evchariſt. p. 561.

Annæ Reginæ Poloniæ. *Schönleben citatus.*

Eleonoræ. *Hautin. citat. p. 562.*

datum

datum est. Pereant oculi, qui Evcharistiam sunt intuiti, vel hoc ipso jam beati sunt.

Catharina filia Philippi I. Hispaniarum Regis, Archi-Ducis Austriæ, Sebastiani Lusitaniæ Regis avia suis manibus gestiebat cælesti exornandæ hostiæ pretioso ex auro, picturáque textili velamenta conficere, sacris consuendis linteolis, quæ divino Corpori in ara substernuntur laborare, ijsdémque amyli cremorem per se ipsam illinere: quæ jam obsoletiora, quàm ut cæleste mysterium decerent, Elisabetha Infantis Duartis uxor exemplum Catharinæ secutus, suis & ipsamet manibus unà cum regali sobole eluebat, purgabátque, factâ ijs à summo Pontifice sacras hasce telas contrectandi potestate. Catharinæ. *Sacchin. in Hist. Societatis Jesu P. IV. ad ann. 1578. Num. II. & seq.*

E Lusitania in Galliam transilio, ubi Anna Mauritia Philippi tertij Hispaniarum Regis filia, Ludovici XIII. Galliarum Regis conjunx, & Ludovici XIV. hodie regnantis mater, præclarum dedit exemplum præcipuæ cujusdam in Evcharistiam religionis. Anno 1644. ipsâ die octavâ Venerabilis Sacramenti, aram in aula palatij Regij, Evcharistiæ excipiendæ (dum ab æde Paræciali S. Eustachij istac defertur) erigi jussit, adeò magnificam atque augustam sive ob sacrarum Reliquiarum sanctitatem, sive ob radiantes coronæ gemmas, sive ob alias sacras opes oratorij Reginæ, quibus effulgebat undíque, ut parem illi Francia non unquam vidisse dicatur. Porrò Rex dextram ingredientibus latus altaris tenebat, juxtáque illum erat fraterculus Dux Andegavensis, Regina autem mater sinistrum. Cujus voluntate Rex cùm Sacro-sancta Hostia allata esset ad altaris pedem in genua se submittens coronam floream illi obtulit, aptissimum devoti utriúsque Regij pectoris Imperiíque Gallici argumentum. Inde Regina longo itinere difficilíque Venerabile Sacramentum ad Parochialem usque S. Eustachij ædem pedes prosecuta est, consveto quidem, sed eò admirabiliore Austriacorum exemplo. Hæc ipsissima Regina ægra quanquam esset aliquando, ne tamen transeunte per vicos Regiæ urbis Evcharistiâ parum decorè sederet, deponi se ex vehiculo curavit, & adoravit. Viderunt, inquit, Vernulæus Parisienses, laudaverunt, & Reginæ suæ exemplo ad cultum istum inflammati sunt. Añæ Mauritiæ Reg. Galliæ. *Hautin. de Evcharistia l. 2, p. 561.* *Vern. Virtutum Augusl. Gentis Austr. l. 1, cap. 3.*

Soror Annæ Mauritiæ Maria Ferdinandi III. Cæsaris conjunx ad augendam devotionem SS. Evcharistiæ Confraternitatem Corporis Christi Viennæ in templo S. Michaëlis instituit. De hac

Confraternitate alium nobis ſervamus locum, quo etiam Pietas & munificentia Auguſtiſſimæ Imperatricis Margaritæ deprædicabitur.

Claræ Iſabellæ Eugeniæ. *Hautin. citat. p. 562.*

Iſabellam Claram Eugeniam Hiſpaniæ Infantem adhuc ſemel referre de præſenti materia quid prohibet? Viſa eſt, & dum Sereniſſimus Archi-Dux Albertus conjux vivebat, & poſtquam vitâ deceſſerat, noctu obire magnum illum itineris ambitum, per quem prodigioſum Bruxellæ Sacramentum circumferri ſolet, vulgari habitu, unicâ comitante domicellâ, ne agnoſceretur: ſed profectò non vulgarem hanc pietatem probè agnoſcebat Amoris Deus, & Cœlum ipſum in tanta Principe mirabatur. Viſa quoque eſt non ſemel cùm per plateas Sacerdoti Evchariſtiam portanti obviaret, rhedâ deſilire, ut ad ſanctæ Gudulæ Ædem reduceret, nec abire priùs, quàm Evchariſticâ benedictione, quâ ſe fortunatiorem meritò credebat, impertita eſſet. Adde illius jejunium pridie feſti Corporis Chriſti, adde & alterum, quod pridie ſupplicationis Sacramenti *Bruxellæ prodigioſi* in ejus honorem obſervabat: His adjunge ternas aut *quaternas* precationis horas ipsâ luce Cœnæ Domini, cùm Eccleſiaſticis officijs intereſſet. Id ſingulariter in ea mirare nunquam Principem tantam in ſupplicationibus Sacramenti miraculis illuſtris, à quibus nunquam aberat, poſt obitum chariſſimi conjugis Alberti, Umbellâ tegi voluiſſe: etſi illæ æſtate media inſtituantur. Quanta autem cum animi devotione, pedes facem manu præferens procederet, teſtantur illæ lachrymæ, quas ſpectantibus exprimebat. Fuit quondam qui Umbellæ uſum illi perſuadere vellet, allegans noxium ſolis æſtum ea tempeſtate; ſed ipſa eadem reſponſione, quà pari occaſione Philippus II. Iſabellæ parens uſus erat, conſilium repulit: cùm diceret ſolem ſacrâ iſtâ luce nocere non poſſe. Demum quod ſequitur non parùm ad decus eximiæ Pietatis Iſabellæ accedit.

Idē p. 572.

Cùm enim anno 1622. S. Virginis Evæ Sanctiſſimo Sacramento olim addictiſſimæ corpus, Leodij magnâ omnium lætitiâ ac reverentiâ è tenebris obſcuróque ſepulchro, in lucem ac venerationem extractum eſſet, ejus partem aliquam rarâ animi demiſſione, religionéque accepit: ac pro ſua majorúmque ſuorum ſumma in Evchariſtiam propenſione, in eam admitti Sodalitatem petijt, quæ ad Divi Martini in ejus honorem erecta eſt, floretque in paucis.

CA-

CAPUT XXII.

Albertus Sapiens cum Carolo IV. Cæsare consilia de pace & de nuptijs filij Rudolphi agitat. Mors Joannis Regis Bohemiæ cui Mausolæum ab Austriacis Principibus erigitur. Fundatio Cœnobij Neo-Pragæ pro Carmelitanis Patribus, quod hodie favore Regum Bohemiæ possident Patres Franciscani strictioris observantiæ.

UT ordinem temporum (quem velùt frœnum tenere manu semper Historicos oportet) sequamur ab anno 1344. ad annum 1345. progredimur quo Albertus Sapiens plurimùm insudabat in dilatanda Ecclesia S. Stephani Proto-Martyris in civitate Viennensi. Inibi commorantem anno 1346. in conversione S. Pauli Apostoli Ludovicus Rex Ungariæ, & Illustris Marchio Moraviæ nomine Carolus accesserunt ratione consilij & de pace terrarum (ùt habet Chronicon Zwethallense) pertractantes. Suberat etiam alia ratio, cur Carolus Marchio Moraviæ Albertum accesserit. Habebat ille primam & ob primum amorem charissimã conjugem Blancam Caroli Valesij Galliæ Regis filiam, eam ipse Carolus Margaritam aliquando appellat; ex ea præter Margaritã filiam & Joannẽ filium, qui vitalis non fuit, genuit Catharinam, quã infantẽ Rudolpho Alberti Sapientis primogenito desponsari fecit. Ejus rei citatum Chronicon Zwethallense, sed ad annum 1348. meminit his verbis: Circa festum S. Viti Rex Bohemiæ & Albertus Dux & uxores amborum convenerunt circa Laa, & Rex copulavit (veriùs desponsavit) filiam suam Rudolpho filio Alberti, & tractatis inter se ijs, quæ pacis sunt, amicabiliter Albertus Viennam recessit, ductâ secum nuru suâ. Ad annum 1346. revertamur qui fatalis Joanni Regi Bohemiæ extitit. Is ubi solium Bohemiæ conscendit, totus quasi Martem spirabat, & bellum suum opificium esse credebat, nihilque gloriosius esse putabat, quàm ubicúnque implorabatur, accurrere. Circumferebatur illo ævo de Rege Joanne omnium ore jactatum proverbium: *Sinè Rege Bohemiæ nemo potest vivere.* 7. Cal. Sept. memorato anno cùm Philippus VI. Galliarum Rex cum Anglis bellum gereret, confestim eò properans ad

Albertus Sapiens Ecclesiam S. Stephani Viennæ dilatat.

Convent⁹ Viennæ magnatũ ***Chronicon Zvvethallense.***

Joan. Regis Bohemiæ mors.

ad Creſſiacum commiſſo cruentiſſimo prælio deſperatâ jam victoriâ, ex acie educi ſe minimè ferens, in medios hoſtes cæcus, & oculis & animo incurrens cecidit. Glorioſiſſimus Princeps, ſi Regem ſe eſſe, non privatum, meminiſſet. Tumulatus eſt Luxemburgi in Eccleſia Beatiſſimæ Virginis, cui monumentum, ita volente quoque Alberto Archi-Duce Auſtriæ, poſuit Sereniſſima Infans Hiſpaniæ Iſabella, Clara, Eugenia, Belgarum Princeps.

Fundatio Cœnobij Neo-Prag. ad Nives pro Carmelitanis

Anno 1347. Carolus IV. Cæſar & Bohemiæ Rex Neo-Pragæ Patribus Carmelitanis Cœnobium fundat, quod nunc favore Regum Bohemiæ ex Auſtriaca gente Religioſi S. Franciſci ſtrictioris obſervantiæ tenent. De eo damus, quæ Georgius Crugerius in ſuis Sacris Pulveribus ad diem V. Auguſti ſcripſit: *Carolus IV. Pragæ, in ſua nova civitate extruit Eccleſiam S. Mariæ ad Nives, ad quam Carmelitani Patres ab eodem collocantur. Sed totis integris centum annis non retinuerunt integrum utrúmque ædificium. Exagitatos varijs injurijs Wicklephiſtæ cùm Pragæ utriúſque eſſent potentes, ac ſusque déque rem Catholicam ferrent, procul inde exegerunt. Vulgus hoc idem ſpecioſiſſimam imprimis Baſilicam eorundem ferro, ac flammâ abolevit. Veſtigium eſt, quod nunc videmus; ſed tamen à Rudolpho II. Cæſare & Bohemiæ Rege, ita reparatum magnificè, ut ex ungue Leonem veterem admireris.* Hæc ille. Idem Auguſtiſſimus Imperator Anno 1603. Fratres Minores S. Franciſci ſtrictioris obſervantiæ Pragam revocavit, & præmemoratum Cœnobium, quod dudum in ruderibus jacuerat, cum Eccleſia poſthac poſſidenda tradidit, accedente ad hoc diplomate Clementis VIII. Papæ, & conſenſu Archi-Epiſcopi Pragenſis, ac deinde Anno 1606. eadem ſolemni diplomate confirmavit, fratréſque ſtabilivit in perpetua poſſeſſione Monaſterij & Eccleſiæ. Aliud diploma deinde pro ijſdem Fratribus Nivenſibus in ampliſſima forma adjecit Ferdinandus II. Imperator. Ambo diplomata ex ſpeciali gratia & mandato Auguſtiſſimi Leopoldi I. Tabulis Regni Bohemiæ ingroſſata & inſcripta ſunt. Nos hìc utrúmque recitabimus.

Traditur PP. Franciſcanis à Rudolpho II.

Di-

Diploma I.

Rudolphus Secundus Divinâ Favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rex &c. Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgi ac superioris & inferioris Silesiæ & Wirtembergæ, Marchio Lusatiæ & Comes Tirolis, &c.

„AD perpetuam rei memoriam notum facimus tenore „præsentium & nostro, hæredumq; nostrorum ac suc„cessorum Regum Bohemiæ nomine, universis & sin„lis, ad quos hæ literæ nostræ pervenerint præsentibus „& futuris memoriæ commendamus.

„CUm Imperatores Reges & Principes muneris sui ratione „teneantur, non tantùm subditorum saluti, consilio & armis „prospicere, eáque quæ ad statum Reipublicæ pacísque & tran„quillitatis conservationem pertinent curare, verùm etiam (ad „æternæ vitæ patriam ac domicilium mentem attollendo) quæ „ad propagandam & tuendam Divini Nominis gloriam & aug„mentum veræ sanctæque Religionis nostræ Catholicæ spectant „indefesso studio promovere, eorúmque, qui sub vita regulari post „positis mundi voluptatibus ad famulandum Deo sese contule„runt & per Divini verbi prædicationem aliáque Ecclesiastica „sacra munia omnium saluti sese impendunt, commodis prospi„cere, eorúmque pios conatus studiosè promovere. Eapropter „cum elapsis temporibus in Regno nostro Bohemiæ neglecto cul„tu Divino, decrescente priscâ Religione multa templa ad usus „sacros ab Antecessoribus nostris & alijs Christi fidelibus sancto „pietatis zelo extructa, diruta vel alijs indignis modis prophanata, devastata & deserta reperiantur, cupientes ea, utì Christianum „Principem decet, & semper Nobis in votis extitit, restaurare & „ad cultum Divinum accommodare, templum & Monasterium „in nova Civitate nostra Pragensi sub titulo B. Mariæ ad Nives si-

„tum, quod aliàs ad ordinem & fratres Carmelitanorum ſpectâſ-
„ſe dicitur, à centum annis & ultra, devaſtatum, dirutum & de-
„relictum pro ſingulari noſtra in Seraphicum Ordinem ſub Re-
„gula Divi Franciſci Confeſſoris Deo ſervientem propenſione
„ad humiles & devotas preces Venerab. & Religioſi Fratris Fran-
„ciſci à Soſa Hiſpani, totius Ordinis Minorum S. Franciſci de Ob-
„ſervantia Generalis Miniſtri, eidem Ordini S. Franciſci ac pro eo
„memorato Generali Miniſtro, interveniente authoritate loci Or-
„dinarij quondam Reverend. in Chriſto Patris Zbignæi Berka
„Archi-Epiſcopi Pragenſis Conſiliarij, Principis ac fidelis noſtri
„dilecti (per quem juſſu & mandato noſtro prædictus Frater Fran-
„ciſcus Soſa nomine Ordinis ſui, in realem, actualem & Corpora-
„lem poſſeſſionem prædictæ Eccleſiæ & Monaſterij S. Mariæ ad
„Nives, cum juribus & pertinentijs ejuſdem jam ante biennium
„ſolenniter introductus eſt) non per errorem aut improvidè, ſed
„animo deliberato, ſano Procerum, Baronum & aliorum fidelium
„noſtrorum Regni Bohemiæ Officialium accedente conſilio, au-
„thoritate Imperiali tanquam Rex Bohemiæ cum omnibus Do-
„mibus, Viridarijs, & juribus univerſis ad idem Monaſterium
„quomodolibet ab antiquo pertinentibus dedimus, conceſſimus,
„aſſignavimus, prout vigore præſentium damus, concedimus &
„aſſignamus. Ita ut inibi ejuſdem Ordinis fratres habitent, & jux-
„ta S. R. E. & ipſius Ordinis ritum & inſtitutum Domino Deo
„perpetuò, ſine cujuſvis perturbatione & moleſtatione alacriter &
„fructuosè famulentur, nec non pijs eorum obſequijs & ſacrifi-
„cijs, publicis & privatis Concionibus & ſpectatæ virtutis exem-
„plis populum doceant, & errantes ad veræ ſalutis & fidei viam
„revocare & reducere ſtudeant, atque idem Monaſterium, tem-
„plum, ſacellum, cum areis & omnibus fundis, domibus, limiti-
„bus, & quæcunque antehac ad idem Monaſterium jure donatio-
„nis, emptionis, fundationis, vel quacunque alia legitima ratione
„pertinuerint, cum omnibus Privilegijs, templi Clenodijs & alijs
„quibuſcúnque pertinentijs nihil excipiendo, perinde atque ſi ſin-
„gula hìc nominatim expreſſa poſitáque eſſent, liberè, quietè, ple-
„nè ac integrè impoſterum & perpetuis temporibus poſſideant
„piorum Eleemoſynis reſtaurent, abſque ulla exceptione liberè
„utantur, fruantur, liberum etiam regreſſum ad omnia, ſi quæ ali-
„quando ab eodem Monaſterio quocunque illegitimo modo con-
„tra jus Monaſterij & libertatem Eccleſiaſticam, vendita oppigno-
„rata, diſtracta, alienata, malè uſurpata, injuſto titulo occupata;
vel

„vel ad prophanos usus conversa, detentáque reperientur, habeant, omni contradictione semotâ vendicent, acquirant & „possideant. Proinde omnibus & singulis, quæ præsenti nostræ „fundationi, confirmationi, constitutioni, & approbationi ob„stant, seu obstare in futurum possent ex plenitudine nostræ Im„perialis & Regiæ potestatis per præsentes derogamus, & dero„gatum esse volumus, supplentes omnes, & quoscúnque tam Ju„ris quàm facti defectus: si qui in præmissis omnibus & singulis „intervenissent aut allegari possent, quovis modo vel de consue„tudine vel de Jure. Et propterea requirimus Serenissimos & „Charissimos hæredes ac successores nostros Reges Bohemiæ, eis „gratiosè & Paternè committentes, ut præsentem hanc fundatio„nem nostram fideliter & diligenter manu teneant, observent & „seriò curent, ut hæc desideratum à Nobis effectum & executio„nem semper habeant & consequantur; Mandamus quoque su„premis Officialibus & Assessoribus Judicij Regni nostri Bohemiæ „& omnibus subditis nostris, cujuscúnque status, gradûs, Ordi„nis ac præeminentiæ fuerint imprimis verò Magistratibus, Con„sulibus, Senatui & Incolis Civitatis nostræ Novæ-Pragensis & „aliarum Civitatum Pragensium, præsentibus & futuris, ne su„pradictum Monasterium B. Mariæ ad Nives, cum omnibus suis „quomodocúnque ad id pertinentibus, sive in Personis sive in re„bus molestent, nec à quoquam alio supra his omnibus turbari, „aut quocunque modo molestari permittant, verùm juxta hanc „nostram donationem & confirmationem nostro nomine effi„caciter tueantur & defendant. Nulli ergo hominum quorum„cúnque Collegiorum, & Communitatum & locorum liceat „hanc nostræ fundationis, donationis, assignationis, decreti, vo„luntatis, privilegiorum & confirmationis paginam violare seu „infringere, aut ei quovis ausu temerario in Judicio vel extra con„traire. Si quis autem vel si quis contrarium facere attentave„rint seu attentare præsumpserint, præter gravem nostram in„dignationem aliásque pœnas, pro nostra hæredum & successo„rum nostrorum Bohemiæ Regum mulcta, infligendas centum „marcarum auri puri (quam pro dimidio fisco nostro Re„gio Bohemico, residuam verò partem ad reparationem & stru„cturam Ecclesiæ & Monasterij ejusdem applicari volumus) se „noverint irremisibiliter incursuros. In quorum omnium ple„num & inviolabile robur & testimonium perpetuò valiturum „Diploma hoc nostrum manu nostra Imperiali & Regia subscri-

„ptum & sigilli nostri appensione munitum, super his omnibus „fieri & prædictis Fratribus assignari jussimus. Datum in Arce „nostra Regia Pragensi, decima quinta die Mensis Martij Anno à „Partu Virginis Millesimo Sexcentesimo Sexto Regnorum nostro-„rum Trigesimo primo, Hungarici Trigesimo quarto & Bohemi-„ci itidem trigesimo primo.

Rudolphus.

(L.S.)

Zdenco Adalbertus Poppel
de Lobkowitz Supremus
Regni Bohemiæ Cancellar.

Ad mandatum Sac. Cæs. Majest.
proprium.

Joannes Mencelius.

Diploma II.

Nos Ferdinandus Secundus Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgensis & Silesiæ Dux, Marchióque Lusatiæ.

„AD perpetuam rei memoriam notum facimus tenore „præsentium universis & singulis, quibus expedit.

„ETsi Regalis mansuetudinis providentia, subditorum curam „gerens, ad ea quæ Reipublicæ statum, pacísque & tranquil-„litatis conservationem respiciunt, diligenti sollicitudine, tam „armis quàm consilio teneatur intendere: illa nihilominus ube-„riori quodam prosequitur favore, quæ ad Dei ter Opt. Max. „cultum & honorem, templorum & Basilicarum ejus restauratio-„nem, nec non veræ sanctæque Religionis Catholicæ Apostolicæ „Romanæ propagationem & animarum denique spectant salu-„tem. Sanè accedentes Majestatis nostræ præsentiam Honora-„biles Devoti Nobis dilecti Guardianus cum toto Conventu Or-dinis

„dinis S. Francisci Monasterij Beatissimæ Virginis Mariæ ad Nives
„in Civitate nostra Neo-Pragensi, humiliter Nobis supplicârunt,
„quatenus de innata Nobis benignitate & Clementia quoddam
„Privilegium sibi à Rudolpho secundo Romanorum Imperato-
„re & Bohemiæ Rege sibi concessum & elargitum ratifacere &
„confirmare dignaremur, cujus tenor sequitur de verbo ad ver-
„bum talis. Rudolphus secundus divinâ favente Clementiâ Ele-
„ctus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ,
„Hungariæ, Bohemiæ Rex, &c. Archi-Dux Austriæ, Dux Burgun-
„diæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ,
„Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ & Wirtem-
„bergæ, Marchio Lusatiæ, & Comes Tyrolis, &c. Ad perpetuam
„rei memoriam notum facimus tenore præsentium & nostro hæ-
„redúmque nostrorum, & successorum Regum Bohemiæ no-
„mine, universis & singulis, ad quos hæ nostræ literæ pervenerint,
„præsentibus & futuris memoriæ commendamus. Cum Impera-
„tores, Reges & Principes muneris sui ratione teneantur, non
„tantùm subditorum saluti consilio & armis prospicere, eáque
„quæ ad statum reipublicæ pacísque & tranquillitatis conservatio-
„nem pertinent, curare, verùm etiam (ad æternæ vitæ patriam
„& domicilium mentem attollendo) quæ ad propagandam &
„tuendam Divini Nominis gloriam & augmentum veræ sanctæ-
„que Religionis nostræ Catholicæ spectant, indefesso studio pro-
„movere, eorúmque qui sub vita Regulari postpositis mundi vo-
„luptatibus ad famulandum Deo sese contulerunt, & per divini
„verbi prædicationem, aliáque Ecclesiastica Sacra munia omnium
„saluti sese impendunt, commodis prospicĕre, eorúmque pios co-
„natus studiosè promovere, ea propter cum elapsis temporibus
„in Regno nostro Bohemiæ neglecto cultu divino, decrescente
„priscâ Religione multa templa ad usus sacros ab Antecessoribus
„nostris, & alijs Christi fidelibus sancto pietatis zelo extructa, di-
„ruta, vel alijs indignis modis prophanata, devastata, & deserta
„reperiantur, cupientes ea, ùti Christianum Principem decet, &
„semper Nobis in votis extitit, restaurare, & ad cultum Divinum
„accommodare templum & Monasterium in Nova Civitate no-
„stra Pragensi sub Titulo Beatæ Mariæ ad Nives situm, quod aliàs
„ad ordinem & Fratres Carmelitanorum spectâsse dicitur, à Cen-
„tum annis & ultrà devastatum & dirutum & derelictum, pro
„singulari nostra in Seraphicum Ordinem sub Regula Divi Fran-
„cisci Confessoris Deo servientem propensione ad humiles & de-

„votas preces Venerabilis & Religiosi Fratris Francisci à Sosa Hi-
„spani, totius Ordinis Min. S. Francisci de Observantia Genera-
„lis Ministri, eidem Ordini S. Francisci, ac pro eo memorato Ge-
„nerali Ministro, interveniente authoritate Loci Ordinarij quon-
„dam Reverendi in Christo Patris Zbignæi Berka Archi-Episco-
„pi Pragensis Consiliarij, Principis ac fidelis nostri dilecti (per
„quem jussu & mandato nostro prædictus Frater Franciscus Sosa
„nomine Ordinis sui, in realem, actualem & corporalem posses-
„sionem prædictæ Ecclesiæ & Monasterij S. Mariæ ad Nives cum
„juribus & pertinentijs ejusdem jam ante biennium solenniter in-
„troductus est) non per errorem aut improvidè, sed animo deli-
„berato, sano Procerum Baronum & aliorum fidelium nostro-
„rum Regni Bohemiæ Officialium accedente consilio, authorita-
„te Imperiali tanquam Rex Bohemiæ cum omnibus domibus, vi-
„ridarijs & juribus universis ad idem Monasterium qvomodolibet
„ab antiquo pertinentibus, dedimus, concessimus, assignavimus,
„prout vigore præsentium damus, concedimus & assignamus, ita
„ut inibi ejusdem Ordinis fratres habitent &c. Cæterum ut suprà
„in Diplomate Rudolphi secundi &c. cum sequentibus. Zdenco
„Adalbertus Poppel de Lobkowiz S. R. Bohemiæ Cancellarius.
„Henricus de Pisniz Vice-Cancellarius. Ad mandatum Sac. Cæs.
„Majest. proprium. Joan. Mencelius Nos itáque qui cultûs di-
„vini conservationem, & sanctæ Religionis propagationem, &
„augmentum intensis affectamus desiderijs, votis & precibus præ-
„dicti Guardiani & totius Conventûs ipsius hac in parte gratâ
„duximus exauditione annuendum. Quapropter non per erro-
„rem aut improvidè, sed animo deliberato, sano & maturo Pro-
„cerum aliorúmque fidelium nostrorum accedente consilio, ex
„certa nostra scientia, authoritate Regia prædictum privilegium
„in omnibus ipsius punctis, clausulis, annotationibus, sententijs
„& articulis approbavimus, ratificavimus, innovavimus, confir-
„mavimus, & denuò concessimus: ut præsentis scripti Patrocinio
„approbamus, ratificamus, confirmamus, innovamus & denuò
„concedimus, decernimúsque hoc nostro edicto firmissimè, ac
„constituimus omnia & singula in suprà inserto Privilegio con-
„tenta, plenum, firmum & inviolabile robur, perpetuis, futuris
„temporibus obtinere. Volentes ut memoratus Guardianus &
„totus Conventus ejus prælibatum Privilegium secundùm ipsius
„tenorem integrè & liberè uti, frui, & gaudere possint & valeant,
„impedimentis quibuscúnque non obstantibus. Quocirca uni-
versis

„versis & singulis Principibus, supremis Officialibus & Judicij ter„restris Assessoribus, nec non Comitibus, Baronibus, Nobilibus, „Magistratibus, & Universitatibus ubilibet in dicto nostro hæredi„tario Bohemiæ Regno constitutis, cæterísque subditis ac fideli„bus nostris, præsentibus & futuris firmiter & districtè præci„pientes mandamus, ut sæpè nominatum Guardianum & Con„ventum ipsius in hujusmodi ipsorum Privilegio, ac præsenti No„stra Confirmatione non molestent, impediant aut perturbent, „nec per quempiam (quantum in eis fuerit) molestari, impe„diri aut perturbari patiantur, quin potiùs eosdem nostro & suc„cessorum nostrorum nomine, sub indignatione nostra graviss„sima, & pœna in suprà inserto Privilegio comprehensa prote„gant & efficaciter tueantur. In quorum fidem & evidens testi„monium præsentes literas manu nostra subscripsimus, & sigilli „nostri majoris appensione communiri jussimus. Dabantur in „Civitate nostra Vienna Pridie Calendarum Junij, Anno à Partu „Virgineo, Millesimo, sexcentesimo vigesimo septimo, Regno„rum nostrorum Romani octavo, Hungarici nono, Bohemici verò decimo.

Ferdinandus.

(L.S.)

Zdenco Adalbertus Princeps
de Lobkowitz S. R. Bohemiæ
Cancellarius.

Ad mandatum Sac. Cæs. Majest.
proprium.

J. Kasper.

CAPUT XXIII.

Continuatio Beneficiorum & Gratiarum ab Augustissima Domo Austriaca Fratribus Minoribus S. Francisci Reformatis Provinciæ Bohemiæ datarum & concessarũ.

CApu præsens pro majore claritate, in complures paragraphos dividendum existimamus.

§. I.

Conventus Olomucensis.

COnventum hunc olim S. Joannes Capistranus ab Alexandro p.m. Papa VIII. Canonizatus, inhabitatione clarũ fecit. Desolatus & penitus expilatus ab hæreticis mansit ad annum usque 1621. quo reportatâ priùs prope Pragam victoriâ de hæreticis Ferdinandus II. Ordini restituit.

§ II.

Conventus Brunensis.

SEcutâ demolitione Conventûs Brunensis suburbani sub titulo S. Bernardini Senensis factâ Anno 1643. à Magistratu Brunensi, & milite Cæsareo, eò quòd muris Civitatis nimiùm foret vicinus, & exercitui Suecico præberet commoditatem acriùs Urbem infestandi, ac respirante post feliciter superatam acerrimam obsidionem 4. Mensium afflictâ Moraviâ Magistratus Brunensis benevolè assignavit in refusionem aliqualem dejecti Conventûs desolatam quondam Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ, intra muros sitam, non procul à Porta Judaica, in quo loco olim stetit perfidorum Judæorum Synagoga. Ad hanc Ecclesiam Anno 1650. introducti fuerunt Fratres authoritate Ferdinandi III. Imperatoris, nec non Leopoldi Guilielmi Archiducis Episcopi Olomucensis consensu.

§. III.

Conventus Znoymensis.

ANno 1534. Magistratus Znoymensis tenerrimè addictus Patribus de observantia, volens eorum consulere securitati propter imminentes, ùt existimabat, Turcicos incursus, supplicuit Augustissimo Imperatori Ferdinando I. ut præmentionatos Fratres in Monasterium Fratrum Minorum Conventualium intra muros Civitatis situm possit transferre. Annuit sua Majestas Cæsarea pro innata sua erga Patres Regularis observantiæ Clementia, & mandatum dedit Magistratui Znoymensi instituendi translationem præfatam; atque ita Fratres Minores de observantia (qui nunc reformati) ex suo suburbano Conventu D. Francisci, usibus posthac Civitatis consignato, & horto divendito, ad vetustum ac desolatum Monasterium & Ecclesiam Beatissimæ V. Mariæ in cœlos assumptæ sacram, inter mœnia Civitatis constructã anno 1534.

a utho-

authoritate Cæsꝛrea Regiáque Ferdinandi I. Imperatoris ab amplissimo Magistratu Znoymensi solemniter sunt introducti. Patres Observantes Conventum hunc Urbensem pacificè incoluerunt usque ad annum 1619. quô à Rebellionis Bohemicæ Conspiratoribus sunt pulsi direptâ omni supellectile Ecclesiasticâ. Sed divinâ miserante gratiâ, partâ victoriâ solemniter denuò eò sunt introducti. Monasterium hoc pro Fratribus Minoribus primitus fundatum fuit à Rege Bohemiæ & Austriæ Duce Ottocaro circa annum Domini 1271.

§. IV.

Conventus Javoriensis.

POstquam Conventus Javoriensis anno 1556. ob supervenientem pestem, hæresímque novam Lutheranam, extinctis penè omnibus Religiosis ejus incolis, conversus fuisset in hospitale pauperum, Ecclesia verò in fanum Lutheranorum usque ad annum 1608. quô quidam Fratres Conventuales Cœnobium hoc occupârunt & continuis 30. annis unus aut duo inhabitârunt. Tandem Anno 1639. sua Majestas Cæsarea Ferdinandus III. Clementissimè mandavit, ut Patribus reformatis Provinciæ Bohemiæ restitueretur Ecclesia & Conventus Javoriensis B. V. Mariæ Assumptæ ac S. Andreæ, cum omnibus antiquis Jurisdictionibus & terminis eorundem, quod & factum est, dum præmentionato anno, die verò 23. Januarij Religiosis traditæ sunt solenniter claves Ecclesiæ, ac Conventûs authoritate Apostolica Urbani VIII. & Ferdinandi III. Imperatoris.

§. V.

Conventus Nambslaviensis.

ANno 1675. Conventus Nambslaviensis, qui fuit antehac ob toxicum Lutheranæ sectæ in hospitale pauperum conversus, vigore clementissimæ Resolutionis Cæsareæ Leopoldi I. (quæ incipit: Wir haben auß ewrem gehorsamen Brieff/&c.) datæ Viennæ Anno 1675. die 21. Septembris, restitutus est cum Ecclesia, quæ restitutio executioni mandata fuit 8. Octobris ejusdem anni, quo die Religiosi solenniter fuerunt reintroducti in Ecclesiam Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ & Conventum (ad S. Petrum de Alcantara deinceps intitulatum) per Cæsareos Regiósque Commissarios à suprema Curia Silesiæ legaliter deputatos.

§. VI.

Conventus Wratislaviensis.

ANno 1678. Confectum fuit solenne Instrumentum Transactionis cum Wratislaviensibus, quod incipit: Demnach die Römische Kayserliche / &c. Actum Wratislaviæ. Anno memorato & die 27. Maij; quod & sua Majestas Cæsarea Leopoldus I. solemni diplomate confirmavit, quod incipit: Wir Leopold / &c. bekennen offendlich. Dat. Viennæ An. 1678. die 30. Augusti. Vigore itaque hujus solennissimæ Transactionis Alma Provincia Bohemiæ postliminiò tandem post exilium videlicet 156. annorum, quibus Lutherana hæresis Urbem hanc nobilissimam captivam tenuit, & adhuc detinet maxima ex parte, novum sortita est domicilium Regulare Wratislaviæ, quô Anno 1679. 3. Januarij introducti Fratres Minores sunt.

§. VII.

Conventus Ratiboriensis.

ANno 1686. Authoritate Sacræ Cæsareæ Majestatis Leopoldi in Ducalem Civitatem Silesiæ Ratiboriam etiam Fratres Minores reintroducti sunt per Diploma Cæsareum.

§. VIII.

Conventus Nissensis.

ANno 1614. Serenissimus & Reverendissimus Carolus Archi-Dux Austriæ Ferdinandi II. Cæsaris frater, Episcopus Wratislaviensis, Fratres Minores miro prosequens affectu, Provinciæ Bohemiæ Nissensem Conventum S. Magdalenæ iterum restituit per solenne diploma, quod incipit: Inter cæteros hominum actus, &c. Datum Nissæ Anno 1614. die 20. Septembris. Quoniam verò successivis annis idem Archi-Dux Nissam contra hostium incursus munire meditabatur, dilatando valla, & fossas aquarum, atque removendo fabricas suburbanas muratas, & Civitati periculosas, ob sui vicinitatem, inter quas quoque erat Conventus & Ecclesia S. Magdalenæ ad fossas urbis sita; idcirco magnus hic quidem Pater Patriæ, Ordinis tamen etiam Minorum non minor in hisce Regionibus Protector, & Fundator munificentissimus resolvit pro Fratribus alibi in loco commodiori exstruere Regulare Domicilium, quod & liberalissimè præstitit,

quando

quando Anno 1620. designavit locum spaciosum ad orientem extra Plateam & Portam Telonariam in suburbio; super quem jacto à se eodem Anno, die 20. Junij lapide fundamentali sub porta ingressûs in claustrum fabricari fecit suis sumptibus amplum Cœnobium novum è fundamentis cum eleganti ac devota Ecclesia, sub Patrocinio S. Mariæ in Rosis.

Ea de re diploma ipsum Episcopale subnectimus:

Inter cæteros hominum actus, quibus famæ decus & memoria quæritur, ille sibi potissimum non immeritò vendicat locum, qui à pietatis fervore & æquitatis dependet ratione: eò quippe solo humana imbecillitas æternitatem respicere & ad quandam Divinitatis partem propiùs censetur collimare. Observârunt sanè hoc veteres quondam Romanorum Principes, qui totam Reipublicæ salutem in publico Religionis ponebant cultu. Hinc L. Albinus perturbatis undique Reipubl. Civibus, neglectis etiam illis, quos natura sibi conjunxerat, fugientes Mystas in plaustrum recepisse. Mutius Scævola in summo rerum discrimine Vestales amplexus aras æterna cum laude fertur. Numæ Pompilio nihil solennius & antiquius fuit, quám reddere & restaurare sopitum jam pridem Dijs immortalibus focum: ut scilicet ad simulacrum Cœlestium syderum custos Imperij flamma vigilaret; eò tandem ferocem populum redegit, ut quod nefas & injuria possederat Imperium, Religione atque Justitia gubernaretur.

Nos igitur Carolus Dei gratiâ Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ & Wirtembergæ, Episcopus Brixiensis & Wratislaviensis Comes Habspurgi, Tirolis & Goritiæ, &c.

„NOn tam Ethnicorum exemplis, quàm Majorum nostrorum „vestigijs insistentes, cúm inter reliquas Pastoralis muneris & „Officij nostri Episcopalis sollicitudines, ad quas Divinâ Provi„dentiâ vocati sumus, non postrema justè videatur, omne studium „atque industriam eò convertere, ne ea, quæ olim pio Religio„nis Catholicæ Zelo sanctè constituta ac fundata sunt, aut tempo„rum injuriâ divelli, aut alieno usu immutari permittantur. Cúm„que in hac temporum calamitate, & potenti hæresum insultu, „potentiori nobis opus esse proborum Virorum præsidio cernere„mus: ex æquo conscientiæ, ac bono Ecclesiæ nostræ duximus,

„Monaſterium extra Civitatem noſtram Niſſenſem, quod olim „utpotè deſertum, ab Anteceſſoribus noſtris ad hæc uſque tem„pora Alumnatui erat deſignatum, Reverendis ac Religioſis Fratri„bus Ordinis S. Franciſci Regul. Obſerv. reddendum eſſe & appro„priandum. Reddimus & appropriamus ad Majorem Dei Glo„riam & multarum animarum ſalutem, authoritate, qua fungi„mur Epiſcopali & loci Ordinaria vigore præſentium, eoſdém„que ut ad realem præfati Cœnobij poſſeſsionem nuper introdu„ximus, ita quoque perpetuò & plenè habendam & obtinendam, „ritè immittimus, approbamus & Confirmamus: Idque expreſ„ſa cum renuntiatione ac ceſsione omnium noſtrorum eo in lo„co jurium, & conceſsione privilegiorum, immunitatum & in„dultorum, quibus alibi terrarum prædictus Ordo S. Franciſci ſive „ex ſtatuto Canonum Regularium, vel ex conſuetudine, quocun„que nomine vel modo Generaliter & ſpecialiter ſibi competen„tibus liberè gaudet ac fruitur; nihil vel illis præcludentes, vel „ſucceſſoribus noſtris penitus reſervantes. Certa freti *fiducia* eos „in hoc ſterili Catholicæ Religionis agello, non *minus atque in* „alijs beatioribus locis, eam pietatis operam egregiè exhibituros, „unde fructus veri luminis caliginoſis plurium cordibus ſuccreſ„cant, & majus indies ſumant augmentum. Quapropter ſeriò „decernimus, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ſæpè memora„tum Monaſterium, nunc & perpetuis temporibus, abſque ullius contradictione & impedimento, ſupradicto ordini S. Franciſci „ſecurè, quietè, & conſtanter relinqui; nec quovis prætextu un„quam ad alios transferri, aut ab aliquo repeti poſſe aut debere, „eorum præterea conſcientias, qui ſalutarem, atque adeo juſtam „hanc noſtram pro Eccleſiæ incremento curam impugnare, vel „quovis modo turbare præſumpſerint, in Domino aggravantes. „In cujus rei evidentius teſtimonium Diploma hoc noſtrum ma„nu noſtra conſultò ſubſcripſimus, & majus ſigillum appendi cu„ravimus. Actum in Civitate Reſidentiæ noſtræ Epiſcopalis, „Niſſæ Vigeſima die Menſis Septembris Anno Milleſimo Sexcente„ſimo Decimo quarto.

Carolus.

(L.S.)

Joannes à Scheliha
Vice-Cancellarius.

Ad Mandatum Sereniſſ. Domini Archi-Ducis proprium.

J. Scharff.

§. IX.

§. IX.

Conventus Glacensis.

ANno 1643. Authoritate Cæsareâ Ferdinandi III. Imperatoris, & Regis Bohemiæ per decretum Inclyti Regij Officij, introducti fuerunt Patres ad desolatum Conventum, Ecclesiámque suam Glacensem feriâ secundâ Pentecostes,& Magistratui demandata ab eodem Cæsare restitutio totius supellectilis Ecclesiasticæ copiosæ, olim à Fratribus Glaciô recedentibus in Curiam translatæ. Quæ hoc & præcedenti capite allata sunt, communicavit nobis illa Religiosissimus & Eruditissimus Vir Bernardinus Sannig, dum iteratò Provinciæ Bohemiæ nomine Provincialis præesset, speramúsque eundem deinceps, tanquam Sacri Ordinis Historiographum peritissimum, plura nobis, quæ ad rem nostram pertinent, communicaturum.

CAPUT XXIV.

Ferdinandus II. Cæsar Carmelitis templum S. Galli Vetero-Pragæ adscribit. Favor Leopoldi Cæsaris in hanc Religionem.

PIissimus Cæsar Ferdinandus confirmando novo diplomate donationem Rudolphi II. ratione Cœnobij B. V. ad Nives in favorem Fratrum Minorum, eodem anno veteres ejus loci incolas favore suo prosequi cupiens, ijsdem S. Galli templum Vetero-Pragæ adscripsit. Qua de re schema ipsum diplomatis Cæsarei subnectere placuit.

Carmelitæ calceati Pragam. favore Ferdinandi II. revertuntur.

Nos Ferdinandus II. divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Lucenburgensis, & Silesiæ Dux, Marchióque Lusatiæ.

„ AD perpetuam rei memoriam notum facimus tenore
„ præsentium, universis & singulis.

CUm Imperatores, Reges, & Principes ex munere & Justitia

„teneantur, non tantùm subditorum saluti, consilio & armis pro-
„spicere, eáque,quæ ad statum Reipublicæ, pacísque & tranquilli-
„tatis conservationem pertinent, curare: verùm etiam, quæ ad
„propagandam & tuendamDiviniNominis Gloriam, & augmen-
„tum veræ sanctæque Religionis nostræ Catholicæ, Apostolicæ
„Romanæ spectant,indefesso studio promovere, eorúmque, qui
„sub vita Regulari degentes, postpositis mundi voluptatibus, ad
„famulandum Deo sese obtulerunt, & per Divini verbi prædica-
„tionem, aliáque Ecclesiastica sacra munia omnium saluti sese
„impendunt, commodis prospicere, eorundémque pios cona-
„tus studiosè promovere. Et verò, accedens nostræ Majestatis
„præsentiam, honorabilis, devotus, sincerè nobis dilectus P. Sigis-
„mundus Gdowsky, Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de mon-
„te Carmelo, Commissarius Generalis, humillimè supplicans, ut
„de benignitate nostra Cæsarea Regiáque dicto Ordini Carme-
„litarum templum quoddam in antiquæ urbis nostræ Pragensis
„foro scrutario vulgò Dantelmarck situatum & ad S. Gallum di-
„ctum, in suum spiritualem usum unà cum omnibus ad id spe-
„ctantibus pertinentijs dare,atque concedere clementer dignare-
„mur. Nos itaque, qui augmentum & propagationem sanctæ
„Religionis Catholicæ, piorúmque locorum exaltationem, in-
„tentis affectamus desiderijs, votis supplicantis hac in parte beni-
„gni duximus annuendum. Quapropter, ex certa nostra scientia
„non per errorem aut improvidè, sed animo deliberato, sano &
„maturo, Procerum aliorúmque fidelium nostrorum accedente
„consilio, Authoritate Regiâ, tanquam Rex Bohemiæ, memora-
„tum Templum ad S. Gallum, unà cum omnibus, & singulis ad
„idem spectantibus pertinentijs præfato ordini Carmelitarum
„dedimus, concessimus,atque assignavimus prout vigore præsen-
„tium damus, concedimus & assignamus ita, ut inibi ejusdem or-
„dinis fratres, juxta Sacro-sanctos Canones, & ipsius ritum atque
„institutum Deo sine cujusvis perturbatione & molestatione per-
„petuò famulari, nec non pijs eorum obsequijs & exercitijs, pub-
„licis & privatis Concionibus, & spectatæ virtutis exemplis po-
„pulum docere, atque idem templum cum omnibus juribus,
„& quibuscunque pertinentijs, mobilibus & immobilibus, quæ-
„que à nobis cedi possunt, liberè, quietè, plenè, & integrè impo-
„sterum, & perpetuis temporibus possidere, ijsdémque omnibus,
„ absque ulla exceptione pacificè uti, fruiq; possint ac valeant. Et
„propterea mandamus universis & singulis, superioribus & inte-
rioribus

„rioribus officialibus, cæterísque ſubditis noſtris, per Regnum noſtrum Bohemiæ ubilibet conſtitutis, cujuſcúnque ſtatûs, gradûs „ſeu præeminentiæ extiterint: imprimis verò Judicibus noſtris „Regijs, Conſulibus, Senatoribus, & reliquis Incolis Triurbis Pragenſis, præſentibus & futuris, ne ſupradictos fratres Carmelitas, „in poſſeſſione ſæpe nominati Templi ad S. Gallum, & aliarum ad „id ſpectantium pertinentiarum, ſive in perſonis, ſive in rebus „moleſtent, nec à quopiam alio ſuper his omnibus turbari, aut „quocúnque modo moleſtari permittant: ſed potiùs illos juxta „hanc noſtram donationem & Confirmationem noſtro nomine „efficaciter tueantur & conſervent, ſecus ſub animadverſione & „pœna noſtra graviſſima nequaquam facturi. In quorum fidem „Diploma hoc manu noſtra ſubſcriptum, ſigilli noſtri Cæſarei, „Regiíque appenſione communiri juſſimus. Datum in Civitate „noſtra Vienna, 27. die Menſis Aprilis. Anno ſalutis 1627. Reg„norum noſtrorum, Romani 8. Hungarici 9. & Bohemici 10.

Ferdinandus.

(L.S.)

Ad mandatum Sac. Cæſ. Majeſt. proprium.

Zdenco Adalbertus Princeps de Lobkowitz, S. R. Bohemiæ Cancellarius.

J. Kaſper.

Poſt aliquot annorum curricula, ex parte Carmelitarum Vetero-Pragenſium, ſupplicatum eſt Sacræ Cæſareæ Majeſtati Leopoldo I. quatenus clementiſſimè dignaretur curare imponi primum lapidem, pro ædificando ad dictam Eccleſiam S. Galli Monaſterio, quæ litteras dedit ad Excellentiſſimum Sac. Romani Imperij Comitem DD. Bernardum Ignatium de Martinitz ſupremum Burgravium Pragæ, qui voluntati Cæſareæ promptiſſimè obſecutus, pro hujuſmodi Lapidis impoſitione Anno 1671. determinavit diem 21. Menſis Novembris, ſcilicet feſtum Præſentationis B.M. Virginis, quod erat die 6. infra octavam S. Leopoldi: unde etiam Reverendiſſimus P. Matthæus Orlandus totius Ord. Carmelitarum Generalis litteris patentibus mandavit, ut reſervato titulo Patrocinij Eccleſiæ S. Galli Monaſterium dictum, impoſterum nuncuparetur Monaſterium ad S. Leopoldum, in cujus honorem de facto in ſuperiori ambitu Eccleſiæ, ad latus dextrum, nova extat S. Leopoldi Capella.

Decretum Reverendissimi Generalis pro inscribendo Novo Monasterio Pragensi ad S. Leopoldum.

Fr. Matthæus Orlandus, Sac. Sanct. Theol. Magist. ac humilis Prior Generalis Fratrum Beatissimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

„Cum sollicitudine & curâ A.R.P. Joannis à S. Bernardo Ex-„provincialis Germaniæ superioris, & nunc Prioris Con-„ventûs nostri Pragensis, inchoata sit fabrica nova Conventûs, & „die 21. Novembris 1671. solenniter nomine Sacræ Cæsareæ Ma-„jestatis positus primus lapis fundamentalis, nobísque expositum „sit, omnino congruere ob varias rationes præfatum novum Con-„ventum nomine seu titulo Sancti Leopoldi Principis Austriæ „nuncupari. Authoritate nostra permittimus, ut id fiat, & ex nunc „inscribatur & nominetur Monasterium seu Conventus S. Leo-„poldi. Datum Romæ die 9. Januarij Anno 1672.

(L.S.)

Fr. Matthæus Orlandus
Generalis Carm.

Die igitur & Anno quibus suprà Celsissim⁹ & Reverendissimus Sac. Rom. Imperij Princeps Matthæus I. hujus nominis Archi-Episcopus Pragensis, &c. nec non præfatus Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus Bernardus Ignatius Sac. Romani Imperij Comes de Martinitz, &c. Supremus Burgravius, descenderunt ex Arce Pragensi ad Ecclesiam S. Galli Vetero-Pragæ, ubi lapis fundamentalis ad cornu Evangelij ab eodem Celsissimo Principe benedictus, à 4. Religiosis Ordinis Carmelitarum ad locum deputatum scilicet infra primum ambitum dicti Monasterij S. Leopoldi, qui ducit ad templum S. Galli deportatus, & à prædicto Celsissimo Principe Archi-Episcopo & Excellentissimo Domino supremo Burgravio, cum Cæremonijs in Pontificali Romano præscriptis, sub festivo campanarum tubarum ac Tympanorum clangore, in suprema quidem aëris inclementia, summa tamen magnatum & populi frequentia collocatus est, incisis in lamina cuprea bene deargentata Imperatorijs & Regijs clementissimæ suæ Majestatis insignijs, sub hac inscriptione.

Ad honorem & gloriam Sacro-Sanctæ, ac individuæ Trinitatis, Beatissimæ ac Gloriosissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo

meli, & omnium Cœlitum, præſertim S. Galli Patroni Eccleſiæ huic Conventui contiguæ, & jam olim eidem Ordini à Ferdinando II. glorioſiſſimæ memoriæ, Auguſtiſsimi Cæſaris Leopoldi nunc regnantis Domino Avo donatæ, nec non ad augmentum S. R. Eccleſiæ ſub titulo ac Patrocinio S. Leopoldi Principis Auſtriæ, dum univerſam Eccleſiam gubernavit SS. Dominus Dominus Noſter Clemens Papa X. & Archi-Diœceſin hanc Celſiſsimus & Reverendiſſimus S. R. Imperij Princeps ac Dominus Dominus Matthæus Ferdinandus Archi-Epiſcopus Pragenſis, &c. tempore Comitiorum generaliū Pragæ de clementiſſima conceſſione præfati Domini Domini Leopoldi Rom. Imperat. ſemper Auguſti, Hungariæ & Bohemiæ Regis, &c. primum fundamentalem hujus ædificij lapidem poſuit, Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus Dominus Bernardus Ignatius S. R. I. Comes à Martinitz ſupremus Burgravius Pragæ, ejuſdem Majeſtatis Conſiliarius actualis intimus, & præcipuus in Regno Bohemiæ locumtenens, Aurei Velleris Eques, præſentibus etiam cæteris Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis D. D. Regijs locumtenentibus, totius Ordinis Carmelitani Magiſtro Generali Reverendiſsimo P. Matthæo Orlando, ejuſdem Ord. Provinciæ Germaniæ ſuperioris, & Bohemiæ Provinciali, R. P. Avertano à S. Elia, ſub Prioratu R. P. Joannis à S. Bernardo, Definitoris Provincialis. Primatore urbis Antiquæ, Prænobili Domino Nicolao Franciſco Turek de Sturmfeld & Roſenthal, S. C. M. Conſiliario, p. t. Conſule Nobili Domino Nicolao Joanne Emmer, de Waltershofen; Architectis Domino Joanne Dominico de Orſy, & Martino Lorago, Anno reparatæ ſalutis 1671. in feſto Præſentationis B. V. M. quod erat ſexta dies infra octavam S. Leopoldi.

Huic beneficio Cæſareo ſuccedant ea, quæ in Hungaria nuper ex proſperis armorum ſucceſſibus evenerunt.

Anno 1687. Auguſtiſsimus Imperator, recuperatâ Budâ anno præcedenti Religionem Carmelitarum clementiſsimè readmiſit ad ipſam urbem, aſsignatis duabus domibus pro futuro Monaſterio.

Anno 1688. occupatâ Albâ Regali idem Auguſtiſsimus donavit Religioni Carmelitanæ tres dirutas domos ut ſuo tempore fabrica Monaſterij formaretur. Anno autem 1687. quo Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus Viennæ auff dem Graben pro erigenda ſtatua Sanctiſsimæ Trinitatis, etiam Sereniſsimus Archi-Dux Auſtriæ, nunc Rex Romanorum Joſephus in Carmelitana Eccle-

ſia è fundamento extruenda ſub patrocinio S. Joſephi primum lapidem, à Celſiſsimo & Reverendiſsimo Principe ac Epiſcopo Viennenſi Erneſto è Comitibus de Trautſohn benedictum, poſuit. Cui impoſitus argenteus deauratus magnus nummus cum inſcriptione ex una parte: *Joſephus Archi-Dux Auſtriæ.* Ex altera verò: *Pro gloria Dei cedat primum poſuiſſe lapidem in Domo Domini* 22. Auguſti 1687.

CAPUT XXV.

Cœnobium Slavorum Neo-Pragæ erigitur. Transfertur Auſtriaca liberalitate ad Patres Benedictinos Hiſpanos ſtrictioris Obſervantiæ.

Fundatio Cœnobij Emmautini Neo-Pragæ.

ANno à partu Virginis 1348. Carolus IV. Cæſar & Bohemiæ Rex Slavicæ nationis amore, Sancto Hieronymo Eccleſiæ Doctori Dalmatæ, ac proinde ejuſdem cùm Slavis noſtris originis, Regiâ quâdam magnificentiâ, Eccleſiam & Cœnobium Ordinis Sancti Benedicti (poſtea Emmaus vocatum) Pragæ conſtruxit, in quo ut divina omnia Slavico ſermone peragerentur, à Summo Pontifice impetravit. Templum hoc quantam in antiquitate famam meruerit, vel hoc demonſtrat, quod à Majoribus jactabatur: Pontem Pragenſem uno obolo plus, quàm hoc Cœnobium, & Eccleſiam Slovanenſem, Carolo Fundatori conſtitiſſe. Abſolutum autem utrumque eſt pretio millium octodecim, ſeptingentarum quadraginta ſeptem ſexagenarum, ac obolorum inſuper trium expenſis. In tigna veteris tecti, ſylvam integram conſumpſiſſe ferebatur Fundator: imbrices deinde illud ipſum pro more veteri, coloris ferrei ità exornaverunt, ut Praga inter rara ſua decora hoc quoque numeraret. Hoc decus ſervatum eſt à flammis tempore Ziſkiano, & ab utraquiſtis uſque ad Rudolphum II. Romanorum Cæſarem & Bohemiæ Regem tenebatur. Anno tandem 1592. Paulus Paminondas loci Abbas Templum tot annis ab hæreticis profanatum, delegatâ ſibi poteſtate à Speciano Cremonenſi Epiſcopo, ac Romani Pontificis ad Cæſarem Rudolphum Nuncio, Gregorianâ aquâ publicè, ac ſolenniter denuò reconciliavit. Cæterùm vetus fundatio injuriâ temporum, vix ad alendum Superiorem præter unum alterúmve Benedictinum, noviſsimè ſufficiebat. Cœnobium ipſum, etſi flam-

flammarum inclementiam non incurrerat, ità tamen desolatum, erat, ut incolatum nulli præberet. In domuncula proinde ex opposito templi sita, Abbates ultimi habitabant, donec Ferdinandus III. gloriosæ memoriæ Ungariæ & Bohemiæ Rex, novâ fundatione, quæ XX numero Benedictinos strictioris Observantiæ aleret, locum exornaret. Placet hujus Austriacæ Pietatis ortum ex ipsis Cœnobij memorijs, quas mihi promptissimè extradidit Reverendissimus & Amplissimus D. D. Didacus à Convero hodie meritissimus Abbas & Visitator Conventûs Viennensis, recitare.

Benedictinis Strict. Observ. per Ferdinandum III. Rege Bohemiæ.

Cùm gloriosissimæ memoriæ Ferdinandus III. Apostolicus Ungariæ Rex unà cum Serenissimo Cardinale Infante vovisset se velle Beatissimæ V. de Monte serrato Monasterium ædificare sub norma Congregationis Montserratensis in Hispania, si Suecum propè Norlingam debellaret, victoriámque de illo obtineret, intra Pragam id perficere pollicitus. Ecce Victoriâ decantatâ, & triumpho obtento, id exequi curavit, & R. P. Benedictum de Penalosa Hispanum, & in Conventu Montserratensi in Hispania Professum certiorem fecit, atque voluntatem suam, ac factum votum adimplere fore paratum dicens, hujus S. operis intuitu Serenissimam ejus conjugem Reginam Ungariæ Mariam scripto eidem indicavit idipsum. Cùm autem Neo-Pragæ collapsum & ruinatum videret Monasterium Slowan dictum vulgò Emmaus Maximo Ecclesiæ Doctori Hieronymo dicatum Ord. S. P. N. Benedicti à tribus tantùm Monachis inhabitatum; de mandato autem suæ Majestatis ejus sancta fuit intentio Eminentissimo Domino Cardinali Ernesto, de Harrach Archi-Episcopo Pragensi, & Reverendissimo Congregationis S. Benedicti in Bohemia Præsidi participata adhibitâ diligentiâ, ut Monachi Congregationis Bohemiæ, Ecclesiam & Monasterium cum inclusis intra muros, nimirùm domibus, & duabus vineis, extradendo per viam compensationis aliam in Civitate Pragensi Ecclesiam, pro Religiosorum incolatu, & decem millibus florenorum in paratis, ac omniũ bonorum mobilium ac stabilium reservatione cederent. Mutuo ergo annutu, & consensu extradita fuit Monachis Congregationis Bohemiæ S. Benedicti Ecclesia ad S. Nicolaum ad RR. PP. Præmonstratenses spectans. His priùs contentatis cum alia, quam pridem prætendebant Ecclesia pro Seminario, & collegio exstruendo; quibus peractis pijssimus & Apostolicus Rex præmemoratus Conventum hunc eximio P. Benedicto de Penalosa extradit regendum, certis gratijs, privilegijs, bonis illum dotando, ac præ-

 nomi-

nominatum Patrem in Abbatem eligendo, ut palàm fiet ex ſequentibus Regiæ fundationis literis.

Nos Ferdinandus III. Dei gratia Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ Rex. Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Moraviæ Marchio, Dux Lucenburgenſis, ac Sileſiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenberg, Luſatiæ Marchio, Comes de Habſpurg, Tyrolis & Goritiæ, &c.

„AD perpetuam rei memoriam notum facimus pro parte noſtra & noſtrorum ſucceſſorum ac Hæredum Bohemiæ Regum, per tenorem præſentium literarum.

„OMnibus & ſingulis præſentibus & temporibus futuris, ad „quos hæ noſtræ Regiæ pervenerint literæ, qualiter nil cordi „magis habentes, ob ſingularē divinæ providentiæ, auxilij & pro„tectionis ſupernæ effectū à Nobis in difficillimis, arduiſq; adver„ſitatibus ac bellis præſertim 1634. anno, in acerrima ac cruenta „coram Nobis propè Norlingam pugna, contra inimicum no„ſtrum ſatis expertum, ut in præcipuum noſtræ gratitudinis in„dicium divinæ Clementiæ ob partam ibidem victoriam, debitas „referamus grates, hujuſmodi memores obligationis ſcientes id „ipſum divinæ fore pietati pergratum, ſi omni conatu in id inten„damus, ut cultus promoveatur divinus, propagatióque ejuſdem „in noſtris floreat Regnis ac Provincijs, Religióque Sacra à noſtris „Auguſtiſsimis ac Sereniſsimis Progenitoribus Catholica Roma„na ac Apoſtolica fideliter obſervata ac venerata fuerit. Idcircò „arbitrati ſumus utile ac conſultum fore reſtaurare, ac pervetuſtas „reintegrare fundationes, præcipuè antehac ſtabilitas, ac à no„ſtris majoribus erectas, modò verò devaſtatas, & injuriâ tem„porum collapſas. Cùm autem in noſtra Regia Metropoli Pra„genſi quoddam reperiatur Monaſterium Ordinis S. Benedicti, „vulgò Emmaus, Bohemicé Slowan quondam fundatum, & mu„nificè à noſtro Domino Prædeceſſore Carolo IV. glorioſæ me„moriæ, Rom. Imperatore ac Bohemiæ Rege, licèt injuriâ tempo„rum ad inopiam redactum, medijs & ſubſtantia ad manute„nendam fabricam atque alendum Religioſos ac ad divina per-

agenda

„agenda officia deſtitutum; Nos permittentibus Reverendiſſi-
„mo Patre Principe, & Domino Erneſto Adalberto S. R. E. Preſ-
„bytero Cardinale Archi-Epiſcopo Pragenſi, tanquam loci ordi-
„nario, nec non Præſide, aut Congregationis Bohemicæ Benedicti-
„norum Viſitatore, factâ tranſactione cum ejus Abbate debitè
„ad id requiſito ob quandam pecuniæ ſummam, ut novum ſibi
„extruxiſſet Monaſterium, aliâ eis conſignatâ Eccleſia; & ultra
„hoc eis omnes relinquendo redditus & bona ad Emmaus ſpe-
„ctantia Monaſterium Emmautinum cum vinea, templo, ædifi-
„cijs, & circumferentijs, intra muros adjacentibus, & comprehen-
„ſis PP. in Emmaus per Legitimam ceſsionem translatis, in ho-
„norem, & ſub invocatione B. V. Mariæ de Montſerrato, iſtud vo-
„lumus reſtabilire Monaſterium, ac in eo Monachos immittere,
„& S. Ordinis S. Benedicti collocare Religioſos, juxta ſtrictam S.
„Regulæ ejuſdem Sancti obſervantiam perpetuò Deo, & B. Virgi-
„ni ibidem famulantes, idcirco ſpontaneè, animòque deliberato,
„ſano, & maturo reſolvimus conſilio, meliori modo, & formâ,
„qua de jure poſſumus illud reſtabilimus, ac pro majori Divini
„cultûs incremento reintegramus, renovamúſque ac perpetuò
„clauſulis, & conditionibus dotamus ſequentibus. Videlicet pro
„commoda Religioſorum illud reparare conabimur habitatione,
„ut ad minimum pro viginti illorum decens ſit incolatus, dotan-
„do illud villis, campis, pratis, molendinis, ac fundis infrà ex-
„plicandis, pro congrua vitæ illorum ſuſtentatione. Concedimus
„itaque eis, & liberè extradimus Caſtellum Bezdiezenſe, cum bo-
„nis ad illud ſpectantibus, ac villa de Croo, item duo molendina
„*Trapsmühl* & *Poſelmühl*, ac duas piſcinas, aliam nempe dictam
„*Scepeltbik*, & aliam parvam in pago Bezdiezenſi cum omnibus
„reditibus, ac prædijs, quæ Pr. Prior Montſerratenſis juxtâ à PP.
„Auguſtinianis ac condignâ accepit permutatione. Item tria pra-
„ta nimirum Bezdiezenſe, Noſalovienſe, ac Tegnenſe, cum ovili
„ad prædium ſpectante Bezdiezenſe. Item duodecim prata, vi-
„delicèt Bolſovienſe juxta Brodez, ac duo alia dicta Ciſcovienſia.
„Item aliud pratum in Olvanen, aliud in Fontanew, aliud in
„Rzepni, ubi capi ſolent aviculæ, aliud in Dolintio, aliud in Ja-
„cob, aliud in valle penes molendinum, aliud in prædio infra
„Campos, & in Kluezro aliud. Item ſeptem pomaria ad prædia
„ſpectantia præfata, nimirum duo ad prædium Bezdiezenſe, duo
„ad prædium Noſalovienſe, & tria ad Tegnenſe. Item unum
„Molendinum dictum Brodec. Item ſex piſcinas, alia ſupra mo-

„lendinum Brodezense, secunda dicta Flestaich, tertia Stastaich, „quarta Wawrausseck, quinta Linhardtnens, & alia parva dicta „Drsnik; Item alias duas Plaziensem, & Nimrichtensem. Item „20. circuitus Sylvarum juxta montem Bezdiezensem, nimirum „14. circuitus juxta viam Regiam, & propè prædium Nosalo-„viense in Rzepinensi tres circuitus per semitas divisos, ac juxta „prædium Tegnense circa montem Krakovoskiensem, tres ex „varijs arboribus circuitus. Item tres villas, vel pagos Nosalovo, „Zdiar, & Tegn, in quibus inveniuntur 56. subditi, è quibus „19. sunt instructi equis, & aratris, secus autem alij 37. qui qui-„dem ad quædam servitia realia & personalia annuè sunt obligati. „Hæc enim omnia donamus memoratis Patribus cum omnibus „fundis hactenus expressis (sicutì à multis hominibus pro poste-„ritatis memoria diligenter & accuratè sunt, & suis limitibus jux-„ta morem antiquum sunt notata & distincta ad perpetuam rei „memoriam) ad præfatos spectabunt Monachos Benedictinos, „quoad Dominium & usumfructum cum omnibus suis subditis, „venationibus, piscationibus, realibus, ac personalibus servituti-„bus, nec non cum privilegio cerevisiam braxandi, utendi, & bonis „hìc annotatis fruendi, sicut & alij domini statûs nostri hæredita-„rij in Regno Bohemiæ fruuntur, ac utuntur proprijs bonis hæ-„reditarijs, confirmantes præterea de Regiæ plenitudine potesta-„tis, omnia privilegia, immunitates, præeminentias, beneficia, „prærogativas, quas hoc antehac jure vel consuetudine possedit „Monasterium, relinquendo eis etiam, ut post hujus moderni Ab-„batis obitum, nimirum Magistri Benedicti de Penalosa Conven-„tualis Montserratensis in Hispania, liberam Abbatiæ hujus ele-„ctionem, præservantes nobis (sicuti & in Monasterijs hujus ordi-„nis in nostris statibus hæreditarijs) eorundem Abbatum Appro-„bationem, ac Confirmationem. Et denique ijs & Successoribus „Abbatibus (sicuti & alijs Prælatis infulatis, possessionatis vigo-„re legum in hoc nostro Hæreditario Regno) sessionem, & votum „in comitijs, cum omnibus illis privilegijs, quibus cæteri fruuntur „Prælati statûs Ecclestastici. Et cùm nostra benigna suprà relata „cum religione fuerimus usi liberalitate, donis, & confirmatio-„ne nostra, est voluntas nostra in signum gratitudinis eorum, ut „ipsimet Religiosi quotidie pro nostra intentione & ad dies vitæ & „post mortem sacrum pro nostræ animæ refrigerio celebrent „unum, & Deo pro inclyta nostra Domo Austriaca, sacrificia, & „preces offerant continuas. Præterea requirimus, & benevolè

Sere-

„Serenissimis hæredibus ac Successoribus nostris, Regibus utique „Bohemiæ commendamus, ut istam nostram fundationem (cu„jus confirmationem ac durationem per nostrum Residentem „Henricum Montmanum à Sancta Sede Apostolica Romana im„petrari curabimus) fideliter & diligenter conservent, & Cæsa„reâ prosequantur gratiâ, satagentes, ut omni tempore & sem„per executioni mandetur, & debitum sortiatur effectum. Ne„mini ergo hominum, collegiorum, communitatum & locorum „violare, abrumpere, aut temerariè huic nostræ fundationis, con„cessionis, largitionis, voluntatis, Regio decreto se opponere li„ceat. Etenim si aliquis præsumpserit ei contraire, sciat se in „nostram indignationem incursurum, vel nostrorum successo„rum ac Hæredum. In cujus fidem, plenum & inviolabile testi„monium, & robur perpetuò stabile dari, & consignari ac hoc „nostrum diploma expediri, nostra manu, & sigillo majori signa„tum extradi jussimus. Datum Viennæ Austriæ 9. May, An„no 1635. nostri Regni Ungariæ 10. & Bohemiæ 8.

Ferdinandus.

(L.S.)

Ad mandatum proprium S. R. M.

Georgius Comes Martinitz
R. Bohemiæ Cancellar.

Luc. Kelberger.

Cùm verò habitatio majori ex parte defuisset, Regia sua Majestas aliquam considerabilem pecuniam, expressè suo jubens Fisco, ut media ac arbitraria in Regia Camera exquirerentur, ac pro hoc sancto Opere applicarentur. Quo executo Præfatus Abbas Penalosa Frontispicium in principali porta propè domum Moreskianam, è rubro marmore exstrui fecit, ubi B. Virgo cum Jesulo medium tenet, Regijs insignijs utrumque ornantibus latus. Ad pedes autem S. Imaginis Montserratensia apparent insignia, & in quodam ibidem lapide est sequens inscriptio:

FERDINANDUS III. DEI GRATIA APOSTOLICUS, SEMPERQUE INVICTISSIMUS, BOHEMIÆ, ET UNGARIÆ REX, &c. IN HONOREM B. V. MARIÆ DE MONTSERRATO DICAVIT, VOVIT, OBTULIT, GRATIAM RETULIT.

Post acceptam Abbatiæ possessionem Reverendissimus Penalosa profectus Viennam sacros Suæ Majestatis pedes Norlingâ advenientis exosculans, de felici aggratulatus reditu Suæ Regiæ Majestatis qualiter octo Monachos videlicet quatuor Sacerdotes, & totidem Clericos sacro habitu induisset recensuit, quo audito Sua Regia Majestas signa complacentiæ dedit, ac in sinum intromittens manum chartulam aliquam exposuit dicens: Pater Abbas hìc habet quinque à me votula emissa (sic enim illa vocavit) dum inter pestem & hostem versarer, me Beatissimæ Virgini de Monte serrato commendans. Tria fuêre pro mille imperialibus unum pro ducentis florenis, & ultimum pro duobus ædificandis Sacellis, nimirum uno intra templum principale Monasterij in honorem SS. Fabiani & Sebastiani, S. Bennonis, Rochi & Rosaliæ. Et alio extra muros ejusdem Conventûs dicato SS. Cosmæ & Damiano. Quod & adimplevit & munificè extruxit, ùt & ipsamet fabrica & inscriptiones testantur.

In Frontispicio Capellæ.

FERDINANDUS III. ROM. IMPERATOR PIISSIMUS, ET SEMPER AUGUSTUS HUNGARIÆ, ET BOHEMIÆ REX QUINQUE SS. DICAVIT, ANNO M. DC. XXXVII.

Supra portam Capellæ.

FERDINANDUS III. IMPERATOR, SEMPER AUGUSTUS, ET PIISSIMUS IN HONOREM SS. MARTYRUM, ET CONFESSORUM FABIANI, ET SEBASTIANI, BENNONIS, ROCHI, ET ROSALIÆ DICAVIT ANNO M. DC. XXXVII.

In Altari infra imaginem S. Fabiani.

FDRDINANDUS III. IMPER. SEMPER AUGUSTUS, ET PIISSIMUS IN HONOREM SS. MARTYRUM, ET CONFESSORUM FABIANI, SEBASTIANI, BENNONIS, ROCHI, ET ROSALIÆ DEDICAVIT, ANNO M. DC. XXXVII.

Infra Imaginem S. Rosaliæ.

S. ROSALIA VIRGO EX STEMMATE CAROLI MAGNI CÆSARIS SIC LOCATA 500. ANNIS LATUIT ET ANNO M. DC. XXIV. REPERTA FUIT.

Hæc sub primo Abbate Penalosa quantum ad nostrum institutum pertinent gesta. Secundus Abbas hujus Regiæ fundationis fuit Joannes Caramuel Vir Literatissimus antea Cistercienfis,

ciensis, & Laureatus Lovaniensis, postea verò ad immortale translatus Benedictinæ Religionis gremium, è quo ad hanc Prælaturam Anno salutis 1650. à Ferdinando III. assumptus. Tertius Abbas hujus Regij Conventûs extitit Antonius de Sotomayor, qui disciplinâ regularis observantiæ tempore vacantiæ remissâ, & aliquo modo collapsâ in pristinum præclaro Zelo restituit statum: & in omnibus omnino se legibus & statutis conformavit Hispanicis, & Fundationi Cæsareæ, quæ sic ad literam sonat, renovata illa prima Viennæ 5. Maij anno 1635. ab ipsomet Augustissimo Ferdinando III. gloriosæ memoriæ expedita, & denique aliquot modernis restabilita clausulis.

Nos Ferdinandus III. Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, &c. Rex. Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Lucenburgensis, & Silesiæ, Dux, Marchióque Lusatiæ, &c.

„RECognoscimus tenore præsentium, omnibus & singulis, „quibus expedit, testatum facimus Eam fuisse hactenus „in Nos Divinæ Majestatis providentiam, ut pro tot tantís„que suæ divinæ Clementiæ Beneficijs, quæ hucusque in va„rijs, arduis, ac difficillimis bellorum eventibus, præsertim „autem in acerrimo illo ac cruento, quem superioribus annis „cum hoste propè Norlingam subivimus Conflictu, aliís„que multifarijs in adversitatibus mirabiliter experti sumus, jam „ante aliquot annorum decursus quoddam grati animi erga di„vinam Clementiam monumentum exhibere volentes, nihil Deo „gratiùs, communíque Religionis bono magìs proficuum fore „existimaverimus, quàm si dirutas ac injuriâ temporum ferè col„lapsas Divorum Nostrorum Prædecessorum antiquas piorum „Locorum fundationes, quo ad fieri potest, denuo restauraremus, „& perenni Numinis Divini cultui, quo olim florebant, restitutas „posteritati quàm ferventissimè commendaremus. Recordan„tes igitur Monasterium in Emmaus, vulgò Slowan nuncupatum,

„ac in Civitate Noſtra Neo-Pragenſi ſituatum Ordinis S. Benedi-
„cti ſuis, quos olim à Divi Prædeceſſoris Noſtri Caroli Quarti Ro-
„manorum Imperatoris ac Regis Bohemiæ Fundatione, & dota-
„tione Regia obtinuit, proventibus deſtitutum, ad extremam
„rerum temporalium egeſtatem adactum eſſe, ejuſdem curam &
„reſtaurationem præcipuè intendere voluimus, & quidem eâ de-
„votionis Noſtræ intentione, ut modò dictum Monaſterium in
„honorem Dei Omnipotentis ſub titulo, & denominatione B. M.
„V. de Monte ſerrato in Emmaus dedicaretur, in idque Religio-
„ſi Ordinis S. Benedicti ſtrictioris, quam ejuſdem ordinis Congre-
„gatio Hiſpanica profitetur, obſervantiæ introducerentur. Poſt-
„eaquam verò idem Monaſterium ex præfata Regia Fundatione
„ad Ordinem S. Benedicti Congregationis Bohemicæ ſpectaſſet,
„cum ejuſdem Ordinis Viſitatore Joanne Bennone Abbate Brau-
„novienſe, accedente Reverendiſſimi Patris ac Principis Erneſti
„Adalberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Archi-Epiſcopi Pra-
„genſis tanquam loci Ordinarij conſenſu, tractari juſſimus, eóque
„vigore cujuſdam ſub dato 8. Die Menſis Junij Anno 1635. initæ
„tranſactionis conventum eſt, ut modò dicto Ordini Congre-
„gationis Bohemiæ, relictis univerſis prioribus, qui ad eundem
„ſpectabant reditibus, & pertinentijs, nec non certâ inſuper ſo-
„lutâ pecuniarum ſummâ, ſimul templum S. Nicolai prope fo-
„rum vetus Civitatis Pragenſis ſitum, quod ab Abbatia Straho-
„vienſi, cujus erat, habito cum quondam Caſparo de Queſten-
„berg Abbate Strahovienſi Ordinis Præmonſtratenſis, per Bohe-
„miam, Moraviam, ac Sileſiam Viſitatore, Vicario Generali tra-
„ctatu & Eccleſia etiam Vetero-Pragenſi, quæ jure Patronatûs ad
„Nos pertinebat, permutationis titulo, ac pleniſſimo jure, utì ex
„noſtro Regio ſub dato Hailbron 21. Menſis Julij Anno 1635.
„exarato conſtat diplomate, in eandem Abbatiam Strahovien-
„ſem translatâ comparavimus, traditum, reſignatúmque fuerit,
„atque eo pacto dictum Monaſterium Slovanenſe in Noſtram Po-
„teſtatem venerit. Quapropter Nos animo deliberato, ſano ac
„maturo Conſilio, voluntariè & ſpontaneè omni meliori modo,
„viâ, jure, & formâ, quibus de jure fieri debet ac poteſt, ad Majo-
„rem Dei Gloriam, idem præfatum Monaſterium Slovanenſe ſub
„titulo & invocatione B. M. Virginis de Monte ſerrato in Emmaus
„priſtinæ refloreſcentiæ reſtituere illico cupientes, præfatum Or-
„dinem S. Benedicti ſtrictioris Obſervantiæ in id introduximus, ei-
„démque de ſubſequentibus cenſibus, proventibus, ac ſuſtenta-
„tionum medijs proſpeximus.

Nempe

„Nempe pro commoda eorundem Religiosorum habita-„tione, & sustentatione, ita ut ad minimum viginti ibidem ali „possint, curavimus præfatum Monasterium splendidè ac com-„modè reparari, eidémque pagos, agros, prata, Molendina, & fun-„dos infrà nominatos pro congrua eorundem vitæ sustentatione „delegavimus, & assignavimus nunc, & futuris temporibus libe-„rè sinè ullius hominis contradictione vel impedimento utendos, „fruendos. Tribuimus igitur ipsis, ac liberè donavimus, videli-„cet arcem Bezdiecze cum pagis ad illam pertinentibus, & Croo, „item duas molas, *Trapsmühl*, & *Poselmühl* nuncupatas, similiter „duas piscinas unam *Scepeltbik*, alteram parvam in Pago Bezdie-„zensi. Item tria prata Bezdiezense, Nosaloviense, & Tegnense „cum ovili ad prædium Bezdiezense pertinenti, item duodecim „prata, hoc est Volsoviense penès Brodek, Liscoviensia sic dicta „prata duo, Monachi pratum unum, Fontaneum pratum unum, „in Rzepniz pratum unum, sub Aucupio unum, in Dolincio „unum, in Klunko unum, Jacobi pratum unum, in valle apud „molam unum, ad prædium sub agris in uno circuitu pratum „unum. Insuper septem pomaria ad ista prædia spectantia: duo „ad prædium Bezdicense, duo ad prædium Nosaloviense, & reli-„qua tria ad prædium Tegnense. Præterea molam cum serra „etiam in Brodeck nominatam, item octo alias piscinas: unam su-„pra molam Brodecensem, secundam Fleschteich, tertiam Strai-„strich, quartam Wawrausek dictam, quintam Linhartensem, „sextam parvam Drsnik, septimam Plaziensem, & octavam Nim-„richtensem dictam. Porrò viginti circuitus sylvarum, quatuor-„decim videlicet circa montem Bezdiez usque ad Regiam viam, „& tres prope Nosaloviense prædium in colle Rzepinensi trami-„tibus divisos, ac reliquos tres propè prædium Tegnense circa „montem Krakowskiensem situatos, ac diversi generis ligno-„rum sylvas producentes.

„Ulterius tres pagos Zdiar, Nosalow, & Tegn cum omnibus „ad eosdem spectantibus subditis, eorundémque, ad quæ adstricti „sunt, tributis, robotis, aliisque personalibus ac realibus præstatio-„nibus. Cùm autem à tempore hujus Nostræ Regiæ Fundationis „modo dicti pagi ac fundi sævitiâ belli, quo Regnum nostrum „hæreditarium Bohemiæ hactenus infestatum fuit, valde destru-„cti, subditíque abacti sint, prædictæ fundationi Nostræ, ejúsque „conservationi perpetuæ benignè cupientes, novo dotationis sub-„sidio eidem subvenire constituimus. Assignantes ultra hæc,

„quæ ſupra memorata ſunt, ſimul 4000. florenorum Rhenenſium „ſingulis annis,& quidem quolibet trimeſtri 1000. florenos ex No„ſtris vini, Cereviſiæ, & ſalis regijs reditibus jugiter exſolvendos, donec eidem Monaſterio de bonis ſtabilibus, è quorum cenſu vel „proventibus ejuſdem quantitatis ſumma annuatim colligi que„at, à Nobis, Noſtríſque ſucceſſoribus proviſum fuerit, adden„do ſimul ſingulis menſibus unum vas ſalis eidem Conventui li„berè tradendum. Quæ omnia ſæpedicto Monaſterio Pragenſi „B. M. V. de Monte ſerrato in Emaus pro ejus dote, & Abbatis, „Conventûſque congrua ſuſtentatione, onerúmque illis incum„bentium ſupportatione donamus, & omni quo poteſt jure ap„propriamus, incorporamus, ac inviſceramus, ita ut non ſolùm „illa modo dicta 4000. florenorum eidem annuatim, uſque dum „ex ſtabilibus bonis,uti antea memoratum eſt,congrua eorundem „fiat compenſatio juſtè exſolvantur, verùm etiam omnes hacte„nus enumerati fundi, bona, ac prædia, prout limitibus ſuis more „antiquo,& conſueto ad perpetuam rei memoriam diſtincta ſunt, „tam Dominij, quàm uſusfructûs ratione ad præfatum Mona„ſterium, & quem in id introduximus ordinem S. Benedicti ſtri„ctæ obſervantiæ ibidem conſiſtentem, pertinebunt cum omni„bus ſubditis, liberis venationibus, piſcationibus, realibus ac per„ſonalibus ſervitutibus,nec non cum jure in ijſdem bonis braxan„di, ſeu cereviſiam coquendi, nec non de cætero his ipſis aſſigna„tis bonis ita utendi, fruendíque, utì alij ſuperiores ſtatus hære„ditarij Noſtri Regni Bohemiæ ſuis proprijs, & hæreditarijs utun„tur fruuntúrque. Confirmantes inſuper ex Regiæ poteſtatis „plenitudine omnia hujus Monaſterij, quæ antiquitùs de jure & „conſuetudine habuit, vel poſſedit Privilegia, immunitates, præ„eminentias, prærogativas, & beneficia. Concedentes ſimul ac „tribuentes hujus Monaſterij Abbatibus, tanquam infulatis, & „poſſeſſionatis ſeſſionem in publicis comitijs, & conventibus, nec „non & omnia alia jura & præeminentias, quibus reliqui Prælati „ſeu Abbates ſtatûs Eccleſiaſtici in dicto noſtro hæreditario Re„gno Bohemiæ gaudent, & fruuntur, ſintque ac nominentur in „perpetuum Capellani Regiæ Capellæ Bohemiæ; Religioſi ve„rò ejuſdem conventûs vivant, ac regantur ſecundùm ſtatuta & „conſtitutiones præfatæ Congregationis Hiſpanicæ, omnibus Pri„vilegijs, gratijs, & indulgentijs, Prærogativis, & præeminentijs, „quibus modo dicta ejuſdem Ordinis Congregatio à S. Sede Apo„ſtolica donata, ac firmata eſt, ex eadem Apoſtolica authoritate,

„quam decenter requiri curabimus, pleniſſimè potituri, gaviſu-
„ríque. Solùm Nobis Noſtríſque Succeſſoribus Regibus Bohe-
„miæ Patronatûs, & quæ ei vel jure, vel de conſuetudine inſunt,
„vel ineſſe poſſunt, præſentandi, nominandi, providendi, nec
„non circa temporalia inquirendi, viſitandi, & ſuperveniente ali-
„quâ vacantiâ ſigillandi, juribus retentis. Archi-Epiſcopis verò
„Pragenſibus tanquam loci ordinarijs Jurisdictionis competentiâ
„reſervatâ; hac inſuper adjunctâ Munificentiæ Noſtræ cautelâ,
„ut ſimul & omnia alia Monaſteria ejuſdem Obſervantiæ, quæ in
„Provincijs noſtris hæreditarijs fuerint ſita, & huic Monaſterio de
„Monte ſerrato Pragenſi unita, ab eodémque dependentia, his
„ipſis quoque Privilegijs, gratijs & immunitatibus gaudeant, &
„perfruantur.

„Cæterùm benignè volentes, ac Abbates cum eiſdem Mo-
„naſterij Religioſis expreſsè hiſce obligantes, ut ijdem præſentes,
„& futuri omnia & ſingula Miſſarum, & Anniverſariorum anti-
„quorum, aliáque onera, ad quæ de primæva fundatione idem
„Monaſterium tenebatur ſupportare, inibíque ſecundùm ſui Or-
„dinis inſtitutum B. V. M. perpetuas laudes concinere, ac devo-
„ta ſervitute famulari, nec non ſingulis diebus pro Nobis, dum ſu-
„perſtites erimus, & poſt Noſtrum obitum pro animæ Noſtræ re-
„frigerio Miſſam celebrare, & pro Inclyta Domo Noſtra Auſtria-
„ca ſedulas Deo preces offerre debeant. Requirimus igitur Sere-
„niſſimos Hæredes & Succeſſores Noſtros Reges Bohemiæ, bene-
„volè ipſis committentes, ut præſentem hanc Fundationem No-
„ſtram fideliter ac diligenter manuteneant, & ſtrictiſſimè obſer-
„vent, obſervaríque curent, nihílque eorum intermittant, quæ
„ad eandem ſtabiliendam, & perpetuò conſervandam pertinere
„intelligent; prout & nulli omnino hominum nec ex imperanti-
„bus, nec obedientibus liceat hâncce Noſtræ Fundationis Regiæ
„paginam violare ſeu infringere, aut ei quocúnque modo contra-
„ire. Quiſquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem
„Noſtram vel Hæredum Succeſſorum noſtrorum graviſſimam ſe
„noverit incurſurum. In quorum omnium plenum & inviolabi-
„le robur & teſtimonium perpetuò valiturum diploma hoc no-
„ſtrum Regium, manû noſtrâ ſubſcriptum, & ſigilli noſtri majo-
„ris appenſione munitum, ſuper his omnibus fieri juſſimus. Datæ
„in Civitate noſtra Vienna die decima octava Menſis Maji Anno
„Milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo, ſeptimo, Regnorum

„nostrorum, Romani undecimo, Hungarici vicesimo secundo,
„& Bohemici vicesimo.

(L.S.)

Ferdinandus.

Si quid hìc ad Substantiam deest, illud Anno 1634. de Victoria Nordlingana scripturi, referemus. Ab hac autem Pragensi fundatione non judicavimus separandam fundationem Viennensem.

CAPUT XXVI.

Origo, & Fundatio Conventûs Viennensis sub titulo Beatissimæ Virginis Monserratensis.

Origo Conventûs Viennæ B. V. Monserratensis.

Videtur, quòd Anno 1629. Serenissima Infans Hispaniæ Maria Philippi III. Hispaniarum Regis filia, ebulliente in illa pietatis ac devotionis innatæ Sanguine, præcipuè erga miraculis illustrem, & in toto orbe laudatam Beatam *Virginem* de Monserrato in Catalauniæ Regno locatam, dum *iter in Germaniam* faceret intuitu nuptiarum cum Serenissimo Rege Ungariæ Ferdinando III. æternæ memoriæ, ad Sacrorum Proavorum, ac Avorum imitationem, illud Sanctuarium personaliter fuerit dignata invisere, ac illam Sacram revereri imaginem. Hac autam sub umbra præfatæ Serenissimæ, & protectione fuit missus in Alemanniam intuitu Marianum promovendi cultum, R. ac Eximius P. Benedictus de Penalosa, SS. Theologiæ Doctor, ac ordinarius Concionator, integritate vitæ ac doctrinæ præclarus, ac tunc temporis Eremitarum Monserratensium Vicarius. Cùm autem in Germaniam pervenisset, licèt humano destitutus favore, & Suevico validè grassante bello, se coram Augustissimo Imperatore Ferdinando II. immortalis memoriæ Principe humiliter præsentavit, & sui adventûs causam exposuit. Ad quod ille *invictus* respondit Monarcha, se ejus intentionem velle juvare Sanctam. In cujus finem, & meritis Beatissimæ Virginis de Monserrato innixus, iteratis eandem exoravit precibus, ut si contra Suevica præstitisset arma vires, votúmque emitteret in honorem ipsius construendi Viennæ Monasterium. Intulerat námque Anno 1631. ad Lipsiam Gustavus Sueciæ Rex cum Electore Saxoniæ & fœderatis ad illud tempus invicto Joanni Tillio gravem cladem, & fulminis instar totum imperium victorijs suis inundavit. Lipsiensi victoriâ etiam usus Saxo Boëmiam omni ferè militari præsidio

dio vacuam, Pragam ipsam Metropolim, aliáque complura loca in potestatem redegerat, Sed utì diversa belli alea est, propitio cœlo virtutéque Alberti Ducis Fridlandiæ Anno. 1632. Pragâ recuperatâ, totâ Boëmiâ pulsus, Fridlando occasionem dedit Gustavum ipsum Regem hostiliter persequendi, quôcum ad Norimbergam armis congressus superior evasit, & mense Novembri decretorio prælio decertans, eundem ad Lutzam prostravit. In sequente autem Anno Svecico-Saxonico exercitui haud levem stragem in Silesia ad munimentum Steinaviense, captis primarijs Belliducibus, intulit. His ità feliciter gestis Ferdinandus II. Cæsar illicò, quod promiserat, adimplere opere ipso cupiens Monasterium Hispanicum dictum strui munificè jussit, propè portam Scotensem extra civitatis Viennensis mœnia lapidem fundamentalem in illo Sanctuario injiciens, cujus lamina hæc sculpta continebat verba, Fundator Ferdin. II. Cæsar.

Ferdinandus II. Dei Gratiâ Romanorum Jmperator Ferdinandi III. Regis Hungariæ & Bohemiæ Pater & Ferdinandi IIII. Principis Avus, Catholicissimus, Pijssimus, eòque Jnvictissimus, & semper Augustus, in hoc Sacello extra muros Viennæ sito, & Beatissimæ V. Mariæ sub invocatione Miraculosæ Montis Serrati dicato, maxima cum devotione & pietate hanc primam immisit fundamentalem Petram, & Monachos sub regula S. Benedicti militantibus de reformatione magnæ Sanctuarij Montis Serrati, ut Sanctissimæ V. perpetuò inserviant, Sacellum & Monasterium hoc tanquam Patronus Amplificus construxit, & dotavit. Præsentibus Augustissima Jmperatrice Leonora, ejusdem Ferdinandi II. Charissima conjuge & Ferdinando III. Rege cum charissima ejus conjuge Regina Maria Hispaniarum Jnfantissa, & Serenissimis Archi-Ducibus Leopoldo, Mariana, Cæcilia Filijs Charissimis ipsius Ferdinandi II. Anno â partu Virgineo 1633. die 15. Mensis Novembris.

Et in ipsa die Præsentationis Beatissimæ Virginis fuit ejus Imago Sanctissima in hoc templo præsentata, & solenniter collocata & prima Missa celebrata ab Antonio Abbate Cremiphanensi Ordinis Sancti Benedicti, Principe & Episcopo Viennensi. Illicò autem hac solenni peractâ functione R. P. M. Benedictus de Penalosa Hispanus à sua S. C. Regiáque Majestate fuit nominatus Prior illius Neo-Conventûs, & die sequenti Clementissimus idem Imperator pro majore Ecclesiæ ornamento & Monachorum sustentatione misit mille florenos, duo candelabra argentea magna, & urceolos, thuribulum, calicem, & patenam, Baldachinum pretiosissimum, antipendium, duas casulas, & alia plura, cujus exem-

 plo

plo cæteri Principes, præsertim Celsissimus Episcopus Viennensis, cum æmulatione plurima præstitêre bona, quibus auxilijs intra breve tempus iste Conventus necessaria pro divino cultu obtinuit. Dum hæc Viennæ fiunt eodem tempore Monasterium Philippus IV. Hispaniarum Rex aliud competentiâ ac sanctâ æmulatione, penès Aulam Regiam intra Madritum construi fecit in platea, quæ dicitur Fonkarral. Porrò obsidente Viennam Turcâ anno 1683. & solo æquante Cœnobiū cum templo, locus propè cæmeterium Cæsareum pro millibus decem centum & quinquaginta florenis cum domo & horto adjacente emptus est, & Ecclesia exstrui cœpta, pro qua fundamentalem Augustissimus Imperator Leopoldus manibus proprijs jecit lapidem, nummo ex puro auro imposito orbicularis figuræ, cujus diameter dimidium quadrantis ulnæ adæquabat. Una ejusdem facies bicipitem Imperiali Corona redimitam Aquilam, dextro pede gladium, sinistro sceptrum, in pectore verò scutum cum lemmate: *Consilio & industria* gerentē exprimebat. Hanc cingebat inscriptio: *Leopoldus primus Roman. Imperator, Hungariæ & Bohemiæ, &c. Rex.* Alteram Laurea baccis decora exornabat adjectâ inscriptione: *Leopoldus Augustus Ferdinandi Tertij filius, & secundi Nepos, utriúsque Regnorum & Pietatis Hæres, idem Deiparæ Virginis Sacellum à Turcis Viennam prementibus vastatum in hoc loco restaurari voluit, positâ fundamentali petrâ 5. Idus Julij, Anno 1690.* Totius Numismatis in extima peripheria erat Inscriptio: *Benedicta sit Beata Maria semper Virgo sinè labe Originali concepta. Amen.*

Solo æquatur & alio loco novus Convent⁹ erigitur.

CAPUT XXVII.

Consecratio Ecclesiæ S. Augustini Viennæ. Alberti Ducis Austriæ zelus in exstirpanda secta Flagellantium. Mors Joannæ conjugis ejusdem Ducis Austriæ.

SIquidem præmemoratæ Consecrationis Episcopalis Bulla exstat, eam in honorem antiquitatis dabimus.

Consecratio Ecclesiæ S. Augustini Viennæ.

„NOs Frater Ortolfus Dei gratiâ Sanctæ Appamiensis Ecclesiæ „Archi-Episcopus. Ad Universorum cupimus notitiam per„venire, quòd Anno Domini 1349. die primâ mensis Novembris, „quæ est festivitas Sanctorum omnium consecraverimus solenni„ter Ecclesiam Religiosorum virorum, Prioris & Fratrum Ordi-

„dinis Eremitarum Sancti Auguſtini in Wienn Patavienſis Dœi-„ceſis, & quinque Altaria in ipſa, quæ conſequenter se habent in „ordine & Capite ipſius Eccleſiæ, ita quòd Eccleſiam & medium „Altare inter duo oſtia, quibus ad Chorum erit introitus, conſe-„cravimus in honorem ejusdem Glorioſi Præſulis & Doctoris „egregij Sancti Auguſtini Patroni Ordinis & Fratrum eorundem. „Altare verò eidem Altari S. Auguſtini verſùs ſiniſtram propin-„quum in honorem Sanctorum omnium. Et Altare juxta murum „Eccleſiæ verſùs plateam in honorem S. Virginis & glorioſæ Chri-„ſti Martyris Catharinæ. Altare inſuper quod eſt juxta murum „Eccleſiæ verſùs ambitum Fratrum in honorem Sanctorum Petri „& Pauli Apoſtolorum: Et Altare eidem propinquum, quod eſt „juxta Altare S. Auguſtini, in honorem Sanctorum Ioannis Bap-„tiſtæ, & Ioannis Apoſtoli & Evangeliſtæ. Quas conſecrationes „fecimus de licentia plena & expreſſa Reverendiſsimorum Do-„minorum D. videlicet Gwidonis tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyteri „Cardinalis Domini noſtri Reverendiſsimi, ac Domini Gottfridi „Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopi, cujus tunc in Pontificalibus vices „gerebamus. Volentes igitur, ut memorata Eccleſia atque Altaria „Deo & Sanctis prædictis celebriter juxta ritum Sanctæ Matris Ec-„cleſiæ dedicata, atque per nos, ùt præmittitur, conſecrata à Chri-„ſti fidelibus congruis honoribus atque devotione frequententur „eo affectuoſiùs, quo quibusdam Spiritualibus allecturis & bene-„ficijs, indulgentijs videlicet & peccatorum remiſſionibus fuerint „ad hujusmodi invitati. Auctoritate memoratâ Domini Gottfridi „Patavienſis Epiſcopi, quâ fungimur in hac parte omnibus verè „pœnitentibus, confeſſis & contritis, qui in die Dedicationis Ec-„cleſiæ & Altarium eorundem, & per octo dies ſequentes, ac die-„bus Natalis Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis „Chriſti, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Omnium Feſtorum Glorio-„ſæ Genitricis Chriſti, perpetuæ Virginis Mariæ, ac feſtivitatum „prædictorum Sanctorum, quibus ſunt Eccleſia & Altaria conſe-„crata & per Octavas ipſorum, & inſuper per totam quadrageſi-„mam & Chriſti Adventum devotè viſitaverint, & Dei confiſi mi-„ſericordiâ & Genitricis ſuæ Virginis Mariæ, Sanctorúmque Pe-„tri & Pauli Apoſtolorum eis quadraginta dies indulgentiarum in-„junctæ ipſis pœnitentiæ miſericorditer in Domino relaxamus, „perpetuis temporibus duraturas. In cujus rei teſtimonium no-„ſtrùm Sigillum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum „Anno Chriſti, Menſe & Die, quibus ſuprà. Porrò conſecratio

Notet Lector: Apamienſem Epiſcopatum eſſe in Gallia; Archi-Epiſcopatum in Syria, aut Phrygia majori.

„hæc peracta est ad instantiam Alberti Sapientis Dúcis Austriæ. Cæterùm non constat an à tempore dictæ Consecrationis fuerit hæc Ecclesia aliquando de novo consecrata, nec ne? Dubitandi autem ratio est hæc: quia juxta suprà positam Bullam, prima consecratio est facta die 1. Novembris: nunc autem Anniversarium dedicationis illius agitur annuè die Dominica post Octavam Assumptionis. Unde non scitur, an statim à principio fuerit translatum hoc tempus anniversarium celebrandæ Dedicationis eò quòd proprium tempus ipsius, nimirum Principium Novembris esset perpetuò impeditum per festum Omnium Sanctorum: an verò fuerit aliquando violata, vel sic renovata, ut debuerit reconsecrari. Ut ut sit defactò nihil certi constat in hoc puncto, præter id quòd prima consecratio facta fuerit cum recensitis solennitatibus, anno, die, & mense quo suprà.

Circa hanc Ecclesiam extabat olim M.S. Codex in Bibliotheca Cæsarea Viennensi, qui originem progressúmque ipsius cum rebus unà ad Cœnobium pertinentibus accuratè referebat, sed hodie non est amplius reperibilis. Nequaquam igitur negligentiæ Lector adscribat, quòd ex hoc tempore destitutus omnibus memorijs altum silentium ad annum usque 1630. servare cogar. Sub hodiernis possessoribus, quæ ad nostrum institutũ ab Augustissima Domo gesta sunt, siquidem accuratè annotata in M.SS. Cœnobij invenerim, non intermittam Lectoribus meis communicare, quò etiam magnâ parte spectabunt solemniores ritus & cæremoniæ, quæ coram suis Majestatibus, aut etiam per ipsasmet Majestates in ea Ecclesia agi consveverunt.

Jubileum Romæ. *Henricus Spondanus in Annal. Eccles. ad an. 1350.*

Anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo Indictione tertiâ, ipso anni exordio, cœpto tamen more Romanæ Ecclesiæ à præcedente Natali Domini, inchoata est celebratio jubilei anno superiore promulgati, tantâ populorum pressurâ potiùs quàm frequentiâ (ùt Petrarcha qui interfuit asserit) ut nihil obfuisse pestem, quæ mundum hominibus exanijsse videbatur, & adhuc solito major multis locis continuabat, appareret. Communi æstimatione creditum, à die Nativitatis Christi usque ad Resurrectionem (quæ incidit eo anno in diem vigesimam octavam Martij) fuisse perpetuò Romæ à decies usque ad duodecies centena hominum extraneorum millia, ad festa Ascensionis & Pentecostes ultra octies centena millia, per æstatem pauciores fuisse ob ferventissimum æstum, & collectionis frugum impedimenta, non tamen ita ut non fuerint quotidie Romæ ducenta peregrinorum millia.

Inter

Inter illuſtriores perſonas numeratur Ludovicus Ungariæ Rex, cui Sereniſſimus Albertus Auſtriæ Dux adnumerandus erat; ſed dira tunc tetráque peſtilentia ab ingreſſu Italiæ Principem deterrere cœpit, nova autem eodem tempore enata peſtis, nempe Secta Flagellantium, omnino in terris ſuis hæreditarijs manere compulit. Meminit cum multis alijs Sectæ hujus Scriptor Annalium Trevirenſium, ad annum quidem præcedentem quo ſurrexit, ſed in ſequentem propagata eſt. Per eos quoque dies, inquit, Flagellantium ſecta magno diſciplinæ incremento ob peſtis graſſantis metum rurſus emergere ab inferis cœpit, novo velut erecto & ad oſtentationem expoſito ſeverioris pœnitentiæ ſimulachro. Quippe ſub vexillis crucem manu tenens & mœſto rythmorum cantu, nudatis corporibus turmatim & bijuges per oppida vicóſque ſine duce & rectore commeans, & multo in ſe verbere cum certa proſtratione, varióque reorum geſtu ſæviens, trahebat exemplo non multitudinem tantùm, ſed è nobilitate primos, qui permiſti criminoſis, puta homicidis & adulteris, hoc quaſi infamiæ contagio magnum dedecus ſuſcipiebant, perſuaſi certam poſt triginta tres dies horáſque duodecim ſibi paratam à Deo criminum indulgentiam. *Flagellantes in Germania. Chriſtoph. Broverus Annal. Trevirenſ. ad anu. 1349.*

Quare veritus Clemens Pontifex, ne, ſi naſcentem illam flammam continuò non opprimeret, pernicioſo cerneret mox omnia flagrare incendio; Balduino Archi-Epiſcopo Trevirenſi nominatìm mandata mittit, operam utì daret, ne peſtis illa longiùs proſerperet, hominéſque ſtolidos, & vecordes, priuſquam in habitum religionis ſe conformarent, ſeveris ſupplicijs coërcéret. Sed peſtis illa jam in Regnum Bohemiæ etiam penetraverat & mox inde rejecta Auſtriam infecerat. Quare ut quantocyùs opprimeretur, Albertus ſapiens Dux Auſtriæ diſſipare cœtum Flagellantium aggreſſus eſt, captos nonnullos in carcerem detruſit, diſſipatumque cœtum in perpetuum ex Auſtria proſcripſit. Demum è Sacri Dominici Familia Inquiſitores conſtituit, ne ampliùs alij ſimilia auderent, flammis alioquin amburendi quotquot interciperentur. *Pelluntur ex Auſtria.*

Anno 1351. moritur Ioanna uxor Alberti Sapientis. De cujus morte ſequentia chronicon Zwethallenſe refert. Iohanna Ducis Alberti uxor acerbiſsima morte præventa; ad cujus obſequium Albertus dolens properat, & in Gaming præſentibus plurimis Prælatis eſt ſepulta. Erat hæc Iohanna Udalrici ultimi Phyretani Comitis filia, qui obiens, cùm præter ipſam, & Urſulam filias, nullos *Mors Joannæ conjugis Alberti II. Ducis Auſtriæ.*

haberet liberos, Ursulæ octo millibus aureorum numeratis, Albertus eum Comitatum unà cum tota Suntgovia hæreditate adijt. Cúmque Udalricus fundâsset Collegium Canonicorum Tannis, illud Albertus amplis dotavit possessionibus.

CAPUT XXVIII.

Alberti Sapientis cum Tigurinis bellum, & memorabile factum occasione civitatis Basileensis terræ motu concussæ; studium in reædificanda Rapersvilla. Fundatio Coenobij S. Thomæ Brunæ pro Eremitis S. Augustini.

Bellū Tigurinum.

Gerard. de Rhoo L. III. Hist. Aust.

CUm Albertus Sapiens solus ex posteritate Alberti I. Cæsaris superstes omnibus ditionibus Austriacis præesset & longâ pace atque quiete frueretur, bellum tandem Tigurinum vivente adhuc lectissima conjuge Iohanna erupit, quod vario Marte usque ad annum 1356. utrinque gestum est, & ad extremum operâ Caroli IV. Cæsaris, cùm Ratisbonæ conventum Imperij ageret, compositum.

Descripsit illud latè Gerardus de Rhoo in sua Historia Austriaca Libro Tertio à pagina 102. usque ad 111. laudátque Albertum, qui etsi membris æger, equo tamen aut lecticâ vectus, omnia Imperatoris munia sedulò obire sit solitus. Occasione hujus belli idem Historicus paginâ 104. deprædicat Agnetem Alberti sororem, quæ tum magna cum vitæ Sanctimonia, in Monasterio Campiregij (vulgò Königsfeld) procul hominum cœtu & aulæ strepitu vitam degebat, cujus arbitrio ante Carolum Imperatorem sub principium exorti belli, tota controversia decidenda committebatur.

Memorabile factū Alberti Ducis Austriæ.

Felix Faber in Historia Suevorum

Porrò memorabile factum Alberti circa civitatem Basileensem est ùt sequitur. Anno 1356. die S. Lucæ Evangelistæ decimo octavo Octobris & multis sequentibus ex terræ motu tota ferè civitas Basileensis corruit, & quàm plurima in terram prostrata sunt. Cladem illam præ cæteris exactè describit Felix Faber in Historia Suevorum, & ignem ex Monasterio quodam subverso erupisse ajt, qui per totam Urbem quasi insaniens discurrit, & magnâ parte quæ motui supererat incensâ per unam portam civitatis exivit & disparuit. Subdit egregium & memorabile factum Alberti Ducis

Austriæ

Austriæ; quòd cùm anteà infenso valde animo contra Basileenses esset ob jura quædam inter eos controversa, ideóque civitatem obsidere cogitaret, nihilominus auditâ ejus clade, nonsolùm noluerit desolatis insultare, verùm etiam auxilium præstiterit ad urbem reparandam, tunc se cum eis armis acturum, si expediret, dicens, cùm æquales sibi fortunæ forent. Martinus Crusius in Annalibus Sueviæ testatur misisse CCCC. robustos rusticos, ut expurgarent suo nomine vicum ferri (Eisengaß) à parte Rheni usque ad pontem frumentarium. Quod & fecerunt multis diebus, expensis Ducis. Neque omitenda putamus circa Rapersvillam ab Alberto acta. Hunc locum postquam à Ioanne Comite Habspurgico cognato suo accepisset, mox reædificare cœpit, adhibitis præsenti mercede omnibus qui operari scirent, aut vellent, paucísque diebus mœnia instauravit, multas domos ligneas in usum exstruxit, & quò lubentiores Rapersvillenses redderet, & quicúnque habitare vellent paratiores, magnas & novas immunitates omnibus dedit, adeoque quidquid conferre potuit in bonum & commodum, decus & emolumentum conditoris novi, & patroni benevolentis, & munifici officio defunctus præstitit. Arcem quóque, eâdem, quâ prius fuerat, formâ, & amplitudine muniri jussit.

Studium in reædificanda Rapersvilla. Añales Eremi Deiparæ in Helvetia.

Ad annum 1356. pertinet quoque fundatio Cœnobij S. Thomæ Apostoli Brunæ, de qua vetus tabula, quam ibidem sub initium Iunij anno 1690. legi, ita testatur. *Anno Domini 1356. feriâ secunda post Dominicam Inuocavit; fundatum est Monasterium in honorẽ gloriosæ Virginis Mariæ & S. Thomæ Apostoli pro Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, per Excellentissimum Principem Dominum Dominum Joannem Marchionem Moraviæ ac per Inclytam Dominam Margaretam, præclarissimam consortem suam.* Illam fuisse Austriacam testatur Moraviæ Historiographus Thomas Pessina in Marte Moravico obitum Ioannis Marchionis anno 1375. referens. Sepultus est singulari exequiarum pompâ præsente Imperatore Carolo IV. fratre suo in templo Divi Thomæ, ubi postea prope cancellos ad cornu Epistolæ summi altaris quoque sepulta est conjunx Margarita. Multum hoc templum & cœnobium debet Maximiliano II. Cæsari, qui à morte Ferdinandi I. Parentis Monasterij administrationem & mobilia Ecclesiæ aliaque à sæcularibus occupata restituit Religioni, & in pristinam libertatem reposuit.

Fundatio Cœnobij S. Thomæ Brunæ in Moravia.

CAPUT XXIX.

Alberti II. Ducis Auſtriæ pius obitus.

Annus milleſimus trecenteſimus quinquageſimus ſeptimus, qui penultimus eſt Alberti II. Ducis Auſtriæ inſignem affectum prodit erga S. Dorotheam Virginem & Martyrem, cujus honori ex ſpeciali erga illam habita dudum devotione Sacellum Viennæ ædificare cœpit; quod Rudolphus filius perfecit. Hodie elegantem Eccleſiam eo loco ſtare cernimus, & juxta illam Collegium Canonicorum Regularium S. Auguſtini poſt Andream Planck Sacerdotem Alberti V. Archi-Ducis Auſtriæ poſtea nominis hujus ſecundi Cæſaris in moribus & literis informatoris indubitatum argumentum Auſtriacæ Pietatis atque favoris. Præmemorato quoque anno Albertus Dux Gammingenſe Cœnobium Carthuſianum anno 1330. cœptum ad ſummam manum. (verba ſunt Gerardi de Rhoo Libró tertiô Hiſtoriæ Auſtriacæ) perduxit, reſiduúmque vitæ quietum à bellis habuit. Cùm autem arbitraretur fortaſſe brevi ſe moriturum totus ad amplectenda Pietatis ſtudia aſpirabat. Itaque fratris Friderici pulcherrimo facto commotus, qui, ùt ſupra Libro II. Capite XXVI. ſcripſimus, aſceticæ vitæ delectatus dulcedine magnam ſub finem vitæ temporis partem apud Carthuſianos Maurbacenſes in contemplatione rerum divinarum exegit, & ipſe apud Cathuſianos Gammingenſes in Pietatis operibus exigere ſtatuit. Dum autem in Cœnobio degeret è conclavibus, quæ ſibi ponè ipſam Eccleſiam conſtruxerat, nunc in Sacella Immaculatè conceptæ Virginis Deiparæ, nec non Divi Joſephi converſis, in chorum deſcendens, divinis Officijs, cum Religioſis ſedulò noctu diúque interfuit, cæleſtes delicias eo Pietatis guſtu jam hìc in terris prælibans cœlo ſe parabat, ubi Hymnædis Hieruſalem ſupernæ junctus, ſinè fine promendis cæleſtibus canticis totâ, ùt piè credimus, vacabit æternitate. Servatur hìc (verba damus Scriptoris Aſceterij Gammingenſis paginâ 370. citati) ejuſdem Pſalterium Davidicum in membrana vetuſto charactere exaratum, intermixtis hinc inde pro ejus ætatis more, ſacris Divorum iconibus. Itemque Paludamentum Ducale, è nigro holoſerico villoſo ſed ferè jam ſitu ac vetuſtate conſumpto, è cujus tamen nonnullis partibus adhuc acum patientibus ægrè quidem, in perpetuandam quoad fata ſinent Pijſſimi Principis memoriam, Sacra Sacerdotalis veſtis ſeu Caſula, ùt vocamus, confecta eſt, quâ

Alberti II. Pietas in D. Virgine & Martyre Dorotheâ.

Solicitudo circa Carthuſiam Gammingenſem.

Vita ſolitaria apud Carthuſianos.

ſolô ejuſdem ac Fundatricis anniverſariô celebrandô Præſul noſter quotannis utitur. Exſtabat etiam ſerica rubei coloris intertextis hinc atque inde aureis magnis floribus Cyclas nuptialis, quemadmodum traditum ab antiquo, Pijſſimæ Fundatricis Joannæ, ſed illa ſimiliter nunc in Caſulam converſa Feſtis duntaxat Pentecoſtalibus ad uſum promitur. Cùm ergò Pietatis prorſus eximiæ factis Clariſſimus Princeps, vitam ſobriè & piè & juſtè vivendo produxiſſet ad annum uſque M.CCC.LVIII. eodem tandem XIII. Calend. Auguſti conformi vitæ obitu id eſt, pio ſanctoque terris, quibus dudum in corpore eminuerat, excedens, Conjugi ſuæ jam antè defunctæ, cui conjunctiſſimè ſemper convixerat, nunquam ab ejus latere abjungendus, maximo Carthuſianorum ac Provinciarum piè, juſtè, fortiter, ſapientérque gubernatarum luctu, eodem in monumento appoſitus, requieſcit in pace. Hucùſque memoriæ Gammingenſes.

Mors.

Sepultura.

De obitu Alberti fermè ſequentia habet Fugger in Anno 1358. Albertus, inquit, poſtquam pacem cum Cantonibus iniviſſet, quieti ſeſe tradidit, ſuáſque cogitationes non ſolùm ampliandis bonis artibus ac literis, quibus Pax lætatur, verùm etiam Divino cultui exornando ſeſe impendit, ac ideo Carthuſiæ Gammingenſi perficiendæ operam ac curas ſuas tradidit. Hoc ædificio perfecto tandem memorato anno, id eſt 1358. maligna febri correptus Viennæ Auſtriæ 20. Julij, ætatis ſuæ 70. fatis conceſſit, & die 23. ejuſdem menſis in ſuo cœnobio penès ſuam Conthoralem eſt humatus. Erat Princeps hic adeo ſapientis gubernationis, ut cognomento *Sapientis* vulgò meruerit compellari, qui licèt æger ſemper corpore fuerit, ſaniſſima tamen mens corpus ægrum inſedit, quod ipſum ſuo ſymbolo innuere volebat, per virum armatum fractis cruribus clavæ innitentem cum lemmate: *Et hic virum agit*. Cui lemmati alluſit Poëta verſibus ſequentibus:

Poplite mancus eram, ſed mentis acumine magnus:
 Ægro ſic animus corpore ſæpe valet.
Claudius inceſſu, Cato factis audio: non pes
 Sceptra gerit, faſces ſed caput orbe regit.
Primus ego Fratrum, de ſenis infimus: uni
 Namque mihi debet fata renata Domus.

Georgius Eder J. U. D. Cathalogô Rectorum & Illuſtrium Virorum Archi-Gymnaſij Viennenſis obitum Alberti hiſce memorat: *Albertus II. Dux Auſtriæ rebus multis præclarè geſtis piè moritur: ſepultus Gemmingæ in Cœnobio, quod ipſe fundaverat, Carthuſianorum.*

Error nonnullorum circa annum mortis Alberti II. Ducis Auſtriæ.

ſianorum. Sed in anno collocando 1387. erràſſe videtur. Errant etiam, qui Albertum defunctum putant anno 1368. uti & qui anno 1378. Nam filius Rudolphus natus anno 1339. anno ætatis vigeſimo adijt regimen Auſtriæ, ùt ſæpe repetit in ſuis diplomatibus: ergo Parens defunctus anno 1358. Circa locum ſepulturæ nullum hactenus legi qui diſputaret. Omnes uno ore affirmant ſepultum Gemmingæ, vel potius Gammingæ apud Carthuſianos. Circa diem quæſtionem fecit Joannes Ludovicus Schönleben, refutando tamen eos, qui diem obitûs 22. Julij aſſignârunt, quia tunc fortè, inquit ille, ſepultus eſt.

Ephemeris Auſtriaca ad die XX. Julij.

Thomas de Haslpach (aliquando ſcribitur Thomas Ebendorff, vel Ebendorffer de Haslpach, aliquando & forſitan erroneè Haſelpach ab Ebendorff ùt nos paginâ 457. fecimus) Theologiæ Doctor & Profeſſor hiſtor. M.S. Auſtriæ appellat Albertum: *Principem potentem, prudentem, ingenioſum, morum honeſtate conſpicuum, Cleri patrem, juſtitiæ indefeſſum zelatorem, literis præ fratribus excultum.* Joannes Adelzreiter Annalium Boicæ Gentis Scriptor Albertum ejuſque fratrem Ottonem nominat: *Principes ad ſumma omnia natos non magìs ſanguinis nexu quàm animorum virtutíſque ad maxima quæque connitentis conſenſione.*

Manuſcriptum Germanico idiomate Chronicon Auſtriæ anonymi, quod in Bibliotheca Viennenſis Domûs Profeſſæ aſſervatur, diverſum tamen ab eo, quod circa Divum Leopoldum citamus, cur à nonnullis Dux, non Marchio appellatus ſit, hæc refert, quod fuerit triginta annis manuum & pedum uſu deſtitutus; ne tamen deeſſet urgentibus negotijs, deportari voluit per varias mundi provincias, magnanimus & invictus. Infirmitatem ſuam veneno hauſtam ſemper ita patienter pertulit Deo devotus: ut nunquam à Deo precibus expetierit à morbo ſuo liberari, vultu & manu in omnes liberalis. In hæc ferme verba citatum Chronicon.

Reliquit Albertus hæredes virtutum ditionûmque ſuarum quatuor filios, quorum *Nomina* & *Agnomina* hæc ſunt:

Proles utriuſque ſexûs.

Rudolphus IV. *Magnanimus* (juxta Lambecium V.)
Albertus III. *Pater Patriæ.*
Leopoldus III. (aliis II.) *Probus.*
Fridericus IV. *Splendidus.*

Filias etiam duas: *Catharinam* & *Margaritam*, quarum hæc, primô maritô vitâ functô, Joanni *Marchioni* Moraviæ nupſit, & ad fundationem Cœnobij S. Thomæ Apoſtoli Brunæ concurrit, ut jure

jure Confundatrix nominanda censeatur; illa cælibatum amplexa Monialibus Divæ Claræ Viennæ Antistita diu præfuit. In hoc Alberto, ùt paginâ 136. diximus, admiranda sanè ac singularis apparuit Dei providentia & amor præcipuus conservandæ & propagandæ Domûs Habspurgo-Austriacæ. Cùm enim penè ad sobolis excitandæ impotentiam devenisset homo infirmus, aridus, & instar cadaveris, Austriacam suam stirpem per extinctionem suorum fratrum eorundémque prolium intereuntem, denuò quasi resuscitavit, & per Leopoldum atque Albertum filios usque ad quartam generationem pervenit: tum iterum ad unum Maximilianum Majoratus quasi devolutus est. Cùm igitur quàm plurimis capitibus coronatis à morte sua Albertus Sapiens ad hanc usque diem ornatus & cinctus fuerit, æquum judicamus, ut & ille digno se Virtutum serto Elogióque coronetur, quod ex viridario Eruditionis Joannis Ludovici Schönleben post notas & additamenta occasione Carthusiæ Gammingensis daturi sumus.

Propagatio familiæ.

Notæ & Additamenta ad Caput XXIX.

SI quis initia Monasteriorum Carthusiani Ordinis diligentiùs scrutatur, reperiet plurima eorum Asceteria insigni præsagio atque ostento fuisse condita. Legantur Ordinis Historiographi ex quibus nonnulla congessit in magnum Theatrum vitæ humanæ Laurentius Beyerlinck literâ R. titulo *Religio, Religiosus.* Firmari hæc ipsa exemplis Patriæ meæ Bohemiæ possunt imprimis occasione Carthusiæ Litomisslensis, quæ postea in Moraviam ad pagum Dolany translata est, pòstea Olomucium, ut paginâ 377. insinuatum. Præterea exemplo Carthusiæ Waldecensis, vel potiùs ex communi voce hodie Waldicensis prope civitatem Giczinensem, quæ omnino specialibus à Deo signis præmonstrata est.

Ad cujus confirmationem paucula ista adjicio; à me anno 1670. dum Decani munus Giczinij obirem diligenter inquisita, & explorata: præcipuè, cùm ea de re disserentem ipsâ anniversariâ die S. Brunonis Ordinis Fundatoris audiêrim veterem Alberti Ducis Fridlandiæ œconomum Wenceslaum Halanek, qui fuit Civitatis Giczinensis sub memorato Duce Primas & præfectus pensioni nummariæ, quæ operarijs civitatem ædificantibus pendebatur, ac denique totius illius dominij annis viginti Capitaneus constitutus vitamq; ad annos plures quàm octouaginta prorogavit. Retulit ille in publico mensæ multarum Illustrium personarum consessu: eo ferè tempore quo Albertus Waldsteinius Dux Fridlandiæ

Præsagia & ostenta in fundanda Carthusia Waldicensi in Regno Bohemiæ.

de fundanda Carthusia Waldicensi cogitare cœpit, noctibus quandoque locum ingenti lumine illustratum; & librum ab aratoribus aureum eodem in loco è terra ferro erutum, qui tamen aratro impositus mox disparuerit, & oculis solicitè toto agro quæsitus nuspiam inventus sit.

Neque silentio prætereundum illud, quod cuipiam ex oppido Železnič Parochiano meo *Georgio Pelunka* (uti ab ipso sacris pro agone præmunito anno 1674. accepi) evenit. Eo ipso loco, quo Waldicensem Carthusiam stare conspicimus, finitâ messe per enata gramina errantes equos pascebat; obdormiscens ædificium amplum, & elegans in somno vidit. Alio tempore vigil omnino, & cum socijs alio in loco pecora pascentibus colloquens: albatos homines ordine procedentes conspicit, invitátque ad spectaculum, & ad audiendos concentus, & sonitus clangentium campanarum. Neque caret insigni præsagio atque ostento Carthusia Gammingensis. Nam ut perpetuâ Majorum traditione Carthusiani acceperunt, cùm ex opposito loci, quo posita est, *rure nimirum* edito ac patente eam statuere Fundatori esset animus, incolarum lumina sese in cœlum attollentia ac rursus demittentia à se per intempestas noctes conspici eidem narrantium asseveratione motus, hoc, ubi consistit depresso, uvido ac sabuloso loco eam condidit, Divinæ sic, ut piè rebatur, voluntati obsecutus.

Vide paginam 372. Item 359. Item 385.

Fatemur hæc meliùs Libri hujus Capiti II. inseri potuisse, vel cum alijs in Notis post idem caput collocari, sed cùm tardiùs nobis relata sint hoc loco necessariò ponere debuimus. Typographum etiam hìc excusatum volumus qui loco: *ad annum 1358.* posuit *ab anno 1358.* Paginâ 359. in morte Friderici Pulchri post ejusdem lemmata, loco: *Sat adhuc* legendum insinuamus: *Stat adhuc.* Item de morte Maximiliani I. Cæsaris loco: *examinati corporis* legendum censemus *exanimati corporis.* In origine Carthusiæ Waldicensis paginâ 377. legendum judicamus: *titulis augeretur*, & loco profectoris *protectoris.* Demum in nonnullis exemplaribus paginâ 343. loco *quis non est alius* legi debet: *qui non est alius.*

CAPUT XXX.

Elogium Alberti II. Ducis Austriæ.

Joannes Ludovicus Schönleben in Alberto II.

ALbertus Austriacus
Alberti I. Cæsaris filius,
Contractus dictus.

Nun-

Nunquam ulli tam diversum nomen à moribus.
Explicatissimas quippe manus habuit in egenos,
Quaquà gestabatur,
Opes profundebat in inopes;
ubi ubi sedit
Summis, imis, notis, ignotis Jus dixit.
Usque adeò viro forti omnis terra patria,
Liberali omnis locus templum,
Justo omnis sella tribunal.
Hinc melius nomen
Liberalis & Justi.
Die Annuntiationis Virgineæ veneno inobsoniis propinato
Pedum usum perdidit; mentis auxit.
Nam solos ferè Philomusos habere cœpit in pretio,
Ipse Amusis etiam pretiosus.
Cum illis familiares sermones miscuit, ordinatâ mixturâ.
Hinc melius nomen.
Sapientis.
Obstrictus hoc nomine *matris Sapientiæ:*
Sex lustra cum doloribus luctatus,
licèt sedere cogeretur assiduè,
Supra omne tamen, quod dolet, stetit.
Triginta annis nunquam impatientiæ verbum ex ore ejus auditum. *Thomas Ebendorff in M.S. hist.*
Hinc melius nomen
Fortis.
Sex Fratrum postremus superavit omnes
Ingenio, Prudentiâ, Doctrinâ, Pietate;
Et nisi omni gaudio suus se dolor maritaret,
Omni Fortunæ suum accederet infortunium,
Etiam felicitate
Per eum arescens in Fratribus nobile germen eviruit:
Hinc melius nomen
Felicis.
Ab hoc Primum,
Obstupesce posteritas sellâ gestati Majestatem:
Reges in campum sub signis ducti.
Octoginta millia galearum Coronis insignitarum
Numeroso imposuit militi,
Nimirum ut Helvetos solo nutu compesceret

Regalis exercitus,
Et hinc nomen
Magnifici.
Baſileam terræ motu concuſſam, ut occuparet
Induci non potuit:
Abſit hoc à me (ajebat) *ut addam afflictionem afflictis.*
Hinc melius nomen
Miſericordis.
Mutato veſtitu ad *Marianam* ædem Aquiſgrani
peregrinus latere voluit;
Sed ſoles latere neſciunt, licèt nubes ſibi prætendant.
Semper vehemens lumen tenebris arctatum
gratioſius emicat.
Agnitus à multis, honoratur ab omnibus.
Impetrant honores, qui ſolicitè fugiunt.
Hinc melius nomen
Modeſti.
Salutatæ Aquisgrani *Mariæ* aureum calicem
aris impoſuit.
Quid non aureum eſt in pietate Auſtriaca?
Hinc omnes tituli.
Nam plurimus auro venit honos
Nullum tamen Albertus admiſit libentiùs, quam
Mariani.

Concluſio Authoris.

LEgiſti Lector pulcherrimas quaſque in hoc Opere virtutum adumbratas imagines. Fruere his & imitare. Ut enim vitiorum æterna turpitudo, & pœna certa eſt, adeóque horrore Chriſtiano devitanda, ſic virtutis decus meritúmque perpetuum. Sed quia lectio lecta placet etiam ſubinde decies repetita, quamvìs indicem capitum ad initium Operis propoſuerim & Opus ipſum prolixè conſcriptum ſubjecerim; nihilominus ſciens: nihil magìs à Lipſio brevitate amari. Orationi verò brevi ex mente Poëtæ apud Stobeum ſerm. 35. multum ineſſe Sapientiæ, Indicem Chronologicum adhuc compendio exhibeo: ut Lector benevolus ſparſam latiùs Habſpurgo-Auſtriacam Pietatem in brevi hac velut tabella oculis ſubjectam contempletur, ac imitetur: ſic tam ſcribentis, quàm legentis labor digno fine coronabitur.

Pro-

Protestatio Authoris.

CUm Sanctissimus D. N. URBANUS Papa VIII. die XIII. Martij, Anno M. DC. XXV. in sacra congregatione Decretum ediderit, idémque confirmârit die V. Julij, Anno M. DC. XXXIV. quo *prohibuit imprimi libros, hominum, qui sanctitate seu Martyrij famâ celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata*; Idem autem Sanctissimus die V. Junij Anno M. DC. XXXI. ita explicuerit, ut nimirum *non admittantur Elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt supra personam, bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem cum Protestatione in Principio vel fine, quòd ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penès Authorem.* Huic decreto, ejúsque confirmationi, & declarationi, observantiâ ac reverentiâ quâ par est insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc Opere refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem Divinâ, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur; jis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

Wenceslaus Adalbertus
Czerwenka.



INDEX CHRONOLOGICUS

RUdolphus Comes ab Habſpurg Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ Fundator & Author anno 1218. ipſis Calendis Maij naſcitur. Pater ei Albertus cognomento Sapiens ſecutus militiam in Terra Sancta decedit. Mater Hedvigis Hermanni ſenioris Comitis Kyburgenſis filia decedente marito inſtitutum S. Dominici amplectitur.

Anno 1236. Rudolphus probè in Pietate & literis inſtructus rudimenta militiæ ſub Friderico II. Cæſare ponit, fitque comes bellorum quæ in Italia gerebantur, ſed mavult in Terra Sancta exemplo Parentis mori invitante ad bellum Innocentio IV. Pontifice.

Anno 1240. Cum Anna Hohenbergica matrimonium init & ſequentium annorum decurſu Aulam & militiam ſimul Cæſaris ſequitur. Friderico autem mortuo ab Ottogaro Rege Bohemiæ pro militia evocatus plurimum ad victorias victorioſiſſimi Regis confert.

Anno 1257. Confirmat quaſdam donationes factas Eccleſiæ Beronenſi à Nobilibus de Waldegg ſuis feudatarijs.

Anno 1264. Ex adoratione & cultu SS. Evchariſtiæ Familiæ Habſpurgicæ Virgo Deo ſacrata Imperij dignitatem prædicit, quo ipſo tempore ab Urbano IV. Pontifice Feſtum Corporis Chriſti inſtituitur.

Anno 1268. Rudolphi cultus Marianus & benignitas in hoſtem deprædicatur.

Anno 1270. Scapulare Confraternitatis Matris Doloroſæ cum conjuge Anna à Philippo Benitio Ordinis Servorum B. V. Generali ſuſcipit.

Anno 1271. Dum bella pro ſe feliciter gerit & Imperium in ſuo interregno turbatur, felici Electione Auſtriacorum Progenitor anno 1273. ſubſtituitur, tribus potiſſimùm ad Rhenum Archi-Epiſcopis perurgentibus. Henrici Trevirenſis magnificum fuiſſe comitatum ad comitia proficiſcentis memorat æqualis Scriptor. Electioni, inquit, Rudolphi apud Francofurtum cum cæteris Principibus interfuit armipotens, & glorioſus præ cæteris cum mille octingentis armatis tam militibus, quàm armigeris & vaſallis. Electionem Rudolphi ea anteceſſerunt, ex quibus poſtea Scriptores deduxerunt, divinâ Providentiâ, non hominum voluntate ad Imperium electum. Annus Electionis nobilitatur obſervantiâ in Romanum Pontificem, amore & æſtimatione Literarum, & amore in Ordinem Ciſtercienſem. Æſtimationem viciſſim faciunt Cæſari data diverſa Elogia.

Anno 1274. Coronatio Cæſaris & Imperatricis Aquiſgrani peragitur, in qua Cæſar Crucis ſigno pro Sceptro uſus eſt, & coronatione peractâ ad moderanda regni jura profectus prædonum licentiam comprimit. Legatione Gregorius X. Papa à Rudolpho honoratur, Colonia Agrippina præſentiâ Cæſaris, Baſilea Pietate filiarum ejuſdem, Ordo S. Auguſtini favore lætantur.

Anno 1275. Per Lauſanenſe colloquium cum Pontifice accenditur ad bellum ſacrum Cæſar hortatore Philippo Benitio ſuo Confeſſario & Eccleſiaſte.

Anno 1276. Mortuo Gregorio X. Papa & alijs tribus ſucceſſivè in Sede S. Petri collocatis ſingularem curam Eccleſiæ gerit Cæſar, ſicut Eccleſiæ Colonienſis & Epiſcopatûs Paſſavienſis.

Anno 1277. Inſequenti grandi prælio vincit Regem Bohemiæ & victoriam literis ſignificat Nicolao Pontifici. Ex innata ſibi Clementia pupillo occiſi Regis favet & filiam Juditham pro matrimonio deſpondet.

Anno

Anno 1679. In Conventu Electorum Viennæ omnia privilegia Sedi Apostolicæ olim ab antecessoribus data confirmat, beneficus simul in Regem Bohemiæ, in Ludovicum Bojum & Monasterium Cremisanense.

Anno 1280. Datur initium fundationi Tullnensi.

Anno 1281. Novis literis stabilitur & augetur fundatio. Moritur Anna Imperatrix & Albertus Magnus Dominicanus Rudolphi olim Confessarius.

Anno 1282. Magna ingensque fortuna Rudolphum non extollit. Augustæ in Comitijs Rudolphus creat Albertum filium suum Ducem Austriæ,& alterum filium Rudolphum Ducem Sueviæ.

Anno 1283. Ecclesiastica jura severo decreto tuetur, & Ordini Cisterciensi se favorabilem exhibet.

Anno 1284. Iterum beneficum se erga Regem Bohemiæ ostendit & ad secundas transit nuptias.

Anno 1285. Moritur Philippus Benitius Confessarius Rudolphi Cæsaris & Ecclesiastes. Favores Cæsaris in Viros Deo Sacratos, & Anno 1286. Gratitudo in suum Confessarium.

Anno 1287. Ejusdem specimen illustre prudentiæ & amor eximius justitiæ administrandæ. Insequenti amor in Archi-Episcopum Trevirensem laudatur.

Anno 1289. Ob insignia merita erga Sedem Apostolicam Cæsaris ejus filio Alberto prærogativa quædam à Pontifice conceditur. Generositas eodem anno & fortitudo, tum abstinentiæ in cibo exemplum Cæsaris.

Anno 1290. Beneficijs augetur Bohemiæ Rex à Cæsare.

Anno 1291. Dum pro conservatione Terræ Sanctæ Cæsar studet, piè moritur. Vir multis virtutibus clarus. Præest Austriæ Albertus filius & Parenti solenniter Viennæ justa persolvit, sed in petenda Cæsarea dignitate ab Electoribus repulsam patitur.

Anno 1292. Clementem subditis refractarijs se exhibet.

Annis subsequentibus agitur de exauthoratione Adolphi Cæsaris & substitutione in ejus locum Alberti Austriaci.

Anno 1296. Venenum propinatur Alberto.

Anno 1297. Coronatur Regina Bohemiæ Juditha soror Alberti, & moritur.

Anno 1298. Albertus prælio vincit Cæsarem & eligitur Rex Romanorum. Favorabilem se exhibet Archi-Episcopo Trevirensi, in Episcopum Passaviensem & anno 1299. in Religionem S. Augustini.

Anno 1300. Quo cœpit Imperium Turcicum sub Othomanno I. inter Rudolphum filium Alberti I. Cæsaris & Blancam filiam Philippi Regis Franciæ nuptiæ celebrantur.

Anno 1301. Albertus Cæsar in bello pium & liberalem erga Dei Genitricem se ostendit.

Anno 1302. Fundat Cœnobium Regij fontis Ordinis Cisterciensis. Viennæ consecrationem Ecclesiæ Religiosis S. Dominici procurat.

Anno 1303. Pontifex ratam habet Electionem Alberti. Mors Mechtildis filiæ Rudolphi I. Cæsaris, per quam Domus Palatino-Bojca propagata est. Mortuo Pontifice Bonifacio VIII. donatur eâ prærogativâ anno 1304. Cæsar, ut divina in locis interdicto Ecclesiastico subjectis peragenda coram se curarent.

Anno 1305. Moritur Wenceslaus Bohemiæ Rex affinis Cæsaris, cui Spiræ in Cathedrali solenniter sacrum operari jussit, adfuitque ipse cum pluribus Episcopis & Abbatibus.

Anno 1306. Spiræ nova beneficia fundat Cæsar reservato sibi & successoribus Jure Patrona-

tronatûs. Occiso Rege Bohemiæ Wenceslao Olomucij fit Bohemiæ Rex Rudolphus Austriacus filius Alberti Cæsaris, sed anno 1307. moritur.

Anno 1308. Conspiratione nonnullorum Nobilium occiditur Cæsar, magnis ùt Parens virtutibus, nec minor armorum gloriâ. Eodem adhuc anno eligitur in Cæsarem Henricus Lucemburgi Comes & anni sequentis initio Aquisgrani coronatur.

Anno 1310. Filij Alberti Cæsaris hostem imprimis, mox fautorem Cæsarem Henricum experiuntur.

Anno 1311. Cæsar in Italiam proficiscitur ductore Leopoldo Austriaco mille & quadringentorum selectissimorum turmâ stipatus.

Anno 1312 Cæsar affinitatem Principum Austriacorum prensat & sponsalia contrahit cum Catharina sorore Leopoldi Ducis Austriæ.

Anno 1313. In ipso apparatu nuptiarum moritur Cæsar. Datur initium Carthusiæ Maurbacensi per Fridericum Ducem Austriæ.

Anno 1314. In Regem Romanorum eliguntur Fridericus Dux Austriæ & Ludovicus Dux Bavariæ.

Anno 1315. Inter electos bellum oritur & in plures annos protrahitur.

Anno 1316. Fridericus & Leopoldus fratres & Duces Austriæ Basileæ nuptias celebrant. Vacat hoc tempore Sedes Episcopalis Passavij & eligitur in Episcopum Albertus Dux Austriæ. Continuatur bellum inter Imperatores.

Anno 1320. Postulantibus & perurgentibus Austriacis Principibus consecratur Ecclesia Königsfeldensis.

Anno 1322. Fridericus Pulcher in prælio cum Henrico fratre capitur & carcere tenetur. Alij ad annum sequentem referunt. Leopoldus strenuè pro liberandis fratribus è carcere laborat, & Friderici singularis Pietas in carcere deprædicatur.

Anno 1327. moritur Leopoldus Friderici frater, & insequenti Henricus. Eodem anno Fridericus Pulcher vota Divo Augustino persolvit. Fundat Cœnobium Eremitis S. Augustini Viennæ, mox pro solatio miserorum hospitale. Anniversaria per ultimam voluntatem multiplicia procurat. Otto Friderici frater fundat Cœnobium pro Canonissis S. Augustini Viennæ & Neomonti in Styria pro Cisterciensibus.

Anno 1328. & 29. Pietati vacat Fridericus & anno 1330. in arce Guttenstein moritur. Anno præterea 1330. Initium datur Carthusiæ Gammingensi.

Annis subsequentibus tribus fundationes Friderici suásque promovent Albertus & Otto Duces Austriæ.

Anno 1334. Anna filia Friderici Pulchri institutum S. Claræ Viennæ amplectitur. NB. Occasione hujus Annæ recensentur nomina aliarum Clarissarum ex Domo Austriaca. Item quæ Tertij Ordinis erant S. Francisci.

Præmemorato anno literis à Pontifice honorantur Austriæ Duces, ut Ludovicum Imperatorem ad obedientiam Sedis Apostolicæ adducant.

Anno 1335. Bella gerere cogitur Otto Austriæ Dux & Cœnobio Viennæ pro Canonissis S. Augustini ultimam manum imponere studet.

Anno 1338. Albertus Sapiens zelum in tuendo honore SS. Evcharistiæ ostendit.

Anno 1339. Moritur Otto Dux Austriæ & Neomonti tumulatur.

Anno 1340. Albertus Sapiens sapienter & piè ditiones suas moderatur.

Anno 1341. Visitat cum uxore Cœnobium Zwethallense. Consecratur Viennæ Capella S. Georgij in æde S. Augustini.

Anno 1342. Nascitur Leopoldus Dux Austriæ cognomine *Probus*.

Anno 1343. Initium datur Chori Ecclesiæ Zwethallensis.

Anno 1344. Occasione Indulgentiarum quas Clemens VI. pro solennitate Corporis

Chri-

Christi dedit, fusè à folio 461. agitur de cultu Evcharistico Principum Austriæ.

Anno 1345. Albertus Sapiens Ecclesiam S. Stephani dilatare pergit.

Anno 1346. Amicitiam cum Carolo IV. Cæsare & Bohemiæ Rege quærit. Provincias suas piè sapienterque regere continuat.

Anno 1349. Consecrationem Ecclesiæ S. Augustini Viennæ studiosè procurat.

Anno 1350. Romam adire meditatur, sed à peste arcetur. Profligat hæresim Flagellantium.

Anno 1351. Moritur Joanna conjux Alberti & Gammingæ præsentibus plurimis Prælatis sepelitur.

Anno 1352. Albertum post diuturnam pacem bellum Tigurinum excipit. Ejus initia latè prosecutus est Gerardus de Rhoo Historiæ Austriacæ Libro. Eo durante præclarum exemplum clementiæ in afflictos Basileenses ab Alberto editum celebratur.

Anno 1357. Albertus Sapiens privatam & piam vitam agit apud Carthusianos Gammingenses.

Anno 1358. Viennæ moritur.

Mors æquo pede pulsat, Pauperum tabernas,
Regúmque turres.

Inseruimus equidem quædam in contextu Operis nostri & in Notis quæ ad continuationem sæculi 1300. &c. pertinent. Sed quia illa ipsa in subsequentibus fusiùs, ubi necesse fuerit, exhibebuntur; quæ autem fusè dicta sunt, digitô, ùt dicere solemus Lectoribus ostendemus, Indici Chronologico cum anno mortis Alberti Ducis judicamus finem omnino imponendum, dandum autem pro coronide indicem rerum juxta ordinem.

Index Rerum Præcipuarum.

Notet Lector in hoc indice Rerum asteriscum adjuncto numero positum designare præfationem & quæ ipsam sequntur usque ad initium Annalium & Actorum Austriacæ Pietatis. Ubi autem NB. additur, insinuatur claritatis gratiâ aliquid emendari.

A

ABbatum numerus in exequijs Annæ Imperatricis Rudolphi I. Cæsaris primæ conjugis. 96
Epistola ad Abbates Cistercij congregatos à Rudolpho I. Cæsare pro orationum suffragijs missa. 35. Vide Ordo Cisterciensis.
Abbates Cœnobij Eremi Deiparæ in Helvetia ante Rudolphum I. erant Sacri Romani Imperij Principes 454. Primus Princeps S. Gregorius Eduardi Anglorum Regis filius, ibidem. Confirmatio tituli per Rudolphum I. Cæsarem & Albertum ejus filium 455. 456. Cœnobij ejus Habspurgo-Austriaci fiunt Advocati & ad Comitia Imperij vocantur. 457
Abbatissæ munus recusat Margarita filia Maximiliani II. Cæsaris 400
Abacus aureus in mensa Regis Bohemiæ Ottogari. 7
Abdicatio Imperij & regnorum Caroli V. Cæsaris & Hispaniarum Regis. 154
Christinæ Gustavi Sueciæ Regis filiæ. 187
Abrahamo Patriarchæ quoad propagationẽ sui stemmatis assimilatur Rudolphus I. 177
Abstinentia in potu Rudolphi I. 67. Ejusdem in cibo 124. Friderici Pulchri Cæsaris. 357. Isabellæ ejus conjugis. 360. Agnetis filiæ Alberti I. Cæsaris. 448.

Eliſabethæ F. Maximil. II. Cæſaris. 434. Margaritæ Clariſſæ. 396. Iſabellæ Belgij Principiſſæ 494
Academia Viennenſis non eſt Fundata à Friderico II. Cæſare, ſed ab Habſpurgo-Auſtriacis. 9
Acaron urbs Paleſtinæ, ad quam occumbit parens Rudolphi I. 2
Adolphus Cæſar pugnat cum Rudolpho I. infeliciter & moritur. 236. Sepelitur Spiræ. 288
Adolphus Comes Montenſis caveæ ferreæ concluditur. 108
Adverſis preſſa Domus Habſpurgo-Auſtriaca in promotione ad Cæſaream dignitatem per Regem Ottogarum Bohemiæ 62. In promotione Alberti I. per Archi-Epiſcopum Moguntinum & Affinem Alberti Regem Bohemiæ Wenceslaum 229. Poſt mortem Henrici VII. Cæſaris nequitiâ Legati Brandeburgici 305. per bella de quibus conſulatur index Capitum & index Chronologicus. In ea eliminanda ſolicitudo Henrici VII. Cæſaris. 289. Proxima interitui defectu prolis 316. 537. Falſi augures ex caſu & captivitate Henrici fratris Friderici Pulchri 298. Creſcit ex adverſis. ibidem. Hoc argumentum in ultima parte accuratiùs tractabimus demonſtrando per enumerationem partium quàm varijs modis oppugnata fuerit Domus Habſpurgo-Auſtriaca; ſed ſingulari providentiâ Divini Numinis hactenus ſervata.
Ædificium magnificum in Eſcuriali liberalitate Philippi II. Auſtriaci & Hiſpaniarum Regis erectum. 488
Dicitur octavū mundi miraculum. Flammis abſumitur, & Reſtauratur munificentiâ Caroli II. Regis Hiſpaniarum. ibidem. Sepultura Caroli V. Imperatoris. 154
Æmulationes de Pomo Imperiali 229. 293. 287. item circa Epiſcopatum Paſſavienſem, ubi prævalet factio pro Alberto Auſtriaco. 315
Affabilitas Rudolphi I. Cæſaris. 109. 139
Affabilis dictus Fridericus Pulcher. 153
Affabilitas Reginæ Galliarum Eliſabethæ viduæ Viennæ. 432
Affinitatibus ſtabilitur Domus Auſtriaca. 66. 165. 262
Affinitates ſingulares Domûs Neoburgicæ. 191
Agape ſignificat Eleemoſynam. 472
Agnes ſecunda conjux Rudolphi I. Cæſaris. 107
Agnes uxor Rudolphi Auſtriaci, filij Rudolphi I. Cæſaris Pragæ moritur. 128
Agnes filia Rudolphi I. Cæſaris propagatrix Domûs Saxonicæ. 129
Agnes filia Alberti I. Cæſaris nubit Friderico de Colonna eoque mortuo Andreæ III. Regi Ungariæ 447. Vide ejus ſingulares virtutes pag. 447. 448. Ejus merita in Eccleſiam Königsfeldenſem 247. 314. 315. Spiræ adeſt ſepulturæ parentis Alberti & Adolphi Cæſaris. Ejus ſancta mors 449. Utrum fuerit Clariſſa. 447
Albæ Regali Caput S. Colomanni Martyris aſſervatum olim 215
Albertus Argentinenſis ſcripſit de Familia Aniciana (*) 29
Albertus Brandeburgicus dictus *Achilles Germanicus* 194
Albertus Dives Anicius Perleonius ob defenſionem Eccleſiæ Romanæ ab hæreticis Arnaldiſtis Româ pulſus, & per matrimonium cum Werneri ultimi ex Familia Altenburgica Comitis Habſpurgenſis filia primus ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia Comes Habſpurgenſis. (*) 28
Albertus Sapiens, Rudolphi Taciturni filius, tertius ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia Comes Habſpurgenſis Rudolphi primi ejuſdem Familiæ Imperatoris Romanorum, parens dictus Sapiens & exul (*) 35. item 2. Pugnat adversùs Chriſtiani nominis hoſtes & in terra Sancta moritur ad Accaronam Urbem Paleſtinæ. ibidē.

Abeun-

Abeuntis è Patria oratio ad filios Pietatem spirans. 3. In terra Sancta pro Martyre habitus. ipidem.

Albertus filius Rudolphi I. Cæsaris contra Ottogarum Regem Bohemiæ pugnat. 69. In prælio crucem præfert. ibidem. Uxorem ducit Elisabetham Tyrolensem. 101. Nominatur Dux Austriæ. 224

Adest Pragæ nuptijs Sororis Judithæ. 115. Liberalitas ejus in Episcopum Ratisbonensem. ibidem.

Ad conservandam Religionem in Pannonia à Pontifice invitatur. 120. Prærogativa ejus specialis à Pontifice Nicolao. 121. Pietas in demortuum parentem & gratitudo. 224. In eum conspiratio Austriacorum. 225. Magnanimitas ejusdem. 226. In seditiosos clementia 227. Privilegium super deductione salis ab eodem pro Monasterio Zwethallensi. ibidem. Repulsam patitur Imperij. 229. Clementia in Styros. 230. Bellum cum Rege Ungariæ. ibidem. Favor in Canonicos Regulares ad S. Nicolaum Passavij. ibidem. Vivo Adolpho offertur ei Imperium. 233. Periculum patitur à veneno Viennæ. ibidem. Defendit Fridericum & Albertũ Bucheimios fratres à suspicione porrecti veneni. ibid. Prælio superat Adolphum Cæsarem & manu propriâ lethaliter vulnerat. 237. Ejus pia vox ad irruentem in se Adolphum. ibidem. Eligitur in Regem Romanorum Francofurti, & Aquisgrani coronatur. ibidē. Confirmat beneficia Adolphi data Archi-Episcopo Trevirensi. 238. Favor in Regem Bohemiæ & Episcopum Passaviensem. 239. Novus in Regem Bohemiæ Favor. 241. Felicitas in Bello & devotio liberalis in Deiparam. 243. Fundatio Cœnobij Regij-Fontis pro Ordine Cisterciensi. 245. Consecratio Ecclesiæ PP. Dominicanorum Viennæ procurata. 247. Pontificis de Alberto in Regem approbato literæ, quæ multas laudes Alberti continent. 251. & seq. Zelus Cæsaris in tuenda Christianitate. 258. Wenceslai Regis Bohemiæ affinis sui in Sacris memoria & confirmatio Privilegiorum Regno Bohemiæ concessorum. 260. Duo beneficia fundat Spiræ. 266. Bellum in Bohemia Alberti. 268. Mortis periculum & in ordinem Cisterciensem postremus favor. ibidem. Mors Cæsaris. 270. Sepultura prima. 272. Virtutes. ibidem. Elogium Cæsaris Alberti. 278. Symbolum. 153. Sepultura nova Spiræ per Henricum VII. Cæsarem. 288

Alberti II. Cæsaris tituli cum Symbolo. 153. Ducit uxorem Elisabetham filiam Sigismundi Cæsaris. 422. Fit Marchio Moraviæ & Carthusiam Brunensem fovet. 375. Ejus proles. 423

Albertus II. Dux Austriæ filius Alberti I. Cæsaris Canonicus Passaviensis in Episcopum eligitur. 315. Ejus tituli. ibidem. Controversiæ quædam circa ipsum solvuntur. 316. Uxorem ducit Joannam Comitissam Phyrretensem. ibid. Concurrit ad fundationem Königsfeldensem. 274. Favet Ordini S. Augustini in fundatione Viennensi. 325. Et Carthusianis in fundatione Maurbacensi. 338. 341. Testamentum fratris Friderici subscribit, & ad ipsius executionem se obligat. 352. Post mortem Friderici cum Ottone fratre Austriæ præest. 366. Ejus laus. 367. Solicitudo circa Carthusiam Maurbacensem. ibidem. Procurat à Carolo IV. Cæsare confirmationem privilegiorum Carthusianis Maurbacensibus, & cum ijs frequens in colloquio Spirituali. ibidem. Fundat Cœnobium Gammingense. 370. Singularis in hac fundatione amor elucet in Deiparam. 371. Dissimulato habitu Aquisgranum adit & votum B. V. persolvit. ibidem. Coloniæ tres SS. Reges honorat, & Sacras Reliquias in Austriam adfert. ibidem. Carthusiæ Vallis Jocosæ privilegia confirmat. 375. Piè & sapienter Provincijs præest.

præest. 457. Laus ejus ab Historicis. ibidem. Ecclesiæ Parochialis Omnium Sanctorum Viennæ consecrationem procurat, eandémque ampliare studet sub titulo S. Stephani Proto-Martyris. ibidem. Monasterium Zwethalense adit & laudat. 459. Nascitur ei filius Leopoldus. ibidem. Procurat consecrationem Sacelli S. Georgij Viennæ. ibidem. Item consecrationem Ecclesiæ S. Augustini. 528. Romam anno Jubilæi proficisci meditatur. 530. Flagellantes ex Austria depellit. 531. Fit viduus & conjugem sepelit Gammingæ præsentibus multis Prælatis. 531. Cum Tigurinis bellum gerit. 532. Rapersvillam restaurat. 533. Memorabile ejus factum circa Basileam ex terræ motu concussam. ibidem. Devotio erga S. Dorotheam Virginem & Martyrem. 534. Privatam vitam, factâ cum hostibus pace, amplectitur & moritur. ibidem. Sepelitur Gammingæ, ubi vestimentum ejus & conjugis pro usu in rebus Sacris in memoriam servatur. 535. Symbolum & Elogium. 539. Proles & per duos filios stemmatis usque in hodiernam diem propagatio. 536

Albertus III. Dux Austriæ filius Alberti II. Pater Patriæ, item cum Trica appellatus. 161.

Albertus IV. Dux Austriæ favet Carthusiæ Maurbacensi. 367. Pietati deditissimus nocturno tempore cum Carthusianis cantat. 386

Albertus IV. Friderici Cæsaris frater Romæ adest & pedes Pontifici osculatur. 484. Idē facit Albertus VII. Archi-Dux Ferrariæ Clementi VIII. ibidem. Honorat cum conjuge Isabella Sacro-sanctam miraculosam Hostiam Bruxellis. 478. Sepeliri desiderat in Sacello V. Sacramenti, ùt vocant miraculosi. ibidem. Donum ejus & conjugis pretiosum in eodem Sacello. ibidem. Mausolæum Luxemburgi Joanni Regi Bohemiæ ab utroque erigitur. 496. NB. Quoties deinceps occurrerit nominari Isabellam, cogitet Lector esse Isabellam Claram Eugeniam conjugem Alberti Archi-Ducis Austriæ filij Maximiliani II. Cæsaris, qui erant Belgarum Principes. Si Isabella & Albertus nominati fuerint, persuadeat sibi ambos esse de quibus res commemoratur.

Albertus Magnus Dominicanus. Vide Ordo S. Dominici.

Albertus Elector Saxoniæ maritus Agnetis filiæ Rudolphi I. Cæsaris, per quem originantur Duces Saxoniæ. 192. Schönleben Albertum scribit obijsse anno 1312. alij oppressum à turba scribunt in coronatione Alberti I. NB. Agnes obijt an. 1327. sepulta Witembergæ apud Fratres Minores.

Albertus Dux Saxoniæ affinis Alberti I. Cæsaris favore Capituli & Alberti Ducis Austriæ cognomine Sapientis eligitur in Episcopum Passaviensem. 315. Consecrat Ecclesiam Parochialem Omnium Sanctorum Viennæ, hodie S. Stephani. 458

Albertus Comes de Hardegg. 88. NB. Hujus Familiæ, quæ semper titulo Comitis honoratur, sæpius invenitur in gestis Rudolphi I. mentio.

Albertus Hulsius à Rudolpho I. ob virtutem militarem præmiatur. 74

Alexander Neoburgicus Episcopus Augustanus. 191

Alexander Poloniæ Rex adest funeri Matris Elisabethæ Austriacæ. 423

Alphonsus Castellæ & Legionis Rex Imperator pronuntiatur. 31. 418.

Amoris inter Fridericum Pulchrū & Leopoldum fratres exemplū memorabile. 319. 320.

Amoris Exemplum Rudolphi I. in Regem Ottogarum vel in ipso prælio, anno 1278. pag. 67. in militem, qui equum Rudolphi in prælio confodit. 68. Vide etiam dictum Rudolphi de hoste Ottogaro ante prælium. 74

Andreas Cardinalis Austriacus. 159

Angliæ Regum origo ex Austriacis. 179. Devotio erga S. Angelum Custodem Margaritæ Austriacæ. 448. Elisabethæ filiæ Maximiliani II. Cæsaris. 432

Anhaltinorum Principum origo ex Austriacis. 196

Annæ

Annæ Imperatricis obitus & exequiæ solennes Basileæ 96. Eam Ecclesiam bonis auget & Cœnobium Albæ Augiæ cum marito Cæsare locupletat. ibidem. Pro ea & pro se Rudolphus suffragia orationum ab Ordine Cistercienſi petit 36. Ambo eum Ordinem fovent. 323. Pietas Eycharistica Annæ Reginæ Franciæ matris Ludovici XIV. 493

Annæ Reginæ Poloniæ. 492

Annæ Imperatricis in divam Virginem Vetero-Boleslaviæ, quæ cùm præ cæteris in ædificium novum contulisse videbatur, Fundatrix appellata est cum marito. 163

Anicia Familia. 22. & seq.

Archi-Ducis titulum quis primus ex Austriacis possedit. 161

Anniversaria Friderici Pulchri 354. & seq. Rudolphi I. 225. Maximiliani Magistri Ordinis Teutonicorum. 385. Rudolphi Mitis Pragæ in Ecclesia S. Viti 267.

Animarum Zelus. Vide Zelus animarum. Anni initium quale Isabellæ Belgij Principis. 445. Leopoldi Wilhelmi Archi-Ducis occasione armorum 487. Elisabethæ Maximiliani II. Cæsaris filiæ respectu pauperum. 432

Annuntiatio B. M. V. piè ab Isabella Belgarum Principe celebrata. 431. Tullnæ Rudolphus I. in honorem B. M. V. templum erigit simul etiam in honorem S. Crucis. 250

Annulus ex auro quod Magi Christo obtulerunt fabrefactus. 298. Ejus admiranda virtus, & quid memorabile contigit cum ipso ante prælium Friderici Pulchri Austriaci & Ludovici Bavari. ibidem.

Anni principium Leopoldi Archi-Ducis ex Pietate Eycharistica. 487. Isabellæ Gubernatricis ex cultu Passionis. 445

Apostolica vita Agnetis Austriacæ. 448

Apostolicos viros singulariter amat Isabella Belgarum Gubernatrix. 432. pro formandis viris Apostolicis Seminaria varijs locis erigit. 432. Idem facit Viennæ Elisabetha filia Maximiliani II. Cæsaris. 435. Vide Catecheſis.

Aquisgranensia.

Aquisgrani coronatio Rudolphi I. & Annæ conjugis. 38. Ibidem tempore coronationis Crux apparet. Pietas Cæsaris & Procerum erga Sanctam Crucem. 39. Vide Rudolphus I. Cæsar & titulum Crux. Ibidem coronatio Alberti I. Cæsaris 237. Peregrinatio Alberti II. Sapientis & oblatio aurei calicis B. M. V. 372

Argentoratensia.

Pro Argentoratensibus ante Imperium feliciter pugnat Rudolphus Habspurgicus. 8. Civem Argentinensem Librum de bellis sibi offerentem aureâ catenâ honorat. 32.

Argentina Sedes Episcopalis dicitur, *Nobilissima*. 99. Duo Argentinenses ex Archi-Ducibus Austriæ Episcopi ambo nomine Leopoldi. ibidem. Moritur Argentorati Leopoldus dictus: Gloria Equitum. 321

Augustæ Vindelicorum celebris Processio Theophorica. 462. Ferdinandi IV. & Josephi Archi-Ducum Austriæ Electio in Reges Romanorum. 155. Sigismundus Archi-Dux ibidem Episcopus. 159. Item Alexander Dux Neoburgicus. 191

S. Augustini Ordo.

Laus Ordinis 324. Amor Rudolphi I. Cæsaris in hunc ordinem & fundatio ab ipso facta pro Eremitis S. Augustini. ibidem. Fridericus Pulcher ex voto Viennæ Monasterium ædificat. 325. Literæ fundationis cum consensu fratrum Alberti & Ottonis. ibidem. Error quorundam circa hunc locum fuisse in eo Monasterium Carthusianorum. 326. Attestatio Prioris circa Fundationem Friderici. ibidē. Consecratio Ecclesiæ S. Augustini Vien. 528. & Sacelli annexi S. Georgij. 459. Circa hoc Sacellum an sit fundatum ab equitibus S. Georgij quæritur. 460. Quo

anno Cœnobium cum Ecclesia ad RR. PP. Calceatos translatum sit. 327. Eorum diligentia in rebus conscribendis, quæ in eorum Ecclesia per Habspurgo-Austriacos geruntur, memoratur. 530. Fundatio Cœnobij S. Thomæ Apostoli Brunæ. 533. Confundatrix Margarita Austriaca & favor in Cœnobium Maximiliani II. Cæsaris. ibidem. Nepos Rudolphi Cæsaris Joannes habitum Eremitarum S. Augustini induit Pisis in Italia & piè in Cœnobio moritur. 277. Otto Dux Austriæ fundat domicilium pro Canonissis Viennæ ad S. Laurentium. 348. Ejusdem prima sepultura Viennæ apud Augustinianos Eremitas. 453

Agnes filia Cæsaris Alberti I. liberalis in Cœnobium Viennense dictum *Porta Cœli* olim Candidissimi Ordinis Præmonstratensis. 348. NB. Hoc Cœnobium hodie favore Domûs Habspurgo-Austriacæ tenent Canonissæ S. Augustini. S. Dorotheæ Virginis & Martyris Viennæ Sacellum ab Austriacis ædificatum. 534. hodie Collegium Canonicorum Regularium S. Augustini. ibidem. Claustro-Neoburgum à S. Leopoldo Marchione Austriæ fueritnè primitus fundatum pro Canonicis S. Augustini. 217. Favor Rudolphi I. in Reitenbachenses Augustinianos. 44. 46. 240. In Rorenses 94. In Præpositum Passavij ad S. Nicolaum. 230

Auri copia in altari & mensa Regis Ottogari. 72. Ex auro Christo à sanctis tribus Regibus annulus oblatus. 298

Austria & ejus Dynastæ præsertim Habspurgo-Austriaci.

Austriæ brevis descriptio. 212. *Cor* & *Clypeus* Romani Imperij. 213. *Habitatores* & incolæ primi. ibid. Ejus Præfecti. 214. Marchiones. 215. *Duces.* 218. Ultimus Dux Fridericus ex Familia Babenbergica. 222. & 223. *Tumultus* post ejus mortem ratione successionis. ibid. Prævalet Rex Ottogarus, qui sororem Friderici Margaritam conjugem habuit. 6. Hanc postmodum repudiavit. 223. Insigne Austriæ tres alaudæ aurei coloris. 215. Mutatur tempore Leopoldi II. Ducis cognomine Virtuosi. 220. Bellum in Austria Rudolphi I. Cæsaris & Ottogari Bohemiæ Regis. 60. Vide Ottogarus. Austria jure belli venit ad Familiam Habspurgicam. 224. Habspurgi Comites mutant nomen & appellantur Duces Austriæ. (*) 47. sub Carolo IV. Cæsare & Bohemiæ Rege Archi-Duces. 161. Justi Lipsij elegans testimonium de Familia Habspurgo-Austriaca I. Austriaca Pietas & de Evcharistia testimonium Nicolai Vernulei. 462. vide ante 9. sub finem. Ex cultu SS. Evcharistiæ prædicitur Imperium Rudolpho Habspurgico & ejus posteris II. Describitur actus Pietatis Evcharisticæ eleganti stylo à Justo Lipsio & à Gualtero Paulo. 10. 11. Vide plura subsequentibus paginis quibus *Magnitudo*, *Pietas*, *Fortitudo*, *Gloria*, *Securitas & Victoria Austriaca*, à cultu Evcharistico proveniens celebratur. Liberalitas Rudolphi in Sacerdotem SS. Evcharistiam ad ægrum deferentem. 12. Quis primus & unde historiam hanc de Rudolpho publicavit. 13. Observatione dignum quid postea Sacerdoti memorato evenerit. 31. Quid actum in Ecclesia universa pro cultu augendo SS. Evcharistiæ. 10. Quid Coloniæ Agrippinæ. ibidem. Exempla & media posterorum Rudolphi I. Cæsaris, per quæ declaratur eorumdem cultus Evcharisticus singularis à pagina 461. usque 494. De hoc argumento plura reperiet Lector in Vita Margaritæ Austriacæ & ejus sororis Elisabethæ, Cunegundis, Agnetis, Isabellæ, Claræ, Eugeniæ Belgarum Principis. Zelus tuendæ Evcharistiæ. 453. Vide Festum Corporis Christi. Per cultum Evcharisticum in adversis Habspurgo-Austriaci crescunt & servantur. 298

Austriacæ Familiæ Genealogia à Cæsare Rudolpho.

Ex hac Familia Romanorum Reges & Cæsares. 153. 155. Reges diversarum gentium. 156. Nomina Cardinalium, Archi-Episcoporum & Episcoporum. 159.

Ibidem

Ibidem Magistri Teutonici Ordinis. Agnomina Ducum & Archi-Ducum 161. 162. Imperatrices & Reginæ. 162. Potentia & dominia Austriacorum. 167. Causa tantæ potentiæ. 123. Nullus unquam ex illis hæreticus (*) 20. In matrimonijs felices (*) 42. Sunt maximè observantes Sedis Apostolicæ. Vide Rudolphus & Romani Pontifices. Item 484. Item Ecclesia. Sunt fundatores Sacrorum locorum. Vide Ordo S. Augustini. S. Benedicti. Carmelitarum, Carthusianorum, Cistercensium, S. Dominici, Servorum B. M. V. S. Francisci. Item quæ de Comitibus Habspurgicis 82. & seq. afferuntur. Origo præcipuorum Regum & Principum ex hac Familia. 177. usque 211. Lineâ rectâ per fœminas descendunt à S. Leopoldo Marchione Austriæ. Vide Reges Bohemiæ 81. 82. Imperio Germanico præsunt sinè interruptione ab anno 1438. Vide Cæsarum Austriacorum seriem & numerum. 153. Eorundẽ tituli, symbola, sepultura. ibid.

B.

Badensium & Durlachensium Marchionum origo ex Austriacis. 193. Laudantur ab Ænea Sylvio seu Pio II. Papa. 109. Hermannus Badensis prætendit successionem post mortem Friderici ultimi Ducis stirpis Babenbergicæ. 223.

Bacchanalium dies piè transiguntur. 433. Barbara filia Ferdinandi I. Sponsa Alphonsi II. Ducis Ferrariæ 166.

Basileensia.

Basileæ sepulturæ Annæ Imperatricis & filij Hartmanni. 96. solemnes ibidem eorum exequiæ. Dicitur *amœnissima*. 98. Bellum gerit cum Rudolpho. 32. 98. Statuam Cæsari erigit. 99. Dictum Civium dum à Rudolpho obsiderentur & nuntium de electione in Imperatorem acciperent. 32. Nuptiæ Friderici Pulchri & Leopoldi fratris. 313. Quæ ibi tempore nuptiarum spectantia ad Romanorum Regem ostensa. ibidem.

Bavariæ Ducum origo ex Austriacis. 187. Propagatrix Familiæ Mechtildis filia Rudolphi I. Cæsaris. 259. NB. In origine Bavariæ 188. & in Genealogia Archi-Ducum Austriæ inveniet Lector, quas Austriaci in conjuges ex Domo Bavarica & è contra assumpserunt. Vide quæ de Palatinis Rheni 189. afferuntur; præterea de Neoburgica domo. 190. Ludovicus Bavariæ Dux eligitur in Romanorum Regem cum Friderico Austriaco, unde bellũ ortum est, & captivitas Friderici Pulchri. 297. In bello felices. Rudolphus I. dictus Victoriosus. 141. Albertus I. dictus Triumphator. 275. Ernestus Marchio dictus Strenuus. 216. Albertus Victoriosus. ibidem. Ottogarus Bohemiæ Rex. 68. Bechine Tobias agit, ut Fridericus Pulcher sit Rex Bohemiæ. 268.

S. Benedicti Ordo.

S. Benedictus ex Familia Aniciana oriundus & cognatus Habspurgo-Austriacis. 38. Inibi ejus laus & S. Placidi cum alijs Benedictinæ Familiæ mentio. Melicense Cœnobium transfertur in Benedictinos 216. Cœnobium Scotorum fundatur Viennæ ab Henrico I. Duce Austriæ. 219. Ejusdem sepultura. Abbas Scotorum veniam pro Viennensibus apud Albertum I. Ducem Austriæ impetrat. 227. Viennensis primus Episcopus S. R. I. Princeps ex Ordine S. Benedicti. 527. Einsidlense Monasterium in Helvetia multis celeberrimum. 454. Imperatoris titulum Thesaurarij olim assumebant. ibid. Abbates S. R. Imperij sunt Principes. Vide plura de hoc Monasterio Abbates Cœnobij Eremi Deiparæ. Monasterij D. Blasij fautores Austriaci. 29. 297. Cremiphanensis. 80. Formbachensis. 263. Cœnobij Emautinensis seu Slowanensis Neo-Pragæ Fundatio pro Reformatis Benedictinis nationis Hispanicæ. 515. Viennæ. 527. Madriti. ibid.

Ordo S. Bernardi, vide Cisterciensis Ordo.

In honorem S. Bernardi fundatur Cœnobium ab Alberto I. Cæsare. 245. Eodem sancto vivente fundatur Waldsachsense. 270
Bernardus Episcopus Passaviensis. 239. 315.
Bipontini origine Habspurgo-Austriaci. 189. Item Reges hodierni Sueciæ. 189.
Blanca conjux Rudolphi Austriaci liberalis cum marito in Cœnobium S. Crucis Viennæ 241. Item in Cœnobium D. Claræ. 268
Bohemiæ Regum familia ex Austriacis per Juditham filiam Rudolphi I. Cæsaris. 81
Bohemiæ Regi Wenceslao II. singulares gratias confert Rudolphus I. Cæsar. 76. 77. 104. Nuptiæ solennes Wenceslai Regis cum Juditha filia Rudolphi. 115. Novus favor. 121. 122. 129. 130. 131. Coronatio Regis Wenceslai cum Juditha Austriaca. 234. Nobile exemplum utriusque liberalitatis in fundatione Aulæ Regiæ Cœnobij Ordinis Cisterciensis. 234. Judithæ mors, 235. Ibidem quædam de Ordine Cisterciensi Wenceslai III. privilegia. 261. Mors. 266. Et sepultura, ibidem.
Brandeburgi Marchionum origo ex Austriacis. 193
Brigensium Ducum origo ex Austriacis. 198
Brunsuicensium & Lüneburgensium Ducum origo ex Austriacis. 199
Brunæ sepultura Joannis Marchionis & ejusdem conjugis Margaritæ. 532
Bruxellensis processio in honorem Venerabilis Sacramenti. 477. Capella donis culta. 430. 478. 494.

C.

Cæcitas à Margarita filia Maximiliani II. Cæsaris læto animo tolerata. 405. 412.
Cæcitate percussa Eleonora Ferdinandi II. soror audiendo Missam quid dixerit. 498. Joannes Bohemiæ Rex cæcus bellicosus. 496. Honoratur Mausolæo ab Austriacis Luxemburgi. 445
Cæcilia Ferdinandi II. filia Regina Poloniæ. 164. NB. male positum obijsse. 1648 obijt enim 1644.
Cæsarum vel Imperatorum tituli. 153. Ex domo Austriaca eorum series. ibidem.
Cœlibatûs Cultores. Hedwigis mater & Cunegundis soror Rudolphi I. Cæsaris. 3. Vide syllabum personarum è Domo Austriaca, quæ Statum Religiosum assumpserunt paginâ 89. 90. 91. Vide quæ de Agnete secunda conjuge Rudolphi I. Cæsaris dicta sunt. 107. De Alberto & Isabella. 440. De sola Isabella. 429. De Elisabetha filia Maximiliani II. Cæsaris. 430. De ejus sorore. 410. Vide Castitas.
Cæremonias in Ecclesijs quàm religiosè observaverit Philippus II. Rex Hispan. 486
Calamitas forti animo tolerata Friderici Pulchri in triennali carcere. 317. Henrici ejus fratris. 321. Margaritæ. 405. 412.
Campanulæ usus ad elevationem SS. Eucharistiæ, & ad deportationem dum defertur ad ægrotum institutus. 10
Canonissæ S. Augustini Viennæ ad S. Augustinum. 340
Cardinales ex Domo Austriaca. 259
Carmelitarum Ordo fundatur Pragæ à Carolo IV. Cæsare & per Hæreticos Hussitas ejicitur. 496. Reducitur per Ferdinandum II. & collocatur ad S. Gallum Vetero Pragæ. 509. Favores in Ordinem Leopoldi I. Cæsaris Vetero-Pragæ. 510. 511. Item in Ungaria & Viennæ. 513. Josephus Archi-Dux Viennæ primum lapidem pro templo Carmelitis ponit. 514
Caroli Magni Symbolum. 73. Domat Hunnos & Austriæ ponit Præfectos. 213
Carolus IV. prensat amicitiam Alberti II. Austriaci. 495. Titulum Archi-Ducis Familiæ confert. 161

Carolus V. resignat Imperium in manus fratris Ferdinandi. 154. Ejus Symbolum & sepultura. ibidem. SS. Eucharistiam piè veneratur. 462. Missam quotidie audit. 479. Pedes Pontificis osculatur. 484.
Caroli II. Hispaniarum Regis Pietas in honoranda SS. Eucharistia. 466. & seq. Munificentia in Sacra. 488.
Carolus Dux Styriæ cultum SS. Eucharistiæ restaurat Græcij festo Corporis Christi. 463. Adest Viennæ Processioni cum exemplo multorum. ibid.
Carolus filius Episcopus Wratislaviensis & Magister Ordinis Teutonici. 160
Carolus Josephus Episcopus, ibid.

Carthusianorum Ordo.

Laudatur à diversis. 341. 344. 369. 372.
Loca fundationum per ostenta & præsagia designantur. 537. 538.
Carthusia Brunensis. 375. Bruxellensis. 373. Buxheimensis. 374. Löweldensis. 378. Lechnizensis. 381. Neapolitana. 375. Freydenthalensis, seu Vallis jocosæ. 375. Snolcensis. 385. Seitzensis. 328. & seq. usque 338. Pragensis olim. 376. Olysipponensis. 374. Mechliniensis. 386. Olomucensis. 377. Gammingensis. 370. 371. 372. 531. 534. 535. 538. Maurbacensis, vide paginam 327. 328. usque ad 345. 349. 354. 357. 358. 360. 367. 368. 369. Amor Alberti IV. in Carthusianum Ordinē. Caroli II. Regis Hispaniæ & Maximiliani Ordinis Teutonici Magistri. 385. & seq.

Carthusiani Confessarij Cæsarum.

Prior Monacensis. 311. Maurbacensis. 343. Friburgensis. 385. Vide etiam paginam 290. 311. 340. & 354. de Ottone Duce Austriæ occasione sepulturæ. Demum. 377. 378. De Carthusia Giczinensi, seu Waldicensi.
Cantus componit in honorem SS. Eucharistiæ Leopoldus Wilhelmus Archi-Dux. 448.
Cantus Carthusianorum amat Albertus IV. unde dictus Carthusianus. 386. Vide de alijs, qui eorundem cantu delectabantur. 534. 357. Clarissarum Agnes. 448.
Casparus Questemberg Abbas Præmonstratensis pro concione laudat Elisabetham Austriacam Viennæ. 438.
Castitas singularis Margaritæ Clarissæ, vide Cælibatus.
Castitas singularis in primo conjuge Agnetis Austriacæ, 447. Isabellæ Alberti Ducum Belgij. 440
Catharina Austriaca sponsa Henrici VII. Cæsaris. 291. Alberti I. Liberalitas in Familiam D. Francisci. 291. 292
Catechesis amor & cura. 432. 435. 448. 449. 490

Cisterciensis Ordo.

Laus Sacri Ordinis. 35. Epistola Rudolphi ad Abbates Cistercij congregatos. ibidem. Ad Sanctimoniales. 36. Generalis Ordinis Cæsari respondet. 37. Guido ex Abbate Cisterciensi Cardinalis & Legatus Apostolicus. 10
Coloniæ cultum SS. Eucharistiæ promovet. ibid. Beata Juliana Ordinis Cisterciensis Leodij SS. Eucharistiæ honori promovendo studet. 461. Benedictus XII. Papa antehac Ord. Cisterciensis. 450. Arbor Aniciana Joannis Abbatis Zwethalensis, sive Opus doctissimum de Augustissimæ Domûs Habspurgo-Austriacæ Origine Romana. (*) 22. Ejusdem Abbatis codex Epistolaris de Rudolpho I. Cæsare. 37
Cœnobium ejusdem Ordinis Zwethalense. Vide Zwethalense Cœnobium.
Chronicon Zwethalense M. S. 453. Privilegium de sale. 91. 94
Cœnobium dictum: *Spinea corona*. 7. Bonæ Cellæ. 102. Aureæ vallis. 103. Gengenbach-

bachense. 107. Regij fontis. 245. Aulæ Regiæ. 235. Brunense in suburbio. 268. Waldsachsense. 270. Wettingense. 272. S. Crucis. 218. 219. 221. Campi-Liliorum. 221. Bebenhusianum. 263. Neomontense, seu Neüber-gense. 321. 322. NB. Notatu dignum est, quid ratione sepulturæ evenerit. Vide paginam. 453. Otto Divi Leopoldi Marchionis Austriæ filius ex Cisterciensi Episcopus Frisingensis. (*) 3. Ejus professio in Mormundensi Cœnobio. 217. NB. Scribendo Morimontensi verbis usus sum citati M. S. Lambecius Libro II. Comment. de Biblioth. Cæs. pag. 632. occasione Cœnobij Mellicensis de filiis agens S. Leopoldi ita loquitur. Quintus Otto, qui factus est Mormundensis Monachus cum quindecim electissimis Clericis, &c. Ad cujus Ottonis preces pater suus fundavit Sanctam Crucem, qui postmodùm factus est Episcopus Frisingensis, qui cùm visitaret domum Mormundensem mortuus est illic, ac ibidem sepultus. Antonius ex Abbate Cremiphanensi Episcopus Viennensis & primus S. R. I. Princeps. 527. NB. Erat primitus Ordinis Cisterciensis, sicut Joannes Caramuel vir literatissimus. 520. Anna Imperatrix favet Ordini Cisterciensi. 325. Judi-tha filia Rudolphi I. Cæsaris sepeliri desiderat in Aula Regia. 235. Ibidem sepeliuntur ejus proles. 236. Wenceslaus II. Bohemiæ Rex cognomine Sanctus in morte ab Ordine Cisterciensi petit, ut in Confraternitatē Ordinis admittatur. 235.

Christus, Crux.

Symbolum Rudolphi Cæsaris in prælio contra Ottogarum *Christus*. 68. Vide notabilem locum in literis fundationis Cœnobij Tullnensis de labaro. 87. *Symbolum* Caroli Magni de Christo. 73.

Conspicitur in cœlo Crux dum Rudolphus Aquisgrani coronatur. 38. 39. 40. *Digna* vox de Cruce Rudolphi. ibid. Loco sceptri in coronatione assumitur à Rudolpho. ibidem.

Crucis amor & fiducia Cæsaris. ibid. In vexillis militaribus Rudolphi pingi jubetur. ibid. Vide etiam 69. In honorem S. Crucis ædificatur Cœnobium ex voto Cæsaris. 69 In prælio Crux præfertur ab Alberto filio Cæsaris. ibid. vide ibi quædam de labaris & vexillis. 82. & seq. Sanctæ Crucis Reliquiæ Tullnæ. 40. Item in Cœnobio Sanctæ Crucis Ordinis Cisterciensis. 220. Vide de Ernesto Marchione Austriæ. 216. Elisabetha Austriaca mater Sancti Casimiri in honorem S. Crucis multa facit in templo. 423.

S. Crucis Cœnobij Viennæ patronus Rudolphus Austriacus. 240. 268. Margarita Clarissa vult dici de Sancta Cruce. 398. Vide in vita ejus de afflictione, mortificatione, patientia, &c. Pietas eximia erga sanctam Crucem & Passionem reperitur in Vitis Clarissarum & quæ erant Tertij Ordinis S. Francisci: Vide à pag. 389. Pietas Elisabethæ filiæ Friderici Pulchri in Symbolo. 360. Vide de parte Crucis Domini ostensæ in nuptijs Friderici Pulchri. 313. De clavo & lancea. ibidem.

Clara Isabella & ejus vita. 439. Vide etiam 478. 294.

Clarissæ ex Domo Habspurgo-Austriaca & Tertiariæ, vel quæ habitum S. Francisci gestârunt. 328. vide earum vitas usque ad paginam. 449.

Claudia Imperatrix filia Caroli Ferdinandi Tyrolensis (*) 59. fit sponsa II. Leopoldi Cæsaris ibidem. Ejus amor in S. Dominici Ordinem & sacrum Rosarium. 248. Mors & alia occasione sepulturæ. 248. 249. 250.

Claustro-Neoburgense Cœnobium sitne primitus fundatum à S. Leopoldo pro Canonicis Regularibus S. Augustini. 217

Clemens VI. Papa pro die Corporis Christi & per octavam concedit sacras Indulgentias.

Clementi VII. pedes osculatur Carolus V. Cæsar. 484

Clementi VIII. Albertus & Isabella. ibidem.

Colo-

Coloniæ Agrippinæ SS. Evchariſtiæ & Corporis Domini veneratio tintinnabuli ſonitu excitatur. 10. Dicitur *Opulentiſſima*. Ibidem Rudolphus I. Cæſar honoratur SS. Reliquijs, quas dein pro fundatione Tullnenſi donat. 40
Commendatur Archi-Epiſcopus cum Eccleſia Cæſari Rudolpho. 55. Peregrinatio Alberti II. Sapientis & ei oblatio SS. Reliquiarum. 372. Laus Rudolphi I. Cæſaris ab Engelberto Archi-Epiſcopo. Sepultura Alberti Magni. 96. 97.
Communio frequens, & pia præparatio. 414. 427. 435. 448. 450. 494.
Conceptionis B. M. V. devotio Iſabellæ Claræ Eugeniæ. Vide devotio Mariana.
Confeſſarij Auſtriæ Principum B. Albertus Magnus. 97. S. Philippus Benitius. 50. Henricus Minorita. 115. Vide Carthuſianorum & S. Franciſci Confeſſarij.
Confeſſio frequens. Vide ſupra Communio.
Conjugium ſanctum & Aula Alberti & Iſabellæ. 440. Alberti I. Cæſaris 273. Agnetis Alberti filiæ cum Friderico Colonna caſtiſſimum. 447.
Corporis Chriſti ſolennitas. Vide Feſtum & Auſtriacorum Pietas illa die. 461. Auſtria Cor & Clypeus Romani Imperij. 213. Margarita Auſtriaca Cor Deo offert. 395.
Cor ſuum ſepeliri vult Rudolphus I. Tullnæ in fundatione ſua. 250.
Coronatio ſolennis Pragæ Wenceslai Regis & Judithæ Auſtriacæ. 254
Corona pretioſa Iſabellæ Bruxellis SS. Evchariſtiæ donatur. 478.
Cremifanenſis Cœnobij privilegium ab Auſtriacis. Ejus Cœnobij Abbas Antonius fit Epiſcopus Viennenſis & primus S. R. I. Princeps. 527.

Conſtantienſia.

Dicitur Sedes Epiſcopalis *Ampliſſima*. 98
Conſtantienſis Epiſcopus Ferdinandus Auſtriacus & ſimul Cardinalis. ibidem.
Cordubæ ſupplicatio die Theophoriæ ſolennis. 462
Cunegundis Habſpurgica Dominicana. 3
Cunegundis ſororis Friderici V. Cæſaris pijſſima vita. Vide 425. & ſeq.
Curienſis Epiſcopatûs titulus. 97.

D.

Daniæ Regum origo ex Auſtriacis. 181. Iſabellæ Reginæ Daniæ ſingularis patientia. 91.
Decimæ quædam Rudolpho I. à Pontifice in bellum Sacrum datæ. 48
Dedicatio templi Königsfeldenſis. 414. Viennæ. 247. 459. 528.
Defuncti Auſtriaci honorantur Mauſolæo Tullnæ. 82. Maurbaci à Carthuſianis. 358. Königsfeldæ diverſi. 248. 314. 496. Orationibus adjuvantur. 273. 418. 419. 445.
Detractores averſatur Albertus I. 272

Dies piè tranſacti ab Auſtriacis.

In Adventu. 448. 492.
In Bacchanalibus. 33
In Feſtis & in Vigilijs B. M. V. Vide S. Maria Deipara.
In Natali Domini. 413. 448
In Principio anni. 487. 445.
NB. Ultimâ die cujuſque anni devotio Iſabellæ. 445
Dies Communionis ſacræ. 448
Dies Quadrageſimæ. 448
Feria V. ſeu Cœna Domini. 432. 443. 448.
NB. Plura de his vide in vitis Clariſſarum à pagina 389. uſque 449.
De Paſſione Domini. vide Chriſtus & Crux, & quàm plurima in citatis vitis de Rudolpho I. Cæſare. 39
Divitiarum contemptus. 138. 429. 430. 448. 449.

Doctrinæ & Doctorum amans Rudolphus I. 32. Quid egerit & dixerit oblato sibi libro in obsidione Basileæ. 32. Laus Familiæ Habspurgo-Austriacæ & præsertim ex ea Cæsarum. ibidem. Laus Alberti II. Sapientis. 457

S. Dominici Religio.

S. Dominicus Familiæ Habspurgo-Austriacæ cognatus. 97. S. Thomas Aquinas Officium solemnitatis Corporis Christi jussu Urbani IV. Papæ componit. 461. Familiâ Aniciâ oriundus. 38. B. Albertus Magnus Confessarius Rudolphi I. Cæsaris, dum adhuc Comes esset. 31. Suadet Electoribus Moguntino & Trevirensi, ut in Imperatorem eligant Rudolphum Comitem Habspurgicum. ibid. & pag. 97. Author est Rudolpho jam Cæsari ut Confessarium suum semper comitem sui itineris habeat. idem. Moritur Coloniæ Agrippinæ. 96. Ibidem in fratrum suorum choro tumulatur. 97. Petrus de Tarentasia Cardinalis primus ex Ordine S. Dominici Pontifex dictus Innocentius V. 53. Hortatur Rudolphum Cæsarem ad opus Terræ Sanctæ. ibidem. Rudolphus ei Pontificiam dignitatem gratulatur. 54. Hedwigis mater Rudolphi post mortem mariti institutum S. Dominici amplectitur. 3. Matris exemplum secuta filia Cunegundis. ibid. Fundatur à Rudolpho Cæs. Monasteriū Tullnæ pro Virginibus S. Dominici. 87. 91. Ibidem Euphemia Cæsaris filia fit Monialis & piam vitam ducit. 89. Ornatur templum per Cæsarem sacris Reliquijs & præcipuè notabili particula sanctæ Crucis. 40. In eodem templo cor suum sepeliri vult Rudolphus. 250. Sepultura ibidem quarundam personarum ex Domo Habspurgo-Austriaca. 250. Erigitur templum in honorem sanctæ Crucis & Virginis Deiparæ, & cur? 250. Rudolphi favor in Cœnobium Esselingense. 112. Basileæ in templo Dominicanorum filiæ Cæsaris festum Purificationis B. V. piè celebrant & cereos offerunt. 41.

Dietherus Dominicanæ Familiæ Religiosus fit Archi-Episcopus Trevirensis. 242.

Dominicanorū Ecclesiæ Viennæ Consecratio per Albertum I. Cæs. procurata. 247. In eam Austriæ Principum & Imperatorum præclara munificentia. ibid. Amor singularis Imperatricis Claudiæ. ibid. Ejusdem sepultura cum epitaphio. 248. Chronographicum Augustissimi Leopoldi. 249. Margarita ultimi Ducis Austriæ soror Treviri S. Dominici institutū amplectitur. 224. Flagellantium hæresis per Inquisitores ex Austria propulsatur. 53. Raphaëlis Columbæ Dominicani Conciones. 481. Anniversaria Friderici Pulchri apud Dominicanos. 355.

S. Dorothea.

S. Dorotheæ V. & M. devotus Albertus II. Dux Austriæ Sacellum Viennæ ædificare incipit, filius Rudolphus perficit. 534

Dorothea Neoburgica conjux Odoardi Principis Parmensis. 191

Devotio Evcharistica. Vide Austriæ Dynastæ & testimonium Vernulæi de Pietate Evcharistica.

Deus.

Rudolphus I. Cæsar constans Dei amator. 142. Ab eo omnia incipit & feliciter finit. ibid. Ejus in Deum fiducia. 60. 61. Margarita Clarissa filia Maximiliani II. Cæsaris in solo Deo quiescere desiderabat. 405. Vide subsequentia plura in hanc rem. Vide etiam quæ de solitudine ab ea quæsitæ afferuntur. 415. Item 416. circa discursus dum de Deo fierent quid contingebat. Cunegundis Austriaca facta vidua in laudibus & servitijs tempus transigere statuit. 426. Vide ejus vitā. ibid. Idem recusatis in perpetuum nuptijs facit Elisabetha filia Maximiliani II. Cæs. 328. Vide ejus vitam. Mortuo Alberto Pio recusat nubere Isabella, Clara, Eusebia ut Deo liberiùs servire possit. Vide vitam ejus. 429. Agnes filia Alberti I. Cæsaris in obsequium mortuis maritis se totum Deo devovet. Vide ejus vitam. 447

Vide

Vide inſcriptionem Monetæ in honorem Sponſæ Henrici VII. Cæſaris. 291 Item Eliſabethæ Auſtriacæ Sponſæ Joannis Regis Bohemiæ. 360
Dei timor ſingularis in Friderico Pulchro. 319
Deus non penſat donum, ſed affectum. 12
De fundendis precibus ad Deum & conjunctione. 39

E.

Eccleſia, Eccleſiaſticus ſtatus.

Eccleſia eo anno inſtituit ſolennitatem Corporis Chriſti, quo Rudolphus Habſpurgicus SS. Evchariſtiam dum ad ægrotum deferretur honoravit. 10
Eccleſia ſolicita de Electione Imperatoris accipit Rudolphum Comitem Habſpurgicū. 31 Rudolphi obſervantia erga Romanum Pontificem. 33. Rudolphi laudes & gratulatio Eccleſiæ ex electione Rudolphi. 34. Alia aggratulatio ex parte Eccleſiæ. 34. Vide ibi plura de hoc argumento. Cæſar Eccleſiæ obedientiam præſtat. 41. Pontificis jura confirmat. 42. Gratias agit Pontifici ob benignè auditum Legatum, & favorabilem ſe fore Eccleſiæ pollicetur. ibidem & 43. Pro honore & emolumento Eccleſiæ multa præclara meditatur. 43.46.47.48.49. hæreſim Flagellantium ex Eccleſia depellere conatur. 50. Poſt mortem Gregorij. X. ſpecialem curam Eccleſiæ gerit. 51. 52. 53. 54. Plura ad Eccleſiam pertinentia inveniet Lector in titulo: Rudolphus. Ejus merita in Eccleſiam agnoſcit Bonifacius VIII. 251. Albertus I. Cæſar officia ſua addicit Eccleſiæ. 252. Vide ibi & in ſequentibus plura de Eccleſia. Caput Eccleſiæ honore proſequuntur Habſpurgo-Auſtriaci Principes. 483.484. Huc ſpectant multa quæ de cultu Evchariſtico afferuntur. vide 462. Iſabellæ & Alberto Pio quanta cura fuerit Eccleſiæ. 432. Dictum Alberti I. Cæſaris de Eccleſiaſtico ſtatu. 273. Munificentia Regum Hiſpaniarum in Eccleſiam. 488
Eleemoſyna Margaritæ filiæ Maximil. II. Cæſ. 390. Eliſabethæ ejus ſororis. 431.432.435. Iſabellæ Auſtriacæ Belgij Principis. 430. Vide vitam totam Agnetis filiæ Alberti I. Cæſaris. 448.449.274.
Eleonoræ Auſtriacæ Pietas & dictum de Chriſto in Evchariſtia viſo. 492
Eleonora Magdalena Neoburgica Sponſa Leopoldi Cæſaris ejuſque proles. (*) 59
Eliſabetha Luſitaniæ Regina in numerum Sanctorum refertur. 452
Eliſabetha S. Caſimiri mater Auſtriaca feliciſſima ex prolibus ſuis. 424
Eliſabetha Amalia Mater Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ Neoburgicæ. 190
Eliſabethæ Imperatricis conjugis Alberti I. liberalitas in Cœnobia per Auſtriam circa oblatum ſalem. Ejuſdem pietas in defunctum maritum. 273. In Eccleſiam Königsfeldenſem munificentia. 275. 314.
Elogium Rudolphi I. Cæſaris. 131. Alberti I. 278. Friderici Pulchri. 360. Alberti II. 558. Claudiæ Imperatricis 278. Nicolai Avancini. 143. Vide Laus.
Epiſcopalium ſedium ad Rhenum tituli. 97
Epiſcoporum & Eccleſiaſticorum cura in eligendo Albertum Pium. 432
Equites S. Georgij. 460. S. Joannis Hieroſolymitani. 113. 114.
Equites Teutonici. 114
Eremus Deiparæ in Helvetia. Cœnobium S. Benedicti. Vide Ordo S. Benedicti.
Erneſtus Comes de Trautſohn Epiſcopus Viennenſis. 514.
Cœnobium in Eſcuriali octavum mundi miraculum conflagratur. 488. Reſtauratur munificentiâ Caroli II. Regis Hiſpan. ibid. Sepultura Caroli V. Cæſaris. 154. Inibi geſta nonnulla ad pietatem Auſtriacam Philippi II. Regis Hiſpan. 480.486. Tabernaculum ſumptuoſum ab eodem ibidem erectum. 488
B. Eva Feſtum Corporis Chriſti promovet. 461

Eam piè colit Isabella Belgij Domina. 494
S. Evcharistiæ cultus proprius Habspurgo-Austriacis. Vide Austriaca Pietas, &c. Item à pagina 461. usque 494.

F.

Fabula relata cur ab adeunda Italia abstinuerit Cæsar Rudolphus. 128
Fabula de redivivo Rudolpho I. 108
Facinus pium Rudolphi in honoranda SS. Evcharistia. 10. 11. & seq. Caroli II. Regis Hispaniarum. 466. & sequentibus usque 475.
Facinus pium Agnetis Habspurgicæ & Friderici de Colonna in servanda castitate. 447
Facinus Friderici Pulchri in abigendo Dæmone. 319. Rudolphi I. in servato milite à quo ex equo dejectus est 68. aliud 74. 76. 123.
Familiæ Trautmansdorffianæ pro Rudolpho I. Cæsare pugnante. 73. Tigurinorũ. ibid.
Facinus amoris conjugalis Isabellæ uxoris Friderici Pulchri. 313. Uxoris Warthij 276.
Familiæ Austriacæ origo inquiritur (*) 14. Ejusdem Genealogia à Rudolpho I. Cæsare (*) 60.
Familiæ hodie in Bohemia & alibi florentes, qui ad initia Electionis Rudolphi I. Cæsaris vivebant. Comites Hardegg. 88. Domini de Trautmansdorff. 73. Lichtensteinij. 73. 93. Rappach. 232. Traun. 252. Truchses. 93. Vide aliorum nomina 88. 93. 94. 228. 232.
Ferdinandus I. piè interest Theophoriæ. 462. Idem faciunt Ferdinandus *II. III.* IV. & Ferdinandus Cardinalis. 464. 465.
Ferdinandus II. Sacerdotes honorat. 485. Missam piè audit. 480. Vide infra Missa, vel Sacrum.
Festum Corporis Christi apud Leodienses & Authores Solennitatis. 461. In Ecclesia anniversaliter institutum 11. Pietas Austriacorum Principum hac die. 463. 464. 465. 491. Corporis Christi confraternitas Viennæ. 493. Devotio Isabellæ respectu Sodalitatis Corporis Christi. 492. Pridianum jejunium. 492. Constantiæ Reginæ Poloniæ ex devotione Corporis Christi contracta mors. 491 Mariæ Magdalenæ liberalitas in donanda Monstrantia pro ejus diei solemnitate. 491. Annæ Reginæ Galliæ specialis Parisijs Pietas. 493 Favor Fidei Margaritæ Austriacæ. 406. Ejusdem protestatio. 107
Fiducia in Deum Rudolphi I. Vide Deus.
Flagellantium hæresim persequitur Rudolphus I. Cæsar. 50. Item Albertus II. Dux Austriæ. 531. Fortunæ lusus in bello. Ottogarus Bohemiæ Rex acie vincitur decies & sexies antè victor. 68
Fridericus Pulcher post stratos in prælio propriâ manu 50. hostes capitur. 297

S. Francisci sacra Familia.

Agnes filia Alberti I. Cæsaris an fuerit Clarissa. vide ejus laudatissimam vitam. 447. Ejusdem liberalitas in Cœnobium Königsfeldense. 274
S. Franciscus apparet Elisabethæ filiæ Maximiliani II. Cæsaris. 436. S. Joannes Capistranus benedicit Sponsam Elisabetham filiam Alberti II. Cæsaris. 423. Vide totum Caput Libri III. sextum ubi multæ de utroque laudes. Albertus Pius Belgarum Princeps in habitu Franciscanorum sepeliri vult. 429. Isabella conjux post mortem mariti vestem S. Francisci induit. ibidem. Ejus Confessarius Andreas à Soto. ibidem. Alij Confessarij Austriacorum. 116. 274. Agnes filia Ottogari Regis Clarissa. 128. Beneficia variorum ex Familia Austriaca. 291. 292. 241. 268. 297. & seq. Clarissæ vel Tertiariæ. 388. & seq.

Ordinis Minorum Scriptores.

Lucas Wadingus. 388. Antonius Stöcklar. 389. Bernardinus Cannig. 509. Joannes

nes de Palma Scriptor vitæ Margaritæ Clarissæ simúlque Confessarius. 389. Didacus de Lequile Scriptor de Familia Austriaca (*) 22. Paulus Tripoliensis Episcopus Nuncius Apostolicus. 88

Franciscus Guillimannus Historicus Rudolphi II. Cæsaris. (*) 14. Ejus opinio de Origine Comitum Habspurgicorum. ibidem & in sequentibus Stemmatis Habspurgici juxta ipsum deductio (*) 20.

Fridericus I. Cæsar sive Barbarossa. 203

Fridericus II. ibidem. Ejus bella & aula. 3. 4. mors. 5. In aula æstimatio Rudolphi & observatio Mathematici. 4. Fuit patrinus Rudolphi. 3. Fridericus Pulcher Alberti I. filius ad regnum Bohemiæ aspirat. 268. adest auxilio pro ædificando Cœnobio Königsfeldensi. 275. Aspirat ad Imperium, sed præfertur Henricus Lucemburgicus. 287. Persequitur cum fratribus ab Henrico VII. Cæsare. 289. comitatur Cæsarem in Italiam. ibid. Liberalis in Monasteria. 290. Eligitur Imperator cum Ludovico Bavaro & oritur inter eos bellum. 293. & seq. Infeliciter pugnat. 297. Dicendus est Imperator numero inter Fridericos III. fusè tractatur. 303. Ejus in carcere magnanimitas & pietas. 317. 118. 119. Fundationes de quibus vide 324. 325. 326. 327. 336. 337. 338. usque 346. Ejusdem testamentum. 348. 349. usque 356. Mors 357. & quæ sequuntur. Elogium. 360

Fortitudo Friderici Pulchri tam animi quàm corporis. 299. Fridericus IV. quis dicendus Imperator. 312

Fridericus Pacificus parens Maximiliani I. Cæsaris nominandus V. hujus nominis ibid. & 313.

Fridericus à Colonna maritus Agnetis filiæ Alberti I. Cæsaris. 447. Ejus facinus pulchrum in conjugio. Vide facinus.

Funus vel Exequiæ solennes.

Annæ Imperatricis & Hartmanni filij Rudolphi I. 96. Alberti I. Cæsaris & Adolphi. 288

G.

Galliæ Regum origo ex Austriacis. 177

Gammingense Carthusianorum Cœnobium fundatur ab Alberto II. Sapiente. 370

Germania tota SS. Evcharistiæ cultrix ante tempora Lutheri. 14

Germaniæ bellum ex Electione duorum Cæsarum Friderici Austriaci & Ludovici Bavari. 292

Germanica lingua exaltata per Rudolphum I. Cæsarem. 136

Gertrudis S. Leopoldi filia Regina Bohemiæ, per quam lineâ fœmineâ derivatur sanguis in gentem Habspurgo-Austriacam. Vide Bohemiæ Reges.

Gratitudo Austriacorum Principum in Archi-Episcopum Salisburgensem. 317 Rudolphi I. in suum Confessarium. 115. In Secretarium. 104. Gratitudo in Rudolphum I. Cæsarem Archi-Episcopi Moguntini. 31

Gregorius X. Pontifex. De ejus & Rudolphi I. Cæsaris gestis vide 31. & seq.

Guido Cardinalis promovet cultũ SS. Evcharistiæ Coloniæ per pulsum campanulæ. 10

Gutta vel Juditha filia Rudolphi I. Cæsaris nubit Wenceslao II. Regi Bohemiæ 66. 76. Nuptiæ solemnes & amor in Ecclesiam S. Viti Pragæ 115. Coronatio memorabilis & post eam fundatio Cœnobij Aulæ Regiæ pro Ordine Cisterciensi. 234. Judithæ mors, sepultura, virtutes. 235

H.

Habspurgi Comitũ Familia ejusque origo. Hoc argumentum tractatur fusè à fol. (*) 13. usque 44. Vide Austria & ejus Dynastæ Habspurgo-Austriaci.

Hallense Sacellum B. M. V. 431. Inibi invenies plura loca miraculosa B. M. V.
Hardegg Comites in aula Rudolphi Cæsaris. Vide Familiæ illustres in aula Rudolphi I.
Hassiæ Landgravij ex Austriacis. 200. 201.
Hassiæ Landgravia Elisabetha Amalia mater modernæ Imperatricis. 190
Hedwigis Neoburgica sponsa Jacobi Principis Poloniæ. 191
Hedwigis mater Rudolphi I. Cæsaris. 2. 3.
Henricus VII. Imperator. 287. Coronatur. ibidem. Hostis & Amicus Austriacorum. 289. Fit sponsus Catharinæ Austriacæ. 291
Henricus Dux Austriæ dictus *Fortis* & *Mitis*. 321
Hetruriæ Ducum origo ex Austriacis. 202
Hispaniæ Reges ex Domo Austriaca. 157
Hispaniarum Regum ex eadem Domo potentia. 162. Tituli. 167. In matrimonio felicitas. (*) 50. & seq.
Hollandi sacrilegè tractant SS. Eucharistiam. 479. Cæduntur in Belgio. 25
Holsatiæ Ducum origo ex Austriacis. 202
Hospitale Viennense à Friderico Pulchro fundatur. 345. Transfertur ad S. Claram intra urbem. 346
Hospitalium curam gerit Rudolphus I. Cæsar. 55. Quid de honoribus senserit. 138
Humilitas Margaritæ Austriacæ. 411. 426. Cunegundis. Elisabethæ. 432. Isabellæ Claræ. 430. Agnetis. 448

I.

S. Jacobi Apostoli reliquiæ Tullnæ. Peregrinatio Maximiliani Archi-Ducis in Hispaniam ad D. Jacobum Apostolum. 416
Jacobus Princeps Poloniæ sponsus Hedwigis Neoburgicæ. 191
Joanna Caroli V. filia fundat Monasterium Virginum S. Francisci Strictioris observantiæ. 392
Joannes nepos Alberti I. Cæsaris Augustinianus. 277
S. Joannis Baptistæ dens Tullnæ. 40
Joannes Rex Bohemiæ. 288. Ejus bellum cum Austriacis. 297. 386. Mors. 496. Mausolæum ab Austriacis erectum. ibidem.
Josephi Archi-Ducis parentes. (*) 62. Coronatur in Regem Ungariæ. 157. In Regem Romanorum. 155. Ponit fundamentalem lapidem pro Ecclesia nova S. Josephi Viennæ apud Carmelitas. 514
Josephus Dux Bavariæ Elector & Archi-Episcopus Coloniensis. 188
Imperatores & Romanorum Reges ex Domo Austriaca. Vide Austriaci.
Isabella, Clara, Eugenia, describitur ejus ortus. 439. Vide de ipsa infra de Eucharisticis à pagina 477. & subseq.
Juditha filia Rudolphi I. Cæsaris, vide Gutta.
Juliana cultum SS. Eucharistiæ promovere studet. 461
Justitiæ Zelus in Rudolpho I. Cæsare. 55. 79.
Justi Lipsij dictum de Familia Austriaca. 1. Describit pietatis cultum Eucharisticum. 10
Jubilæum celebre Romæ ob multitudinem advenarum. 530. Eò aspirat Albertus II. Sapiens. 531

K.

Kônigsfeldense Cœnobium. 273. 274. 275. 291. 314. 315. 448.
Kunegundis Ducis Bavariæ Alberti conjux. Vide Cunegundis.

L.

Ladislaus Bohemiæ Rex Romæ osculatur pedes Pontificis. 484.

NB. Ali-

NB. Aliquando Schönleben ex Ladislao Rege facit Regem Wladislaum ut videre est 185. & 186.
Lancea quâ latus Christi transfixum ostensa Basileæ. 313
Lancea D. Mauritij. 216
S. Laurentij templum celeberrimum ædificatur à Philippo II. Rege Hispaniarum. vide Escuriale.
Leodienses primi festum Corporis Christi celebrant. 461
Leopoldus I. Austriæ Marchio dictus *Illustris.* 215
Leopoldus Austriæ Marchio III. dictus *Fortis.* 216
Leopoldus Austriæ Marchio V. dictus *Pulcher.* 216
Leopoldus Austriæ Marchio VI. dictus *Pius.* Vide de ejus gestis. 217. Item Reges Bohemiæ. 81
S. Leopoldi Sacellum & conventus apud RR. PP. Carmelitas calceatos Vetero-Pragæ erigitur. 511
Leopoldus Divi Leopoldi filius dictus *Largus.* 218
Leopoldus II. Dux Austriæ dictus *Virtuosus.* 219
Leopoldus Dux Austriæ IV. cognomine *Gloriosus.* 221
Leopoldus I. Cæsar Ungariæ & Bohemiæ Rex (*) 63. Honorat Nicolaum Avancinum Elogio. 152. Et Claudiam Imperatricem secundam suam conjugem. 250 Annus ejus Electionis in Cæsarem. 154. 155. Scribit pro canonizatione B. Philippi Benitij 110. 111. Favet Ordini Minorum. 496. 505. 506. Carmelitis Pragæ ad S. Gallum. 511. 512. 513. Benedictinis Strictioris observantiæ Viennæ. 528.
Leopoldus filius Alberti I. dictus: *Gloria mundi.* alijs *Gloria equestris Ordinis & militiæ Decus.* 161. Ejus militia sub Friderico fratre. 294. & seq. Nuptiæ. 313. Amor in Fridericum Pulchrum. 320. Mors 321. Sepultura 321.
Leopoldus *Probus.* (*) 48.
Leopoldus *Superbus* (*) ibid.
Leopoldus Ferdinandi II. Cæsaris frater pedes Urbani VIII. Papæ osculatur. 484. Processionibus Theophoricis frequenter adest. 465
Leopoldus Wilhelmus Ferdinandi II. filius SS. Evcharistiam piè colit festo Corporis Christi. 465. 466. In Belgio Bruxellis SS. Evcharistiam miraculosam. 478. 479. Missam omni die etiam bellis impeditus piè audit. 481. Methodus ipsius audiendi Missam. 482. 483. Æstimatio Sacerdotum. 487. Ejusdem nova media colendi SS. Evcharistiam tempore belli. ibid.
Leopoldus Brenner Prior Carthusiæ Maurbacensis laudatur. 327. 369.
Lusanæ colloquium Rudolphi I. Cæsaris cum Gregorio X. Papa. 46
Literarum amor in Rudolpho I. Cæsare & in Cæsaribus Austriacis. 32
Lotharingicorum Ducum origo ex Austriacis. 224
Ludovicus XIV. Galliæ Rex SS. Evcharistiam honorat cum matre Austriaca Parisijs. 493

M.

Mantuæ Ducum origo ex Austriacis. 206
Margarita Ferdinandi I. Cæsaris filia Hallæ piè vivit. 90
Margarita Maximiliani I. Imperat. filia cultum Evcharistiæ in Belgio auget. 477
Margaritæ Reginæ Hispaniæ Pietas multiplex. 491
Margarita Austriaca confundatrix Cœnobij Brunensis ad D. Thomam. 533
Margarita filia Maximiliani Clarissa Madriti. Ejus vita fusè describitur. 389. & seq.
S. Maria Deipara.
Rudolphus I. Cæsar à juventute B. M. V. devotus. 29. Nullum arduum nisi Mariâ auspi-

auſpice aggreditur. ibidem. Ejus liberalitas in Deiparam. ibid. Scapulare à B. Philippo Benitio cum conjuge accipit. 30. B.M.V. honorē per B. Philippum Benitium promovere ſatagit. 50. Cupit appellari ob affectum erga B. M. V. frater Ordinis Servorum. 112. Filias ad cultum pro ſolennitate Purificationis B. V. hortatur. 41. Cantilenam ante prælium cum Rege Ottogaro cani jubet. 169. Obtentâ victoriâ in honorem S. Crucis & memoriam Annunciationis B. M. V. Eccleſiam ædificat. 250

Mariæ Dei Genitricis nomen frequens in Domo Auſtriaca. Vide Genealogiam Rudolphi I. Cæſaris, ejuſque poſterorum à pagina (*) 44. uſque ad finem.

In bello Moguntino Alberti I. Cæſaris liberalitas & Devotio erga B. M. V. 242. 243. In honorem B. M. V. fundat Cœnobium Ciſtercienſis Ordinis. 245. Procurat conſecrationem Eccleſiæ PP. Dominicanis Viennæ. 247. De Pietate reſpectu hujus Eccleſiæ in B. M. V. Auſtriacorum plura Lector citatâ paginâ & in ſequentibus reperiet. Moriens Albertus inclamat nomen Mariæ. 272

Albertus II. *Sapiens* eximius cultor B. M. V. in fundatione Gammingenſi. 371. Peregrinatur Aquiſgranum & Divæ Virgini aureum calicem offert. 372

Maximilianus II. Cæſar cum uxore Mariæ Caroli V. Cæſaris filia favet templo Brunenſi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, quod in honorem B. M. V. & S. Thomæ fundatum eſt. 533

Margarita filia Maximiliani II. Clariſſa Madriti. 489. Advocatricem ſuam & mediatricem B. M. V. apud Deum eſſe deſiderat. 393. Feſto Annunciationis B.M.V. profeſſionem emittit. 397. Summè afficitur cultoribus B. M. V. præcipuè, qui bene de immaculata Conceptione ſentiebant. 410. Singularis ejus devotio erga Deiparam. 418

Profeſtis Beatiſſimæ Virginis ac SS. Apoſtolorum vigilijs jejunia &c. Cunegundis ſororis Friderici V. Cæſaris. 427. In Eccleſia B. M. V. ſepelitur. ibidem. Eliſabethæ Auſtriacæ viduæ Caroli IX. Regis Galliarū devotiones reſpectu B.M.V. 432. Devotiones plurimæ reſpectu B. M. V. Iſabellæ Gubernatricis Belgij. 430. Agnetis filiæ Alberti I. Cæſaris. 448. Annæ Reginæ Poloniæ tempore Adventûs in audiendis Miſſis. 492

Mariæ filiæ Caroli V. Cæſaris encomia & quædam rara. 162

Maria conjux Ferdinandi III. Corporis Chriſti confraternitatem Viennæ inſtituit. 493. Agit pro Canonizatione B. Philippi Benitij. 110

Maria ſoror Caroli V. Cæſaris piè in Hiſpania moritur. 91

Matthias Imperator. 154. Fundator dictus Eccleſiæ B. M. V. Boleslaviæ quia plurimum ad initium dum ædificaretur contulit. 163

Maurbacenſis Carthuſia, Vide Carthuſianorum Ordo.

Mauri ex Hiſpania pulſi per Philippum III. Regem. (*) 51.

Maximilianus I. Cæſar ad imitationem Julij Cæſaris rerum à ſe geſtarum Commentarios conſcripſit. 32

Maximiliani tituli, ætas Imperij, &c. 154. Friderico Pulchro Mauſolæum in Carthuſia Maurbacenſi erigere parat. 358

Nonniſi lacrymans de Friderico *Pulchro* loquitur. 359

Maximiliani II. tituli, ſymbola, & locus ſepulturæ. 154. Poſt mortem ſuffragia pro anima à filia Margarita iteratò expetit. 419

Favet Monaſterio S. Thomæ Brunæ. 533. Felicitas in filiabus Eliſabethæ & Margaritæ quarum vita deſcribitur. 389. & ſeq.

Maximilianus Ordinis Teutonici Magiſter. 160. Fautor magnus Carthuſianorum Compoſtellam peregrinatur ad honorandum Sanctū Jacobum Apoſtolum. 416.

Maximi-

Maximilianus I. Bavariæ Dux & Elector Sponsus Mariæ Annæ Austriacæ. 166
Maximilianus II. Elector Bavariæ maritus Mariæ Antoniæ filiæ Leopoldi I. Cæsaris. 166
Maximilianus filius Caroli Archi-Ducis Austriæ Ordini Teutonico Anno 1615. adscribitur.
Maximiliana Gregoria sponsa Philippi III. Regis Hispaniæ. 166
Mechtildis filia Rudolphi I. Cæsaris. 187. 259.
Melita Insula donatur Equitibus à Carolo V. Cæsare. 114
Megapolitanorum Ducum origo ex Austriacis. 208
Missæ Sacrificium æstimatur ab Austriacis. 479. 480. 481. 482. 483. Vide etiam 445.
Modestia in vestitu Rudolphi I. Cæsaris. 138
Moguntia dicta Venerabilissima. 99

Mortes personarum ex Domo Habspurgo-Austriaca

Alberti *Sapientis* parentis Rudolphi I. Cæsaris. 2. Hedwigis conjugis. 3. Kunegundis filiæ. ibidem. Annæ Imperatricis. 96. Hartmanni filij Rudolphi I. Cæsaris. ibidem. Rudolphi Ducis Sueviæ fratris Hartmanni. 128. Rudolphi I. Cæsaris. 135. Imperatorum Austriacorum usq; ad Augustiss. Leopoldum 153. Regum Bohemiæ ex Domo Austriaca. 156. Regum Ungariæ & Hispaniæ. 157. 158. Judithæ filiæ Rudolphi I. Cæsaris. 234. Claudiæ Imperatricis. 248. Mechtildis filiæ Rudolphi I. Cæsaris. 259. Rudolphi Regis Bohemiæ filij Alberti I. Cæsaris. 267. Joannis filij Rudolphi Ducis Sueviæ. 277. Catharinæ filiæ Alberti I. Cæsaris. 291. Leopoldi & Henrici fratrum filiorum Alberti I. Cæsaris. 321. Friderici Pulchri. 356. Ejus filiæ Elisabethæ. 360. Margaritæ Clarissæ filiæ Maximiliani II. Cæsaris. 422. Elisabethæ filiæ Alberti II. Cæs. 423. Kunegundis filiæ Friderici V. Cæsaris. 425. Elisabethæ filiæ Maximiliani II. Cæsaris. 428. Isabellæ Claræ Eugeniæ, Belgij Principis. 445. Agnetis filiæ Alberti I. Cæsaris. 449. Ottonis Ducis Austriæ & Styriæ. 453. Alberti Sapientis qui fuit frater Ottonis. (*) 62.

Aliorum.

Mors Friderici ultimi Ducis Austriæ. 5. Friderici II. Cæsaris. ibidem. Wenceslai Lusci Regis Bohemiæ. 6. Wilhelmi Roman. Regis. 30. Gregorij X. Papæ. 51. Innocentij V. Adriani V. Joannis XXI. 54. Ottogari Regis Bohemiæ. 69. Trautmansdorffiorum XIV. in uno prælio. 73. Conradi ultimi Comitis Mospurgici. 80. Alberti Magni Ord. Prædicatorum. 96. Philippi Benitij. 110. Ladislai Regis Ungariæ. 126. Agnetis uxoris Rudolphi Ducis Sueviæ. 128. Nicolai Avancini. 152. Marchionum & Ducum veterum Austriæ à pagina 215. usque ad pag. 223. Adolphi Cæsaris. 236. Blancæ uxoris Rudolphi Austriaci filij Alberti I. Cæsaris. 241. Boëmundi Archi-Episc. Trevirensis. 244. Wenceslai II. Regis Bohemiæ. 259. Ejusdem filij. 266. Henrici VII. Cæsaris. 291. Elisabethæ Imperatricis. 292. Isabellæ Imperatricis. 360. Johannæ conjugis Alberti Sapientis.
Munificentia Rudolphi I. in omnes. 130. & 140.

N.

Nicolai Avancini Elogium. 152
Nicolaus III. Pontifex favorabilem in se experitur Rudolphum Cæsarem. 77. Fit ei aggratulatio à Rudolpho. 56. Benevolentia erga Rudolphum. ibid.
Nobilium nomina in Aula Rudolphi I. Cæsaris. Vide Familiæ.
Victoria Nordlingensis occasio Cœnobiorum erectorum per Ferdinandum II. Viennæ pro Benedictinis Strictioris Observantiæ. 526. & per Ferdinandum III. Neo-Pragæ in Bohemia. 514

Numiſma cuſum in honorem SS. Evchariſtiæ & B. M. V. Immac. Concept. à Philippo III. Rege Hiſpan. 489. Ab Henrico VII. Cæſare in honorem Sponſæ Auſtriacæ. 360

O.

Odoardus Parmæ & Placentiæ Dux ſponſus Dorotheæ Neoburgicæ. 591
Orationis devotio in Rudolpho. 93. In Agnete. 448. In Iſabella. 430. In Eliſabetha. 428. 429. Cunegunde. 427.
De oculis dictum Eleonoræ Auſtriacæ dum cæca fieret. 492
Oculis privata Margarita Clariſſa qualem ſe gerebat. 405. 406.
Oratio pro defuncto Alberto I. inſtituta ab Eliſabetha. 273. à Margarita Auſtriaca ejuſque matre pro defuncto Maximiliano II. Cæſare. 418. 419. Item ab Iſabella. 445.
Origo Familiæ Habſpurgo-Auſtriacæ duplex proponitur. (*) 13. & ſeq.
Oſcula pedum reverenter exhibentur Romanis Pontificibus ab Auſtriacis. 483. & ſeq.
Ottocarus, vel Ottogarus mortuo patre Wenceslao cognomine Luſco ſuccedit in Regno Bohemiæ. 6. Ab hoſpitalitate dictus Hoſtimil, & Anteceſſores ſuos opibus omnes ſuperat, ibid. Prutenos idololatras hortatu Pontificis Alexandri IV. bello petit. ibidem. Cogitur pugnare contra Belam Ungariæ Regem & Victoriam de eo reportat. 7. Eam Epiſtolâ Pontifici indicat & ſoli Deo adſcribit. ibidem. Spolia ex hac victoria Ottogari. ibid. Augetur Provincijs & fit inſolens. 8. Oblatum Imperium ab Electoribus acceptare recuſat. 61. Rudolpho Electo Imperatori adverſatur, qui eum in jus vocat. 62. Auſtriacorum querelæ in Ottogarum. ibid. Cæſar Auſtriam aliaſque Provincias ab Ottogaro per Legatos repetit. 63. Contra renuentem bellum decernitur. 64. Auſtriaci ab Ottogaro deficiunt. ibid.
Ottogarus cum Cæſare paciſcitur. 66. Eidem jurat, & Domum ex Auſtria inglorius revertitur. ibid. Invitatur ab uxore ad ultionem & arma reſumit. 67. Auſtriam armatus ingreditur. ibid. Generoſiſſima ejus oratio ad milites. 68. Teſſera militaris in prælio Ottogari. ibid. Strenuè pugnando cadit & à victorijs laudatur. ibidem. Ejus juſta gloriatio quoad longitudinem terrarum. 69. Sepelitur Znoymæ, & exhumatus clam per filium Pragam ad Regum ſepulchra defertur. ibidem. Ejus virtutes. 71. 72. Laus poſt victoriam obtentam à Rudolpho Cæſare. 76. Fundat Monaſterium S. Crucis Viennæ pro Franciſcanis. 241 Uxorem ducit Margaritam ſororem Friderici ultimi Ducis Auſtr. de qua vide 224.
Otto filius Alberti I. Cæſaris dictus *Hilaris* & *Jocoſus*, fundat Cœnobium Ordini Ciſtercienſi Neomonti in Styria. 322. Fundationem deſcribit Caſparus Jongelinus in notitia Abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis, ibid. Quarum perſonarum ſepulturâ hæc fundatio Nobilitata eſt. ibid. Cœnobiũ S. Auguſtini Viennæ & Eccleſiam abſolvit. 326. Conſenſum præbet cum fratribus ad fundationem Maurbacenſem pro Carthuſianis. 358. Fundat Canoniſſas S. Auguſtini Viennæ ad S. Laurentium. 348. Subſcribit teſtamentum fratris Friderici Pulchri. 352. Ejus bella & inter arma multiplex pietas. 386. 388. Rogatur à Pontifice ut Ludovicum Bavarum ad officium Eccleſiæ adducat. 451. Novum bellum Ottonis. ibid. Moritur & ſepelitur Viennæ apud Auguſtinianos. 353. Transfertur Neomontum ſeu Neüpergam ad Ciſtercienſes. ibid.
Ottonis Brandeburgici Bohemiam gubernantis tyrannis & avaritia. 79
Otto Præpoſitus S. Guidonis Imperialis Aulæ Cancellarius mittitur à Rudolpho I. Cæſare ad Pontificem Legatus. 41
Otto primus præpoſitus Collegiatæ Eccleſiæ Clauſtro-Neüburgenſis. 217
Otto filius S. Leopoldi ſecundus Præpoſitus ejuſdem Eccleſiæ. 217. Fit Morimundi

Religiosus, hoc est, Ordinis Cisterciensis, & postea Episcopus Frisingensis (*) 3.
Ipso agente Henricus frater renuntiatur Dux Austr. ibid.
Otto de Lichtenstein ob rem præclarè gestam in prælio contra Ottogarum Regem Bohemiæ fit Præfectus Styriæ. 73. A Rudolpho I. testis adhibetur fundationis Tullnensis factæ pro Virginibus S. Dominici. 93

P.

Palatinorum Rheni origo ex Austriacis. 188. Liberalitas Rudolphi I. Cæsaris in Episcopatum Passaviensem, & Gratitudo Episcopi in filios Cæsaris. 57. 58. Godefridus Passavij Episcopus laudatur. 104. Favor in Bernardum Episcopum. 239
Passaviensis primus Episcopus ex Domo Austriaca. 315
Passionis Christi memoria frequens in Rudolpho I. Cæsare. 39. In Margarita Clarissa. 414. In Isabella Clara. 445. In Cunegunde. 427
Patientia Margaritæ Clarissæ. 405
Personæ gloriantur Sanctis, Beatis, SS. Martyribus, &c. (*) 44
Philippus I. Archi-Dux Austriæ & Hispaniarum Rex. (*) 49. 50. item 157.
Philippi II. Genealogia. (*) 49.
Pietas Cordubæ Festo Corporis Christi. 462. Audiendæ Missæ zelus & reverentia. 480. 481. ubi plura de hoc argumento. Reverentia in Sacerdotes. 485. 486. Liberalitas in erigenda Ecclesiâ S. Laurentij Mart. 488. 489.
Philippus III. vide (*) 51. Munificus in Sacras ædes. 489. Item in Sedem Apostolicam. 489. Pietas Evcharistica & Mariana, ibid. Zelus Domûs Dei. 490. Mauros ex Hispania pellit. (*) 51
Philippus IV. (*) 51. Ejusdem Genealogia. Venerabile ad ægrotum piè comitatur. 476. Processionem solennem instituit per totam Hispaniam in honorem SS. Evcharistiæ 479. Pietas sanctioris hebdomadæ feriâ sextâ in SS. Evcharistiâ. 488. Zelus Domûs Dei. 490. Hispaniæ Regum tituli & potentia. 171. & seq. Hispano-Austriacæ Imperatrices. 162. Pilsna urbs semper Catholica & Fidelis Regibus Bohemiæ. 288.
Poloniæ Regum veterum origo ex Austriacis. 185.
Poloniæ Princeps Jacobus moderni Regis primogenitus sponsus Hedwigis Neoburgicæ. 191
Porta Cœli Cœnobium Virginum Viennæ olim & nunc. 348
Pontificem Romanum & Caput Ecclesiæ osculo pedum honorant Austriaci. 483. Inter eos gesta. 32. 33. 41. usque ad Pag. 56. item 75. 77. 78. 110. 111. 125. 126. 128. 132. 133.
Purgatorij animæ juvantur. 104. 418. 419. 445.

Q.

Quadragesimæ tempus piè impenditur ab Agnete Austriaca. 448.

R.

Ranuccius Parmæ & Placentiæ Dux sponsus fit Dorotheæ Neoburgicæ. 191.
Ratisbonensis Episcopi privilegium de non dando telonio. 115
Reginæ ex Domo Austriaca. 163
Religionis zelus in Austriaca Domo. 298
Rudolphus *Taciturnus* nominis hujus primus Comes Habspurgensis (*) 21. 36. Vide de origine Familiæ Habspurgicæ prooemium (*) à pagina 13. usque 44. item *Habspurgi Comites.* Austriæ Dynastæ Habspurgo-Austriaci.
Rudolphus II. Comes Habspurgensis, primus postea Cæsar ex Domo Habspurgica nascitur. 2. Ejus parentes, educatio, aula, militia, Etymologia sui nominis. 3. & seq.

Aspirat exemplo patris ad pugnandum in *Terra Sancta*, in eaque mori 4. vide *Terra Sancta*. Ejus æstimatio in aula Friderici II. Cæsaris, & quid illi prædictum ab Astrologo. 4. Ejus insigne facinus devotionis erga SS. Evcharistiam 10. Vaticinium de dignitate Cæsarea. 10. Pietas in B. M. V. vide *Maria Deipara*. Eligitur Romanorum Rex. 30. Ejus observantia in Gregorium X. Papam. 32. 33. De hoc argumento plura reperies in indice: *Ecclesia* & *Terra Sancta*. Amat literas & literatos. 30. 32. Ejus diversa elogia. 34. Amor in Ordinem Cisterciensem. 35. 36. 37. Coronatur Aquisgrani. 38. Coronatio ejus cum ostento Crucis in cælo. ibid. vide *Christus, Crux*. Cura singularis Imperij, & severitas in prædones. 40. 107. Amat Religiosos & eis benefacit. 49. Vide *Ordo S. Augustini*, & ubi mentio fit Sacrorum Ordinum, item 112. 113. 114. Liberalis in milite 41. Justitiæ zelus. 55. Bellum cum Ottogaro Rege Bohemiæ. 60. & seq. Victoria Cæsaris & inde consecuta ejus multiplex pietas. 69. Vide *Ottogarus Rex*. Favor in Regem Bohemiæ. vide *Bohemiæ Reges* & paginam 79. Fundatio Tullnensis. 81. 87. vide *Ordo S. Dominici*. item 91. Favores in Ecclesiasticos. 100. Affectus in omnes & studium gratificandi. 109. Cætera, quæ de Rudolpho usque ad ejus obitum afferri possunt, expressa sunt in indice capitum. (*) pag. 7. 8. 9.

Rudolphi Cæsaris ægritudo, ad mortem præparatio, & pius obitus. 135. Accusatio ejus & defensio. 136. Ab ipso lingua Germanica exaltata. ibid. Ejus indoles & virtutes. 137. De ijs testimonium Scriptorum. 141. Elegans Elogium 143. Ejus tituli, Symbolum & locus sepulturæ. 153. Cor suum sepeliri vult Tullnæ. 250

Rudolphus Dux Sueviæ filius Rudolphi Cæsaris moritur. 128

Rudolphus Mitis filius Alberti I. Cæsaris uxorem ducit. 240. Liberalis in Ecclesiam S. Crucis Viennæ. 241. Fit Rex Bohemiæ. 267. Moritur. 267. Ejus pietas. 268. Uxor secunda. ibid.

Rudolphus IV. primus authoritate Cæsareâ Archi-Dux. 161. Ejus matrimoniũ 495. Non habuit conjugem secundam Margaritam. (*) 47.

Rudolphus II. Cæsar favet Patribus Franciscanis Neo-Pragæ. 496. & seq.

S.

Sabaudiæ Duces originantur ex Austriacis. 208

Sacerdotij æstimatio apud Austriacos Principes. 483. & seq.

Sal per Cœnobia Austriæ constituitur. 292

Sancti & Beati ex familia Aniciana. (*) 38

Saxoniæ Ducum origo ex Austriacis. 192

Saxo-Lauenburgici origine Austriaci. 203

Scapulare Servorum B. M. V. accipit Leopoldus Archi-Dux, hodie Imperator & ejus virtutem laudat. 111

Servorum B. M. V. Ordo. Generalis V. Philippus Benitius. 29. Tradit proprijs manibus scapulare Dolorosæ Confraternitatis Rudolpho & Annæ ejus conjugi. 29. 110. Hortatur Rudolphum pro expeditione sacra & expeditionis comitem se offert. 48. Fit Confessarius & Concionator Rudolphi Cæsaris. 50.

In debellanda hæresi Flagellantium insignem operam præstat Cæsari, ibid. Mors Philippi Benitij. 110. Pro ejus canonizatione agit Ferdinandus III. cum conjuge Maria. ibid. Item Augustissimus Cæsar Leopoldus. ibid. Ejus duplex Epistola ad Clementem IX. & X. 111. Rudolphus Cæsar Frater Servorum B. M. V. appellari cupit. 112. Utrum à Rudolpho I. Cæsare Cœnobium Viennæ Ordini Servorum ædificatum sit. 50. Posteri Rudolphi in Bohemia extinctam penè memo-

memoriam Servorum B. V. M. excitant. ibid. Catharina Soror Annæ Imperatricis Oeniponti Monialis Servarum B. V. M. 89
Sal Monasterijs per Austriam donatur annuè. 292
Sodalitas Corporis Christi. 491. 493. 494.
Solitudo amata. 356. 357. 534. Vide plura 89. item 400. 425. 429. 430. 448.
Spira dicta Religiosissima. 99
S. Stephani templum Viennæ, ante dictum Omnium Sanctorum, dilatatur 458.
Sueciæ Regum origo ex Austriacis. 187. Christina Regina Sueciæ Regnum abdicat An. 1654. 187
Sultzbacenses originantur ex Austriacis. 188. Christiani Sulzbacensis filia sponsa Sigismundi Archi-Ducis (*) 56.
Sultz in aula Rudolphi I. Cæs. 48.
Symbola Imperatorum ex Domo Austriaca. 153. 154. 155.

T.

Taciturnitas Margaritæ Clarissæ. 413
Templarij Viennæ olim 247. Hodie Templum Dominicanorum. ibid. In Templis reverentia servata. 481. Munditics. 404
Terra Sancta in qua moritur Albertus parens Rudolphi I. Cæsaris. 2. Pro recuperatione *Terræ Sanctæ* vitam cum opibus ponere desiderat Rudolphus Comes solummodò Habspurgicus. 4 Electus in Imperatorem consilia sua de *Terra Sancta* explicat. 42. 43. Cruce signatur à Pontifice, & adire *Terram Sanctam* cogitat. 48. Philippus Benitius. ibid. Desiderat Gregorium X. Papam convenire Cæsar, & de *Terra Sancta* recuperanda agitare consilia. 51. Moritur Gregorius & succedit Innocentius V. qui ad opus *Terræ Sanctæ* Rudolphum hortatur. 53. Nicolaus IV. Papa agit pro conservatione *Terræ Sanctæ*. 132. 133. Comitia à Cæsare ob hunc finem indicta. 135
Theophorica devotio Austriacorum Principum. 462. 463. 464. 465.
Tituli Ducum & Archi-Ducum Austriæ. 161. 162.
S. Thomas Aquinas Anicius. (*) 38.
S. Thomæ templum Brunæ fundatur. 533. Ei favet & Ordini Maximilianus II. Cæs. ibid.
Teutonicus Ordo laudatur. 112. Supremi Ordinis Magistri Principes Austriaci. 160. Ludovicus Antonius Dux Neoburgensis. 191
Trautmansdorffium virtus. 73
Treviris dicta antiquissima. 99. In Archi-Episcopum beneficentia. 120. 121
Tridentina Ecclesia à Pontifice Rudolpho Cæsari commendatur. 133
Tullnense Cœnobium fundatur. 81. 91. 250. ibid. SS. Reliquiæ. 40. Sepelitur. ibid. Cor Rudolphi Cæsaris. 250
Truchsesij in aula Rudolphi I. Cæsaris. 93

U.

Venatio felix Rudolpho Comiti Habspurgo. 10. 11. Infelix Regi Bohemiæ Wenceslao. 6.
Vienna vero & genuino sensu Vindobona. 229. Cingitur muro ex pecunia Angliæ Regis. 228. In illa Cœnobia & sacra loca, quorum præsenti opere fit mentio, sunt sequentia: Ecclesia Parochialis Omnium Sanctorum, hodie Cathedralis sub titulo Sancti Stephani Proto-Martyris. 458. Cœnobium Scotense Divi Benedicti. 219. S. Crucis. 241. 268. S. Claræ, ubi nunc hospitale. 268. 388. S. Dominici, olim Domus pro Templarijs cum Ecclesia fundata. 247. Cœnobium S. August. 324 Canonissæ ad S. Laurentium Ordinis D. Augustini. 348. Virgines ad *Portam Cœli* olim

olim Præmonſtratenſes. ibidem. Cœnobium Reginæ pro Ordine S. Franciſci ab Eliſabetha filia Maximiliani II. Cæſaris fundatum. 434. Cœnobium pro Benedictinis Strictioris Obſervantiæ. 526. Utrum Ordo Servorum B. M. V. olim Viennæ fuerit, reſolvitur. 50. Domus Rhodiorum Equitum. 460. Hoſpitale à Friderico Pulchro extra muros fundatum. 345. NB. In locum ejus hodie ſubſtitutum Cœnobium D. Claræ. 346. Qui Dynaſtæ Viennam & Auſtriam olim poſſederint & quando ad Habſpurgo-Auſtriacos Principes devoluta ſit. vide Auſtr. Dynaſtæ & imprimis paginam. 6. Bellum inter Rudolphum Cæſarem & Ottogarum Bohemiæ Regem. 60. & ſeq. Item 222. 223. 224. 225. ubi ſimul tumultus Viennenſium deſcribitur uſque ad pag. 227

Viennenſis Epiſcopus primus S. R. I. Princeps ex Ordine S. Benedicti. 527. Erneſtus è Comitibus de Trautſohn benedicit lapidem fundamentalem pro nova Eccleſia Patrum Carmelitarum Calceatorum. 514

W.

Wenceslaus Luſcus Bohemiæ Rex. vide Bohemiæ Reges.

Wilhelmus Comes Hollandiæ Romanorum Rex. 30

Winarienſium ſeu Weinmarienſium Ducum origo ex Auſtriacis. 209

Wirtenbergicorum Ducum origo ex Auſtriacis. 210

Wormatia, alij ſcribunt Vormatia, ſedes Epiſcopalis ad Rhenum dicta *Pauperrima*. 99

Z.

Zdenko Adalbertus Princeps de Lobkowiz Supremus Regni Bohemiæ Cancellar. 500. 503. 511.

Znoymenſis Civitas favet Ordini Minorum S. Franciſci Strictioris Obſerv. 504

Zwethallenſis Cœnobij Abbas Joannes Seifridus ſcribit *Arborem Anicianam*. (*) 22. Laudatur ejus opus à Lambecio & defenditur (*) 30 & ſeq. Ejus M. S. Codex Epiſtolaris. 37. 38. Cœnobij privilegium. 94. 228. Laudatur ab Alberto II. Sapiente. 459. Pro choro Eccleſiæ primus lapis ponitur. ibid. Chronicon Zwethallenſe. 495

Errata ſic corrige.

In procemio.

Pag.	lin.	err.	correct.
22.	35.	omiſſum	que

In libri progreſſu.

Pag.	lin.	err.	correct.
13.	2.	eam	cùm
18.	36.	Mauſole	Mauſolæa
29.	9.	dele	Auſtriæ
31.	21.	S.	Beati
31.	31.	hominem	hominum
32.	7.	ante	arctè
35.	25.	Auguſtæ	Auguſta
38.	34.	coronabitur	coronabatur
100.	16.	occaſionem	occaſiône
111.	25.	ſingulabus	ſingularibus
120.	in fine	aliquis	aliquoties
152.	in fine	adornamenta	adoramenta
156.	30.	graviſſimo	graviſſimum
162.	31.	Kehenwiller	Kewenhiller
165.	20.	ibidem	itidem
166.	5.	Heriberto	Alberto
177.	23.	eluciſcet	eluceſcet
233.	37.	Buckamij	Bukeimij
235	11.	Beatæ	pietate
277.	1.	minus	nimìs
289.	10.	adde	Cæſaris
292.	5.	adde	venit
347.	3.	alio meliori	alia melior
385.	in fine	examinati	exanimati
388.	27.	quæ	quo
401.	6.	1599.	1598.
419.	10.	juſſit ei	juſſit eam
424.	21.	præſenri	præcedenti
424.	21.	damus	dedimus
429.	6.	ſua	ſuo
434.	32.	famam	famem
447.	2.	filia	filiæ
447.	2.	nulla	nullam
447.	9.	omiſſum	affirmat
452.	11.	addictus	addictum
460.	17.	poterunt	potuerint
461.	11.	quod	quoad
462.	36.	Cordulæ	Cordubæ
478.	33.	æſtas	ætas
492.	41.	repeto	reputo
493.	10.	ſecutus	ſecuta
503.	26.	Kaſper	Raſper

546.	6.	Rudolpho	Alberto
553.	32.	adde	&
553.	32.	dele	Alberti
557.	40.	adde	apud
558.	16.	qui	quæ

Alios errores quos Eruditus lector ipſe corrigere poteſt, conſultò prætermimus.

SYNOPSIS,

SEU

Argumenta Continuationis de Pietate Habſpurgo-Auſtriaca.

PROOËMIUM.

Nè Erudito & benevolo Lectori videar exhauſiſſe penum meam Hiſtoricam, illud perſvaſum eſſe inprimis illi cupio: Synopſim præſentem hiſtoricam de Pietate Habſpurgo-Auſtriaca, non eo fine hìc ſubjunctam eſſe, quod ab Operis hujus (ſi fata ità permiſerint) continuatione ceſſare intendam, quin imò Opus potiùs me continuaturum ſpondeo, ſi, quod unicè in votis mihi eſt, Eruditus Lector ad hoc præſtandum ſuppetias tulerit per communicationem ſeu Manu ſcriptorum, ſeu per manuductionem ad libros impreſſos, quos me hactenus videre fortè non contigit. Quod vel ideo magnopere opto, nè quid in re tanti momenti ad Poſterorum imitationem prætc-rijſſe, aut omiſiſſe negligentiâ meâ videar. Vix enim mihi perſvadeo, ut lectis hiſtoriæ hujus, quæ continuanda eſt; argumentis Lector Benevolus ex tot Bibliothecis, Cancellarijs, Archivis, quæ paſſim hâc ætate erecta ſunt, reperiat nihil, quod ampliando Operi poſſet deſervire.

Continuatio anni 1358.

Mortuo Alberto II. Duce Auſtriæ, ex ejus ultima voluntate, in Auſtriæ Principatu, aliiſque ditionibus, ſuccedit Rudolphus maximus natu filius. Inſitâ Auſtriæ Principum Pietate pontem mille octingentorum & quinquaginta paſſuum ſupra lacum Tigurinum ad Eremum DEIparæ peregrinantium commodo ſternit. Agit pro canonizatione Leopoldi Pij Marchionis Auſtriæ, apud Innocentium VI Papam, Pacem cum Helvetis, & fœdus cum Tigurinis à patre ſuo initum, ſervaturum ſe promittit.

Anno 1359. Opera Rudolphi reconciliantur Pontifici, fautores Ludovici Bavari, olim Cæſaris.

Anno 1360. Ejuſdem munificentiâ incipit dilatari Viennæ Eccleſia S. Ste-

S. Stephani Proto Martyris. Studium pacis inter Rudolphum & Carolum IV. Cæſarem, atque Ungariæ Regem.

Authoritate memorati Cæſaris conceditur Habſpurgo-Auſtriacæ Familiæ titulus Archiducis. Conſecratur Capella S. Dorotheæ Virginis & Martyris Viennæ. Ibidem in Eccleſia S. Claræ, ob ſalutem & remedium omnium Progenitorum ex Domo Habſpurgo-Auſtriaca altare erigitur, & dotatur. In eadem Eccleſia à Rudolp: Archiduce, & Catharina Sorore, quæ Abbatiſſæ titulo Monaſterio S. Claræ præfuit, aliud & elegans altare collocatur. Mittuntur Pontifici pro ejus defenſione centum galeati milites.

Anno 1361. Diruitur Capella S. Michaëlis, & in Eccleſiam Parochialem de conſenſu etiam fratrum Rudolphi elevatur.

Anno 1362. Rudolphus in Coenobio Melicenſi B. Gothalmi oſſa reveretur, & B. Colmanno Mauſolæum novum curat. Amiſſam ibidem particulam Sanctæ Crucis recuperat.

Anno 1363. Abbati Eremi Deiparæ privilegia nova concedit, fit in Ordinem Carmelitarum Viennæ liberalis. Molimina ejus pro fundanda Præpoſitura & Canonicatu Viennæ. Magnificæ turris ad Eccleſiam Sancti Stephani fundamenta ponuntur. Donatione Margaretæ Henrici Carinthiæ Ducis filiæ augetur Domus Habſpurgo Auſtriaca Comitatu Tyrolenſi. Exinde à Rudolpho, ejuſque fratribus decimæ pro templis Deo Largitori promiſſæ.

Anno 1364. Moritur Agnes filia Alberti I. Cæſaris, cujus vita plena virtutibus deſcribitur ſupra paginâ 447.

NB. Falluntur, qui eam vel quendam Canonicum Paſſavienſem Monaſterij *Portæ Cæli* Fundatricem Viennæ ſcribunt. Ex Monaſterij Doxanenſis Ordinis Præmonſtratenſis Memorijs deprehendo fuiſſe Fundatricem Conſtantiam Belæ III. Ungariæ Regis filiam. Præmemorato anno, imò & 1363. varijs Sanctorum Reliquijs augetur & ornatur à Rudolpho templum S. Stephani Proto Martyris. Idem Archidux ſcribit ad Urbanum V. Papam pro licentia erigendi Generale Studium Viennæ.

Anno 1365. Conficiuntur literæ primæ fundationis pro Præpoſito, & Canonicis Viennenſibus. Quanta liberalitas Rudolphi in hac fundatione fuerit; ſyllabus redituum, quos Princeps aſſignavit, docet. Comitatur Rudolphus Cæſarem in Italiam & Mediolani fine Julij ſinè liberis moritur. Inde demortui cadaver Viennam deportatur, & in crypta, quam in Æde D. Stephani pro ſe, & Familia ſua condidit, primus tumulatur. Univerſale Studium Viennenſe, præter alia quàm plurima, ipſius quoque liberalitati debet; quòd reditus aſſignaverit, confirmationem Sedis Apoſtolicæ anno priore petierit, & paulò

lò antè obitum suum obtinuerit. De hac fundatione, & quæ ad eam pertinent, legi potest Clarissimus Lambecius, Commentario de Bibliotheca Cæsarea Lib. II. Cap. V.

Mortuô Rudolphô: præsunt aliquo tempore Albertus tertius, cum *Trica* appellatus, & Leopoldus *Probus*.

Anno 1366. Provinciæ Habspurgo-Austriacæ inter fratres dividuntur. Comitatus Tyrolensis velut in medio positus, communi nomine administratur.

Anno 1367. Leopoldus *Probus* initum cum Tigurinis à patre suo fædus, ad præfinitos annos prorogat.

Anno 1368. Fit Advocatus Cœnobij Eremi Deiparæ.

Anno 1369. Albertus cum *Trica* singulari favore Universitatem Viennensem fovet.

Moritur Margarita Henrici Carinthiæ Ducis filia. Quæ cùm privatam vitam Viennæ egisset, ibidem apud Patres Minores ad Sanctam Crucem honorificentissimè tumulatur. Fuisse secundam uxorem Rudolphi Archiducis alibi refutavimus. Duces Bavariæ cedunt omni jùri in Comitatum Tyrolensem Archiducibus Austriæ, initâ concordiâ Schardingæ.

Anno 1370. Judæi Bruxellis sacras hostias sedecim circiter pugionibus, quarum una erat majoris formæ, transfigunt; unde postea celebris illa, hodierna ibidem Processio, Austriacorum Pietate promota. De ea diximus paginâ 477.

Anno 1371. Albertus III. cum *Trica* dictus, Ecclesiam S. Stephani Viennæ, quemadmodum etiam Turrim ampliare pergit.

Anno 1372. Iter Romam ad limina Sanctorum Apostolorum piè suscipit.

Anno 1373. Moritur Catharina vidua Rudolphi Archiducis. Sepelitur in Ecclesia S. Stephani, Viennæ cryptâ, quam Rudolphus olim maritus pro Familia Habspurgo-Austriaca erexit.

Anno 1374. circiter; Viennæ ab Alberto III. fundatur Monasterium Pænitentium mulierum ad S. Hieronymum.

Anno 1375. Moritur Margarita filia Alberti II. Ducis Austriæ confundatrix Monasterij S. Thomæ Apostoli Brunæ, ubi quoque sepelitur.

Anno 1376. Rectores Universitatis Viennensis; quod munus hactenus penes Fundatores fuit, eliguntur. Eorum nomina usque ad annum præsentem suo tempore dabuntur, quemadmodum etiam alia, quæ ad nostrum institutum pertinere videbuntur.

Anno 1377. Leopoldus *Probus* Eremi Deiparæ Advocatus, favorabilem se Abbati, & Monasterio exhibet.

Anno 1378. Moritur Carolus IV. Cæsar duorum Archiducum Au-

ſtriæ ſocer. Hoc eodem anno Eccleſiæ Collegiatæ S. Stephani Viennæ tectum perficitur.

Anno 1379. Auſtriaci Principes fiunt Advocati Monaſterij Urſperingenſis, Virginum Ordinis D. Benedicti, cujus teſte Bruſchio erant ſemper fidi Tutores.

Anno 1380. fit nova diviſio Provinciarum Auſtriacarum. Leopoldus *Probus* cum Venetis bellum gerere cogitur. Quidam hoc bellum ad annum ſequentem reijciunt.

Anno 1382. Moritur Wernerus primus Præpoſitus ad S. Stephanum & Univerſitatis Cancellarius.

Anno 1383. Mors B. Joannis Nepomuceni, & in ipſum Auſtriacorum Principum Pietas oſtenditur.

Anno 1384. Albertus III. Almam Academiam Viennenſem per ſummi Pontificis Urbani VI. privilegium amplificat, acceſſione Sacræ Facultatis Theologicæ, quâ inde à prima fundatione ſua, hoc eſt, ab anno 1365. uſque ad annum præſentem caruerat.

Anno 1385. Leopoldus *Probus* confirmat Privilegia Univerſitati Viennenſi.

Anno 1386. Moritur & laudatur cum uxore à liberalitate in Cænobium Sitticenſe Ordinis Ciſtercienſis.

Anno 1387. Poſt mortem Leopoldi *Probi*, fit Advocatus Cænobij Deiparæ, ejuſdem filius, nomine Leopoldus. Singularem curam loci hujus viſus eſt agere, dum cum hoſtibus ſuis inducias concluderet, quibus cavit; ut Advocatio Monaſterij & Principatûs Eremitarum Principibus Auſtriacis reſervetur.

Anno 1388. Diſſidium in electione Epiſcopi Paſſavienſis ortum per Albertum tertium componitur.

Anno 1389. ejuſdem Liberalitate; Viennæ emitur pro Facultate Juridica domus, in qua Jura tradantur.

Anno 1390. Fundatur ab eodem Alberto in arce Laxenburgenſi Sacellum Beatiſſimæ Virginis.

Idem Albertus ad vitam privatam aſpirat, & reſiduum vitæ in ſumma pietate exigere ſtatuit.

Anno demum 1395. die 18. Auguſti pijſſimè moritur. Ob magnam peritiam Aſtrologiæ, dicitur *Aſtrologus*. Sub eò, quia Academia Viennenſis anno 1384. confirmatione privilegiorum ac ſtatutorum plenè & perfectè ſtabilita eſſet, tum primum judiciô Clariſſimi Lambecij ſupra citati ibi cœpit eſſe Studium Generale, ideoque non mirum eſſe exiſtimat fundationem illi potiùs, quàm fratri ipſius natu majori Archiduci Rudolpho, ab illius, & ſequentis ævi ſcriptoribus attribui.

Anno

Anno 1396. Præest Austriæ Albertus IV. Favet Ordini Carthusianorum. Videantur de hoc sacro Ordine, quæ dicta sunt paginâ 367. & 386.

Anno 1398. Creatur Eques sacri Sepulchri Hierosolymitani, & ad Sacra Palæstinæ visitanda loca aspirat.

Anno 1399. Nascitur Alberto filius sui nominis, hoc nomine in Familia Austriaca V. Augustissimæ Domûs Austriacæ in Imperiali dignitate alter Fundator. Eodem anno Wilhelmus Dux Austriæ ampla privilegia concedit Clero Carnioliæ.

Anno 1400. proficiscitur Pietatis ergò in Syriam Albertus IV. Archidux, & post reditum omni ope laborat, ut liberalitate suâ turris S. Stephani absolvatur.

Anno 1404. Vocatur in auxilium Albertus à Jodoco Marchione Moraviæ, & in obsidione civitatis Znoymensis;

Anno 1405. decedit. Cognomen Tulit *Patiens* & *Mirabilia mundi.* Jacet cum Alberto III. in Ecclesia D. Stephani Viennæ.

Anno 1406. Leopoldus Archidux favorabilem se exhibet in Griesenses Canonicos Regulares, Ordinis S. Augustini.

Anno 1407. Moritur, & Viennæ ad S. Stephanum sepelitur Wilhelmus Dux Austriæ, Tutor Alberti V. postea Imperatoris, nominis hujus secundi.

Anno 1408. Novi tutores dantur Alberto Archiduci, & morum literarúmque Instructor Andreas Blanck, sub quo præclarè in utroque Albertus proficit.

Anno 1409. Ex Habspurgo-Austriaca Domo prima ad sepulturam in Cænobium Stambsense Ordinis Cisterciensis defertur Elisabetha filia Friderici IV. Ducis Austriæ.

Anno 1410. Turbatur Austria, & ad obedientiam per tutores Alberti V. reducitur.

Anno 1411. Eligitur in Imperatorem Sigismundus filius Caroli IV. Imperatoris, de ejus favore & singulari affectu in Domum Austriacam dictum est paginâ 422.

Anno 1412. Piè ex hac vita decedit Leopoldus Dux Austriæ. Extant ejus non pauca Pietatis monumenta, & munificentiæ signa in sacra. Studiosis autem eum honorem detulisse ferebatur, ut vel pileum transeuntibus deponeret, vel caput inclinaret. Visitat Sacrum Dominicum sepulchrum Ernestus *Ferreus.*

An. 1412. Albertus Archidux latroconia per Austriam inhibet. Datur initium hæreseos Joannis Husij, quæ tandem sub imperio Austriacorum Principum singulari eorum Zelo ex Bohemia & Moraviâ profligata est.

An: 1413. Albertus V. Invitatur ad Concilium Generale à Pontifice, & Cæſare Sigiſmundo. Quæ Parens ex ultima ſua voluntate Canonicis Regularibus S. Auguſtini ad S. Dorotheam Viennæ liberaliter appromiſit, liberaliſſimè tribuit.

An: 1414, Legatos ad Concilium Generale mittit, ab eodem fundatio ad S. Dorotheam Viennæ confirmatur, & fit introductio.

An: 1415. Naſcitur Fridericus Archidux Auſtriæ, filius Erneſti *Ferrei.*

Anno 1416. Viennæ conſumatum eſt opus ædificationis altaris & chori Eccleſiæ S. Michaëlis Archangeli.

Eodem anno; procurante Sereniſſimo Auſtriæ Principe Alberto V. ab Epiſcopo Paſſavienſi conſecratur. Tenetur hæc Eccleſia hodiedum favore Ferdinandi II. & III. Auſtriacorum Cæſarum à Clericis S. Pauli Regularibus, quos Barnabitas vocamus.

An: 1416. Invaleſcentibus Huſſitis auxilia offert Cæſari Albertus Archidux.

An: 1417. à Martino V. Papa, petit mitti Legatos, qui Monaſteria Auſtriæ viſitent.

An: 1418. Bello ſe devovet contrà Huſſitas, & denuò auxilia Cæſari offert. Datur initium hæreſis Piccardorum in Bohemia, quam pariter, ſicut Huſiticam poſteâ eliminârunt ex Auſtriaca Familia Reges Bohemiæ, præſertim Rudolphus & Ferdinandus, uterque Secundus.

An: 1419. Moritur Wenceslaus Bohemiæ Rex, ſuccedit anno ſequenti Sigiſmundus frater, & mox ob antiqua fœdera amicitiam Auſtriacam prenſat.

Anno 1421. Deſignatur à Cæſare gener Albertus Archidux Auſtriæ, & gratulatorias literas ob id Sigiſmundus à Pontifice accipit. Eodem anno Judæos punit, quòd SS. Eucharistiam dishonorâſſent.

An: 1422. Inter Eliſabetham Filiam Cæſaris, & Albertum Archiducem nuptiæ ſolenniſſimè celebrantur Viennæ.

An: 1423. Tradit Cæſar Moraviam Alberto Genero, qui cum Huſſitis pro defenſione Eccleſiæ prælia partim proſpera, partim adverſa gerit. Inſtituuntur Sodalitates per Germaniam Matris Doloroſæ, poſtea multum Pietate Auſtriacâ per Philippum I. Auſtriæ Archiducem in Belgio promotæ.

An: 1424. Erneſtus Archidux cognomento *Ferreus* Græcij moritur. Locupletavit Cænobia Oterburgenſe, Runenſe, Mariæ Cellenſe. Literas didicit Bononiæ, & loca ſacra Paleſtinæ piè veneratus eſt.

An: 1425. Ingens periculum Monaſterijs nonnullis in Auſtria ab Huſſitis imminebat; adversùs quos exercitum Albertus duxit, & ab obſidione Zwethallenſi depulit.

An-

An: 1426. Armis Alberti Archiducis minuitur potentia hæreticorum Hussitarum in Moravia.

An: 1427. Albertus Archidux priscos Ecclesiæ Catholicæ ritus cum Episcopo Olomucensi per Moraviam severo decreto servari jubet, & armis ubique auxilio adesse conatur.

An: 1428. Bruna hæreticorum armis frustra oppugnatur, cui celeriter subvenire Archidux conatur; Cæsari autem supplemento militum & ære prodesse studet. Idem anno insequenti facit.

An: 1430. Philippus Dux Burgundiæ Brugis in Flandria Ordinem Equestris dignitatis Aurei Velleris instituit, cujus ipse suo tempore esset caput, ac post eum successores ejus Duces Burgundiæ, quæ dignitas postea Jure hæreditario ad Augustissimam Domum Austriacam transijt.

An: 1431. Mittuntur ad Synodum Basileensem Legati ab Archiduce Alberto. Nascitur filius Archiduci, noménque datum infanti Georgius, ob singularem devotionem, quam Albertus habuit erga S. Georgium Martyrem. Idem Albertus restaurat Sacellum in monte dicto *Calenberg*, olim Divo Georgio Martyri dicatum.

An: 1432. Albertus novam hæresim in Moravia in ipsis incunabulis admirabili celeritate opprimit.

An: 1433. Ordo Equestris ab Alberto V. ùt Archiduce Austriæ instituitur. Insigne hujus Societatis, quod quilibet ejus particeps gestavit, fuit aquila aurea vel argentea expansis alis, ungvibus tenens schedulam cum inscriptione Tuhe Recht / hoc est, *Age juste*, Supra Aquilam fuit, manus, virgam oblongam, ex nubibus protendens, tanquam minitans.

An: 1434. Albertus Archidux voto adstrictus, Cellas Marianas in Styria adit. Insequenti autem anno Fridericus Archidux Hierosolymam proficiscitur, & sacra ibidem loca piè veneratur.

An: 1436. Sigismundus Cæsar ut Christiana Sacra contra infideles commodius tueretur, ac propagaret, tanquam Rex Ungariæ, erexit Ordinem Militum Draconicorum, quos insigni Draconis devicti, & præcipitati decoravit ad exstirpandum periculosissimum totius orbis monstrum, Schismatis scilicet & hæreseos. Hujus Ordinis à morte Sigismundi Cæsaris fuit Albertus Archidux Magnus Magister, quod in Alberto insignem fidei Catholicæ Zelum arguit.

An: 1437. Sigismundus Cæsar filiam suam Elisabetham & Albertum Generum Bohemis commendat, & Znoymæ moritur.

An: 1438. Albertus Archidux Rex Ungariæ 1. Januarij in Alba Regali, Rex Bohemiæ ipso die SS. Apostolorum Petri & Pauli Pragæ coronatur, & ab Electoribus quamvìs absens Cæsar creatur. Zelo Religionis

gionis auſpicatum eſſe Imperium, ſcripſit in Parallelis ſuis Alphonſinis, qui tum vivebat Æneas Sylvius, omnibus in ditione ſua judæis, qui Chriſto, & de Chriſto credere nollent, occiſis. (*Balbinus Epit. rerum Boh: Lib: V. Cap: II. pag: 489.*)

DignitatemCæſaream ei gratulatus eſt Evgenius IV. Papa in qua acceptanda ſumma ejus modeſtia fuit.

An: 1439. Bellum in Bohemia feliciter adverſus hæreticos gerit. Eo compoſito Turcas ab Ungaria avertit, ſed paulò poſt in reditu à victoria Turcica, ex eſu peponum in Ungaria moritur. Paucis laudem expreſſit Æneas Sylvius: *Albertum Romani, Ungari, atque Bohemi Regem ſuum venerabantur: cujus opera totum in orbem vulgata ſunt, pro tutela Fidei, & augmento nominis Chriſtiani geſta.* Moritur quoque hoc anno Fridericus Archidux Tyrolenſium, Princeps Ordini Eccleſiaſtico ob plurima Beneficia chariſſimus.

An: 1440. Fridericus Archidux in Regem Romanorum eligitur. Scribit ad Ciſtercienſem Ordinem, & exemplo Rudolphi I. Cæſaris Confraternitatem expetit. Notet Lector Fridericum Pulchrum Auſtriacum non eſſe è numero Cæſarum excludendum, & hunc Fridericum eſſe V. inter Cæſares Fridericos nominandum. Qua de re Lib. II. Cap. XVIII. à pagina 303. uſque 313. diximus, ſi quid in hac materia in Indice Capitum omiſimus, ad hunc locum nos referimus, & declaramus addendum fuiſſe poſt verba, & ſcribendum: Fridericum V. *Pacificum, quem quidam tertium, alij quartum faciunt.*

An: 1441. Vocatus ad Regalia capeſſenda, per Jacobum Archi-Epiſcopum Trevirenſem gratum eidem ſe exhibet.

An: 1442. Repudiat Regnum Bohemiæ quod Ladislao filio Alberti II. Cæſaris de jure debebatur.

An: 1443. Procurat ornatum & apparamenta pro SS. Evchariſtia, dum è Templo S. Stephani Viennæ ad ægrotum, per ſacerdotem, templi Miniſtris comitantibus, defertur.

An: 1444. In Eccleſiæ bonum celebrantur Norimbergæ Comitia à Friderico Cæſare. Fundatur ab eodem Monaſterium Neoſtadij pro Ordine Ciſtercienſi.

Triennio paci & unitati Eccleſiæ ſtudet Fridericus Cæſar, & anno 1447. ex electione novi Pontificis ſub nomine Nicolai V. lætatur.

An: 1448. & ſequenti totus eſt Cæſar in ſtabilienda pace Eccleſiæ.

An: 1450. qui Jubilæus erat, adeſt Romæ Albertus Frater Friderici V. donatúrque enſe Benedicto à Pontifice.

Impetrat privilegium erigendæ Academiæ Friburgi in Briſgovia. Fridericus Cæſar ſalvum conductum offert peregrinantibus ad Cellas Marianas.

An:

An: 1451. Joanni Capistrano Minoritæ assignat locum & expensas pro Monasterio Minorum ad S. Theobaldum in suburbio Viennensi.

An: 1452. Fridericus Cæsar, Fratre Alberto & Ladislao Ungariæ & Bohemiæ Rege comitante, Italiam ingreditur mirifico populorum ubique concursu, adventum ei gratulantium, exceptus. Ad idus Martij Romam versùs progressus ubi primùm Longobardiæ & deinde Imperij Coronâ Romæ in Basilica D. Petri à Nicolao Pontifice donatus est, octavo decimo die Martij.

Eodem anno ad Friderici Cæsaris & Alberti ejus Fratris intercessionem, sacris Indulgentijs in devotionis incrementum per Nicolaum V. Papam Ecclesia Cellensis fit locupletior. Ipse Albertus favorabilem in multis se exhibet Monasterio Eremi Deiparæ.

An: 1453. Expugnatur à Turcis Constantinopolis; pro qua recuperanda multi conatus erant Friderici Imperatoris. Pragæ in Regem Bohemiæ Ladislaus filius Alberti II. Cæsaris Coronatur, Extant ejusdem complura amoris & liberalitatis argumenta erga Ecclesiam Metropolitanam Pragensem, & Capitulum, quemadmodum multiplex Pietas & Zelus Religionis.

An: 1454. Celebrantur à Cæsare Comitia Ratisbonæ, & Francofurti pro expeditione sacra contra Turcas.

An: 1455. ponuntur nuptiæ Elisabethæ filiæ Alberti II. Cæsaris & Casimiri Regis Poloniæ. Juxta alios præcedenti: De his nuptijs fusè egimus pag. 423. & seqv.

An: 1456. Fundatur à Cæsare Neostadij in Austria Monasterium pro Religiosis Ordinis S. Pauli I. Eremitæ. Ordini huic exemplo patris sui Alberti II. Cæsaris favet Ladislaus Rex. Moritur Capistranus Minorita; Friderico V. Cæsari & Ladislao Regi à Consilijs in rebus præcipuè Sacris. Ut ad Canonizationem ejus procederetur diversis temporibus egerant apud Pontifices Austriaci Principes, præcipuè Fridericus V. Cæsar, ejus Frater Albertus & Rex Ungariæ Ladislaus.

An: 1457. Moritur Ladislaus Ungariæ & Bohemiæ Rex in flore ætatis, & in ipso apparatu nuptiarum. Princeps Regijs virtutibus omnibus ornatissimus. Ejus corpus incoruptum fuisse adhuc anno 1590, qui viderant Pragæ affirmabant.

An: 1458. In Pontificem eligitur Æneas Sylvius olim Secretarius Friderici Cæsaris, dictus Pius II.

An: 1459. Neostadij 22. Martij nascitur Friderico Cæsari filius nomine Maximilianus. Nomen hoc ei impositum ob memoriam quòd anno elapso beneficio S. Maximiliani, Cæsar servatus sit, ne ab hostibus caperetur.

An: 1460. Fridericus Cæsar ductor Cruce signatorum adversus Tur-

cas creatur, quod si nollet Pius II. ei potestatem facit præficiendi aliquem alium Germaniæ Principem. Ut verò Fridericus Archidux idemque Cæsar Clero magis prospiceret; constituit erigere Episcopatum Labacensem, quem etiam multis privilegijs ornavit.

Literæ Fundationis expeditæ sunt primùm anno 1461. ipso die S. Nicolai Patroni Ecclesiæ Cathedralis, & primùs Episcopus nominatus Sigismundus de Lamberg ex Proceribus Carnioliæ è prima nobilitate oriundus.

Hocce tempore Austria plena tumultuum bellicorum erat; quibus sublatis, ingens specimen Clementiæ in condonandis subditorum injurijs ostendit Fridericus.

An: 1463. Albertus Friderici Cæsaris Frater moritur & sepelitur Viennæ in crypta Majorum. Memorati Alberti memoria est in fundata Universitate Friburgensi in Brisgovia, Parentavit ei solemniter Mechtildis uxor Palatina, ad cujus exequias 19. Episcopos Rotenburgum ad Necarum, & Prælatos cum sacerdotibus septingentis convocavit.

An: 1464. Pia & humilis demissio celebratur Cæsaris Friderici, ut enim Sigismundus Archidux Pontifici reconciliaretur, voluit Legati Papæ genibus advolutus deprecator existere, ut Papiensis narrat.

An- 1465. Erigitur liberalitate & Industria Friderici V. Cæsaris Episcopatus Neostadiensis.

An: 1466. & subsequentibus Fridericus Cæsar apud Pontifices petit in Sanctorum numerum referri Leopoldum, Marchionem quondam Austriæ. Cunegundis Cæsaris filia nuptias celebrat cum Alberto Sapiente Duce Bavariæ; cujus summa gloria ex filijs.

An: 1467. 3. Septembris moritur Eleonora Imperatrix, & Maximiliani I. Archiducis & Imperatoris mater; in Templo Cænobij Sacri Ordinis Cisterciensis Sanctissimæ Trinitati dicato, quod vulgò propter instaurationem post incendium vocatur Cænobium novum, Neostadij sepelitur.

An: 1468. Fridericus Cæsar voti Causâ Romam proficiscitur, & summo honore ab Italica gente excipitur, atque ense sacro, ritu consveto benedicto, donatur.

Agit multis cum Pontifice de inferendo bello Turcis, & pro celebrando Generali in Germania Concilio. Ab eodem Cæsare Ordo S. Georgij Martyris erigitur, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & præsidium contra Turcas. Viennensis civitas Episcopali dignitate curâ & ejusdem Cæsaris studio à Pontifice condecoratur.

An: 1469. Idem Cæsar Lustratis in Urbe religiosissimè sacris locis, ubi à summo Pontifice officiosissimè exceptus, muneribúsque cumulatus fuisset, in Germaniam redit.

An:

Anno 1470. Svadet Georgio Bohemiæ Regi, ut ſedi Apoſtolicæ ſe ſubijciat.

Inſequenti anno; Ratisbonam Comitia indicit ut, Turcis varias Chriſtianorum Provincias incurſantibus ac vaſtantibus obviam eatur; ſed illis nihil propè actum eſt propter diſcordias Principum.

An: 1472. MaximilianusArchidux inſigni miraculo ex cultu Auguſtiſſimæ Eucharistiæ ab interitu in venatione, ſervatur.

An: 1473. Fridericus Cæſar nova, & celeberrima comitia Treviris celebrat de conſervanda Republica Chriſtiana, quibus adfuit ingens numerus Imperij Principum, & Carolus Dux Burgundiæ. Et hæc Comitia fruſtra tractata ſunt propter Principum diſcordias. Hâc occaſione datum eſt initium nuptiarum inter Maximilianum filium Cæſaris, & Mariam unicam filiam ac hæredem Caroli Ducis Burgundiæ. Ejuſdem fine anni Fridericus Cæſar cum filio Maximiliano magnificè SS. Tres Reges Coloniæ, cum multis Imperij Principibus viſitat. Subſtitit ibidem ferijs Natalitijs & per octavam Epiphaniæ

An: 1474. uſque S. Antonij. Ibidem Cæſar adſcriptus eſt Collegio Canonicorum. Solet enim Cæſar tribus potiſſimùm Collegijs adſcribi ùt Canonicus. Romæ Vaticano S. Petri, ut fidei defenſor & propagator, ac Eccleſiæ totius Advocatus: Aquiſgrani, Collegio Deiparæ Virginis, ùt cliens Reginæ cæli Clerique, quà Chriſti & Deiparæ familiæ eſt Altor. Denique Coloniæ; Collegio cuſtodis Eccleſiæ Sanctorum Trium Regum, velut virtutum Regiarum conſtans imitator. Eodem anno idem Imperator privilegium Metropolitano Capitulo à Sede Apoſtolica impetravit, nè quis Presbyterorum in id adoptaretur antequàm Licentiatûs & Doctoratûs gradu ſit inſignitus.

An: 1475. ineunte; Fridericus Cæſar adverſus Carolum Burgundiæ Ducem, qui Colonienſi bello ſe immiſcebat milite numeroſo ſtipatus movet, eumque ab obſidione Noveſij depellit.

An: 1476. Pridie Kalend. Junias, pax inter Burgundum & Imperatorem tacitè ſancitur. Omnis diſceptatio ad cognitionem, ſummi Pontificis rejecta eſt, intra annum arbitrio illius terminanda; & Noveſium ejuſdem commendatum tutelæ.

An: 1477. Obit Jacobus Picens Socius laborum Joannis Capiſtrani. Ut titulus Beati à Romano Pontifice ei deferretur egit Carolus V. Cæſar, ejuſque filius Philippus II.

An: 1477. Perit ad Nancejum Carolus Burgundiæ Dux. Poſt cujus mortem multi Reges & Principes Mariæ Caroli Filiæ, & tot Ditionum hæredis, matrimonium prenſant; ſed vicit Maximiliani Archiducis pars, cui jam antea deſponſata erat.

An: 1478. Philippus I. Archidux Austriæ, postea Rex Hispaniæ, Filius Maximiliani I. Imperatoris nascitur.

An: 1479. Propagatur in Germania Sodalitas Sacratissimi Rosarij, in qua plura nomina Austriacorum Principum legimus. Bellum Maximilianus Archidux cum Ludovico Rege Galliæ continuat, & memorabilem de eo victoriam, ex loco pugnæ dictam Gvinegatam, reportat. Adscripta ea est orationi, quam ante pugnam Maximilianus Archidux præmiserat; petieratque a copijs suis promitterent singuli se in honorem crudelissimæ mortis Jesu Christi tribus ferijs sextis pane ac aquâ contentos fore, quos Deus incolumi vitâ victores domũ, aut ad castra remisisset, uti se primũ omniũ in terra prostratũ facturũ, essent conspecturi.

Eodem anno die undecimâ Junij moritur Joannes Saguntinus Ordinis Eremitarum S. Augustini. Pro cujus canonizatione apud sedem Apostolicam olim egit Carolus V. Cæsar, ejus filius Philippus II. & III. nepos; quod demum

An: 1691. die 16. Octobris feliciter impetravit apud Alexandrum VIII. Papam Carolus II. memorati Cæsaris abnepos.

An: 1480. Natalis filiæ Maximiliani Archiducis nomine Margaritæ celebratur. Joannes II. Trevirensium Archi-Episcopus possessiones Ecclesiæ suæ per Fridericum Cæsarem recuperat.

An: 1481. Inter Fridericum Romanorum Imperatorem, & Matthiam Regem Ungariæ bellum exarsit. Causa fuit: quòd Wladislaus Bohemiæ Rex ab Imperatore Viennæ solenni cerimoniâ fevdum, ùt vocant, acceperit.

An: 1482. Equo lapsa in venatione Maria Burgunda Maximiliani Archiducis Uxor curationem ob verecundiam recusans, 28. Martij moritur. Is ex ejus morte dolor Maximiliano fuit, ut per omnem exinde vitam cùm de ea mentionem audiret, à lacrymis aut suspirio abstinere non potuerit.

An: 1483. Imperator Fridericus apud Sixtum IV. Romanum Pontificem de Canonizando Leopoldo Marchione Austriæ cognomento Pio, per Oratorem suum agit, & insequenti anno literis certior fit, de secutura Canonizatione. Ineunte anno 1485. nimirum die Epiphaniæ sacro, in Sanctorum numerum adscribitur Leopoldus Pius Marchio Austriæ. Maximilianus Archidux Ordinem S. Mariæ de monte Carmelo Antverpiæ collocat, templo & domo ad eorum usum ædificatis.

An: 1486. Maximilianus Archidux creatur Rex Romanorum. Visitat Coloniæ SS. Tres Reges, eósque piè veneratur, & consvetâ cerimonia Collegio Capituli Sanctorum Regum adscribitur. Agitur eodem anno ab Imperatore, Maximiliano Romanorum Rege, & Canonicis Regularibus S. Augustini Claustro-Neoburgensibus; ut annuente

Ponti-

Pontifice Innocentio VIII. in locum honorificentiorem corpus S. Leopoldi transferri possit. Deposita sunt Sacra ossa in arculam argenteam, ad actum hunc munificentiâ Maximiliani adornatam.

An: 1487. Sigismundus Archidux post cladem Venetis illatam, in gratiarum actionem Galliani in æde Divo Laurentio Sacra, Missæ Sacrificium in perpetuum fundat.

An: 1488. Elucescit in captivitate Maximiliani Romanorum Regis, per tumultuantes Belgas perpetrata summa ejus patientia, animi fortitudo, & fides in pactis servandis tumultuantibus data.

An: 1489. Maximilianus Archidux à Sigismundo Archiduce hæres Tyrolis adoptatur.

An: 1490. Matthias Rex Ungariæ Viennæ apoplexiâ tactus diem obijt. Maximilianus Austriam & simul Viennam recipit; Albam Regalem expugnat, & nè in expugnatione templum à militibus diriperetur stricto gladio sacrilegium inhibet.

An: 1491. Religio S. Francisci de Paula Austriam favore Maximiliani ingreditur.

An: 1492. Philippus Archidux, Belgij Princeps designatus, Sodalitium in honorem septem Dolorum B. V. Bruxellis & alijs Belgij locis instituit, & edictum in blasphemos nominis Mariæ edidit.

An: 1493. Moritur Fridericus V. Cæsar cognomento Pacificus. Eidem Maximilianus filius jam prius Electus, & coronatus, in Imperio succedit.

Fundat Rudolphswerthi in Carniolia inferiore Præposituram & Collegiatam XII. Canonicorum Ecclesiam.

An: 1494. Coloniam proficiscitur, & Sanctos Reges, quorum cultui deditissimus erat, piè admodum honorat. Confirmatur ab Alexandro VI. Pontifice militia S. Georgij à Friderico V. Cæsare condita contra Turcarum grassationes, quem Ordinem non tam collapsum Maximilianus Imperator restituit, quàm ampliavit, addita Confraternitate S. Georgij Martyris, cui devotissimum ab ineunte ætate fatetur se extitisse, ejusque ope & suffragio frequentes gloriosas victorias ex hostibus consecutum esse.

An: 1495. Maximilianus Imperator Wormatiæ Comitia celebrat, & pænam contra blasphemantes & temerè jurantes constituit.

An: 1496. Edoctus ab Ordinibus Styriæ, Carnioliæ, & Carinthiæ de gravissimis sceleribus Judæorum, mandat omnes exturbari. quod illico executioni demandatum est.

An: 1497. Moritur Sigismundus Archidux Oeniponti, *Literatorum Mecænas* dictus, & ex ultima sua voluntate in loca sacra quàm plurima munificus. Lambetius Sigismundi obitum ad annum præce-

dentem refert, & ſolerter more ſuo obſervat; tunc temporis omnes ad Auguſtiſſimam Domum Germano Auſtriacam pertinentes Provincias, quæ diviſæ fuerunt, perveniſſe in poteſtatem ſolius Imperatoris Maximiliani I. Idem factum ſpectavimus Anno 1665. in Auguſtiſſimo Leopoldo I. dum Sigiſmundus II. Archidux inopinatè in ipſo apparatu nuptiarum deceſſiſſet.

An: 1498. Maximilianus Cæſar templi Waldraſtenſis Patronus dici, & appellari cupit. Juriſprudentiæ ſtudium Viennæ promovet, & Univerſitati poteſtatem facit creandi Poëtas.

A: 1499. Philippus Archidux Toletano Sodalitio Immaculatæ Conceptionis, ſoceri exemplo, nomen ſuum inſcribi petit.

An: 1500. Gandavi Apoſtolico D. Matthiæ die, ſibi poſthac feliciſſimo naſcitur Carolus Archidux dein Hiſpaniarum Monarcha, & Romanorum Imperator ex Philippo Archiduce Filio Maximiliani Cæſaris, & Joanna Filia Ferdinandi Regis Hiſpaniarum.

Orans Joanna ad Divæ Coletæ ſepulchrum, & ſentiens ſe uterum vitalem gerere, dono peplum ut narrat Bollandus in Vita pag. 623. dein obtulit.

An: 1501. Philippus Archidux à Socero Ferdinando in Hiſpaniam cum conjuge evocatus, Sacramentum de regni ſucceſſione accipit.

An: 1502. Liga ruſticorum in Germania ſeu potius, rebellio plebis contra Nobilitatem, & Clerum, præſertim in Epiſcopatu ſpirenſi diſſipatur à Maximiliano I. Imperatore.

An: 1503. Naſcitur in Hiſpania Ferdinandus Archidux Caroli V. Cæſaris Frater, Maximiliani I. nepos.

An: 1504. Moritur Philippus Emmanuel Sabaudiæ Dux, quem Margarita conjux filia Maximiliani I. Cæſaris honorificentiſſimè in Cænobio Bronzæo, quod erexerat, ſepeliri curat, eidem ſumptuoſiſſimo Mauſolæo erecto. Invitatur Maximilianus Cæſar in Italiam ad ſuſcipiendum Inſigne, ſeu Diadema Imperiale.

An: 1505. Maximilianus Cæſar Coloniæ conventum Principum celebrat: religioſè tunc quoque ibi Sanctos Reges veneratus, duo feliciter confecit negotia: primò pacem Albertum inter Bavarum, & Philippum Palatinum Principes conciliavit: poſtea adverſus Geldrenſes bellum movit, quod magnâ celeritate confecit. Victor cum triumpho Coloniam revertit, incredibili totius civitatis obviam effuſæ gratulatione, hocque celebrius; quòd intra octavam Translationis SS. Regum (quorum cultui deditiſſimus erat Imperator) is triumphus haberetur.

Mortua eſt hoc anno Eliſabetha filia Alberti II. Cæſaris, de cujus pietate egimus pag. 422.

An:

An: 1506. Philippus Archidux unà cum Joanna uxore Regina Hispaniæ, è Belgio in Hispaniam ad Regnum illud capessendum solvit, eodemque anno Granatæ moritur. Ex hujus Regis sobole, nemo fuit, qui aut Imperator, aut Rex, aut Regina non salutaretur.

An: 1507. Nascitur Turrecrematæ post mortem Philippi Archiducis, Catharina, quæ dein nupsit Joanni III. Regi Lusitaniæ; de ejus pietate nonnulla attulimus pag. 493.

An: 1508. Multis virtutibus floret Cunegundis Friderici V. Cæsaris filia in statu viduitatis, & in Ordine Tertij Ordinis S. Francisci. Diximus de illa pag. 425.

An: 1509. Pietas cum liberalitate Maximiliani I. Cæsaris, & aliorum ex Domo Austriaca, magni Lipsij calamo in B. V. Hallensem multùm deprædicatur. Hallensi Sodalitati, hortatu Maximiliani Cæsaris inscribit Henricus VIII. Angliæ Rex.

An: 1510. Maximilianus Cæsar specialibus Privilegijs ornat Episcopatum Labacensem à Patre suo fundatum.

An: 1511. Margarita filia Maximiliani I. Cæsaris amore continentiæ nuptias spernit Wladislai Regis Ungariæ & Bohemiæ. Singulari affectu prosequitur Ordinem B. M. V. Virginum Annuntiatarum,

An: 1512. S. Sebastiano insolitæ magnitudinis cereum ponit Cæsar Epternaci; idem pænas in blasphemos iteratò constituit. Multa hoc anno pietas Cæsaris in Annalibus Trevirensibus, ubi Comitia Imperialia celebrabat, deprædicatur.

An: 1513. Splendidissimum Cæsar erigit Viennæ Mausolæum parenti Friderico. Festum Nominis Mariæ instituitur in Hispania, moderante eam Carolo Archiduce, Nepote Maximiliani I. Cæsaris.

An: 1514. Maximilianus Cæsar constituit Maurbaci erigere Mausolæum Friderico Pulchro, seque ex hoc tempore imminentis mortis monere; nam quocunque pergeret, etiam in acie, sarcophagum circumferebat.

An: 1515. Conventus celeberrimus Viennæ celebratur, convenientibus Maximiliano Cæsare, Wladislao Ungariæ, & Sigismundo Poloniæ Regibus. Agitatum in eo de expeditione adversus Turcas.

An: 1517. Ferdinandus Catholicus, socer defuncti Philippi Archiducis moritur; cui in omnibus succedit Regnis Carolus Nepos. Splendidissimas avo in Belgio adornavit exequias, quæ nisi atro celebratæ habitu essent, triumpho quàm funeri poterant haberi propiores.

An: 1517. Maximilianus Cæsar Treviros adit. Venit autem ad trium Regum solemnia, antiquo venerationis cultu, istic exigenda, pridie Epiphaniæ. Ipsâ Epiphaniæ die in templo re divinâ peractâ, exhibita est Tunica Christi, cujus videndæ causâ, vel præcipuè Tre-

 virim

virim advenisse, creditum est. E Belgio, ubi educabatur Carolus Archidux, transit in Hispaniam, Monarchiâque Hispanicâ potitur. Lutherus suas hæreses spargere incipit.

An: 1518. Nova consilia Cæsar de bello Turcis inferendo, Augustæ Vindelicorum celebrat; agit de opprimenda in semine hæresi Lutherana. Mittit cum literis Pontifex Cæsari galeam & ensem Pontificiâ Benedictione Sacratum.

An: 1519. Extremum diem obit Cæsar, quem pijssimè continuis quinque annis sarcophago ad id præparato meditabatur.

Commendaverat extremâ voce nepotibus Carolo & Ferdinando fidem Orthodoxam. Devotissimus erga S. Georgium Martyrem semper fuit, & sub ejus ara Neostadij sepeliri voluit. Post disceptationem, Carolusnè Archidux Austriæ, an Franciscus I. Galliæ Rex in Imperatorem eligendus sit; antefertur Archidux Carolus & suffragijs omnium conspirantibus, Imperator à Truchsesio Decano Moguntinensi proclamatur.

An: 1520. Carolus Archidux Aquisgrani coronatur. SS. tres Reges Coloniæ piè visitavit, estque more Majorum in Metropolitanum Collegium adoptatus. Ibi cùm Reipublicæ constituendæ *gratiâ degit, ad* SS. trium Regum diem & honorem teste Surio ad annum 1521. Comitia indixit, ut SS. Regibus auspicibus perturbatum Imperij statum facilius componeret. In illis comitijs hæresis Lutheri oppugnata est, statutumque eam abolendam & Orthodoxam retinendam esse, quæ fusè Jacobus Masenius Lib. 1. Historiarum Caroli V. & Ferdinandi Imperatoris prosequitur.

An: 1522. Hadrianus Florentius Ultrajectinus Caroli V. olim præceptor, eóque procurante, Cardinalis, absens eligitur in Pontificem.

An: 1523. Concedit Regibus Hispaniæ jus præsentandi Episcopos, & Regibus Castellæ præsentationem perpetuam trium Ordinum militarium.

An: 1524. Carolus Cæsar fovet Ordinem Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum, confirmátque gratias, à Regibus Aragoniæ & Castellæ Ordini prædicto olim concessas. Eodem anno Margarita Cæsaris amita Nivellæ in Brabantia fundat Cœnobium FF. Minorum sub titulo Immaculatæ Conceptionis.

An: 1525. Carolus V. Cæsar agit pro Canonizatione Jacobi Picentis apud Romanum Pontificem. Festo S. Matthiæ Apostoli ad Ticinum capitur Franciscus I. Galliæ Rex, & in Hispaniam captivus abducitur. Tam inusitatæ felicitatis ubi nuntium Cæsar accepisset, omnem triumphalem apparatum recusavit, triduumque insigni Pietate, inter solennes publicasque comprecationes, exegit.

Cùm

Cùm anno 1522. Insulam Rhodum Equites Hospitalarij amisissent

An: 1526. Melitam Insulam, à qua postea Equites Melitenses sunt dicti, à Carolo V. Cæsare in bonum & defensionem Christianitatis accipiunt. Mauri edicto publico pelluntur ex Hispania. Joanni III. Regi Lusitaniæ jungitur Catharina Soror Caroli V. Cæsaris.

Occiso anno superiore Ludovico Rege Ungariæ & Bohemiæ qui, Caroli V. & Ferdinandi fratris in conjugio Mariam Sororem habebat,

An: 1527. succedit Ferdinandus. In utroque Regno quæ ad propositum gesta sunt, amplum scribendi argumentum præbent, & vel unum Regnum Bohemiæ de conservatione fidei Orthodoxæ ejusque promovendæ grandem Tomum scribendi postulat. Maximilianus Archidux dein Cæsar hujus nominis II. nascitur Viennæ.

An: 1528. Joannes Waiwoda Ungariæ, contra Ferdinandum Archiducem in Ungariæ Regem electum, prælio ad Toccajum victus fugatusque, in Polonia exulare cogitur, Pro restitutione sui in Regnum, Turcarum opem magno Patriæ damno implorat; unde factum, ut Cæsar turbatas in Germania res, tranquillitate aliquâ componere, ad vires in Turcam colligendas, festinaret.

An: 1529. Adest cum magno exercitu Turca, & primarias Ungariæ urbes occupat; obsidet & Viennam, sed irrito conatu retrocedere cogitur.

An: 1530. Ferdinandus Archidux confirmat privilegia Episcopatûs & Capituli Labacensis. Moritur Margarita filia Maximiliani I. Cæsaris, literarum & literatorum magna æstimatrix; cujus etiam liberalitate complura Monasteria in Belgio fundata, vel restaurata aut locupletata sunt. Carolus V. Bononiæ à Clemente VII. die 24. Februarij quâ natus est, & Franciscum I. Galliæ Regem prælio Ticinensi vicit, ferreâ in sacello Pontificis, aureâ publicè coronâ donatur.

An: 1531. Ferdinandus Ungariæ & Bohemiæ Rex adlaborante Carolo V. Imperatore Coloniæ Agrippinæ in Regem Romanorum sub auspicijs SS. Regum in ipsorum basilica, pro festo eorum designatur & intra octavam Epiphaniæ Aquisgrani coronatur, atque in Collegium Canonicorum adoptatur. Ità singulis seculis, ex quo Sancti Reges Coloniam sunt translati, eorum Sacræ Reliquiæ sunt ab Imperatoribus magnâ religione honoratæ.

An: 1532. Carolus Cæsar Anabaptistas in Deum & B. M. V. blasphemos persequitur & in eosdem certas pænas statuit. Conventum Ratisbonæ celebrat, primámque pacem cum Protestantibus concludit, spe auxiliorum contra Turcas promissorum. Solymannus Turcarum Cæsar immenso comparato exercitu in Austriam movet; sed adventu Caroli

roli Cæſaris territus retrocedit, dicens: *Non te ego, Carole, ſed tuam fortunam reformido.*

An: 1533. Ferdinandus Romanorum Rex confirmat titulum Principis Epiſcopo Labacenſi, & mandat, ut domus Epiſcopalis nominetur Palatium, ijſdemque privilegijs gaudeat, quibus alia Principum Palatia.

An: 1534. Initia ſuæ Religionis Societas Jeſu numerat, quæ poſt Deum ſua incrementa, & progreſſus, in utroque orbe potiſſimùm Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ debet adſcribere. Naſcitur Eleonora filia Ferdinandi I. Romanorum Regis, Nupſit Wilhelmo Gonzagæ, Principi Mantuæ; quæ quamdiu corpore valeret, quot hebdomadis tertiò ſe flagellabat uſque dum pſalmum quinquageſimum cum oratione dominica & ſalutatione Angelica abſolveret, ità ut dorſum ejus à morte planè lacerum inveniretur.

An: 1535. Carolus V. Imperator claſſe in Africam traijcit, Barbaroſſam prælio ſuperat & Tunetum expugnat. In hac expeditione, interrogatus quem tandem Capitaneum Generalem renuntiaturus eſſet: ſublatâ coram adſtantibus Crucifixi Chriſti ſtatuâ: *hunc*, inquit, *cujus ego ſignifer ſum.* Potitus victoriâ & Neapolim ſolenniter ingreſſus tantam in veſtitu teſtatus eſt modeſtiam ut à plebeio differret nihil.

An: 1536. Idibus Aprilis Cæſar triumphali apparatu Romam ingreſſus poſt vota ad Principis Apoſtolorum ſepulchrum poſita alterum penè diem cum Pontifice in privatarum publicarumque rerum conſilia abſumit. Paſchalibus deinde feſtis pietatem impensè colit, abjectus ſolemni Dominicæ Cænæ die, ad pauperum 12. extergendos pedes, quos non minùs ſua humanitate, quàm liberalitate recreat, argenteâ ſupellectili, ex qua eis cibum miniſtrat, in eoſdem diviſa. Die verò Reſurgenti Chriſto ſacrâ Imperatoris ornamentis decorus, Pontifici divinis operanti miniſter adſtat, ac deinde in proximo conclavi quò à ſacrificio ſolennem cultum poſiturus receptus eſt Pontifex; in circumfuſa Legatorum Principum Cardinaliumque corona Orationem bene longam Hiſpanico ſermone orditur; cauſas bellorum & diſſenſionum in Franciſcum I. Galliæ Regem derivat, optatque duello litem finiri, ut multorum ſangvini parcatur. Optat arma in Turcas ſociari. Oſtendit nullo hactenus emolumento bellorum inter utroſque pugnari &c.

An; 1537. Galliæ Rex Franciſcus Turcas contra Auſtriacam Domum ſolicitat, cum ijſque turpiſſimum fœdus init.

An: 1538. Initum eſt nobile inter Chriſtianos fædus, quod tamen ſocordiâ & proditione unius ex Ducibus diſturbatur.

An: 1539. Gandavenſes in Belgio tumultuantur contra Carolum Cæſa-

Cæſarem hoc tempore viduum & iter per Galliam, datâ fide à Rege Franciſco de eo non captivando, habentem; qui cùm Franciſci Regis juſſu ubique regio ſplendore exciperetur, factum eſt quadam in arce, ut in cubiculum, in quo Carolo lectus paratus erat, genere & formæ venuſtate nobilis Virgo adduceretur: Quam ubi Cæſar veſperi trementem gementémque reperit, eóque invitis Parentibus adductam intelligit, intactam mox Parentibus remittit, & dein bello orto arcem illam deſtruit.

An: 1540. Religio Clericorum Societatis Jesu à Paulo III. Pontifice confirmatur, cujus operâ ad debellandas hæreſes in Eccleſia plurimum uſi ſunt Carolus V. Imperator & ejus Frater Ferdinandus Romanorum Ungariæ & Bohemiæ Rex. Neque laude ſuâ defraudanda eſt Catharina horum ſoror, Regina Luſitaniæ; quæ ubi S. Franciſco Xaverio innotuiſſet munificentiâ ſuâ magnum in Indijs rei Catholicæ per eundem fecit incrementum.

An: 1541. Conflagrat arx Pragenſis & ex hoc infortunio Ferdinandi I. Regis munificentia in Eccleſiam D. Viti Martyris enituit, ſicut, Eliſabethæ filiæ Maximiliani II. Cæſaris in reſtaurandâ Capella Omnium Sanctorum in Caſtro Pragenſi.

Cæſar Tunetanâ victoriâ animatus; rurſus alteram in Africam expeditionem ſuſcipit, ſed variante fortunâ, exercitu ſævitiâ tempeſtatis attrito, remeat in Hiſpaniam, dicens: *malle ſe unum Chriſtianum ſervare, quàm mille barbaros trucidare.*

An: 1542. & ſubſequentibns duobus in id unum Carolus V. & Ferdinandus Fratres incunbunt ut Religionem Orthodoxam per Imperium ſervent ſicut Ungariam ab imcurſione Turcarum.

Ineunte anno 1544. cùm Carolus Cæſar è Belgio Spiram ad comitia tenderet monumentum argenteum SS. Regibus Coloniæ offert. Videtur id ob bellum Juliacenſe toties recrudeſcens & anno præcedente feliciter recepto Geldriæ Ducatu, confectum, ex voto anathema conſecrâſſe, pro ſecundiore etiam comitiorum Spirenſium eventu: quibus DEUS adſpiravit: nam ex voto ſeptemvirale totum præſens Collegium cum Proceribus Germaniæ ſummâ voluntate Cæſari promiſit ſemeſtri ſpatio exercitui ſe de neceſſarijs proviſurum.

An: 1545. Concilió Generali Tridentino, cujus ſummi promotores erant Carolus V. & Ferdinandus Rex, initium datum.

An: 1546. Acatholici Germaniæ Principes colligunt militem & arma adverſus Cæſarem ſumunt. Cæduntur anno ſequenti à Cæſare uſurpatis illâ ipsâ horâ quâ victoriam adeptus fuerat C. Cæſaris verbis, ſed Chriſtianâ modeſtiâ & pietate commutatis. *Veni*, inquit, *vidi*, *Deus vicit.*

vicit. Gratulatur Cæsari Pontifex victoriam & cognomen *Maximi* & *Fortissimi* confert.

Moritur fine Januarij An: 1547. Anna conjux Ferdinandi I. Romanorum Regis; post cujus mortem in Ædem Lauretanam misit argenteam Beatæ Virginis effigiem sesquipedalem pondo XXXI. cujus pedibus advoluta est Anna Bohemiæ Regina.

Idem Ferdinandus Bohemiæ Rex quòd se bello Schmalcaldico seu Religionis, Plsna non immiscuerit, *Primatum* ei præ cæteris Civitatibus in Bohemia, post Veterem & Novam Pragam, in omnibus Comitijs & publicis Actibus confert. Idem confirmans gloriosam illam Bullam Sigismundi Cæsaris, lapidem quasi fundamentalem omnium encomiorum Plsnæ, ait, se hoc facere ob Zelum Catholicæ fidei.

An: 1548. Maximilianus Archidux filius Ferdinandi I. Cæsaris nuptias celebrat cum Maria filia Caroli V. Cæsaris. Ex hoc matrimonio natæ Margarita & Elisabetha filiæ quarum vitæ supra describuntur.

An: 1549. Ferdinandus Romanorum & Bohemiæ Rex omnimodè Religioni subvenire conatur.

An: 1550. Feliciter negotium hoc in Austria tractare incipit datis ad S. Ignatium Societatis Jesu Fundatorem literis, quibus mitti Viennam Socios aliquot ad Collegium inchoandum postulat.

An: 1551. Carolus Cæsar totô Belgio hæresim proscribere pergit.

An: 1552. In comitijs omnium Ordinum Bohemiæ Rege ipso Ferdinando præsente libera testandi Facultas in Bohemia Parochis conceditur.

Anno 1553. Maria Henrici VIII. Angliæ Regis filia, Philippo II. Hispaniarum Regi nubit, & ambo fidem Orthodoxam in Anglia promovent.

An: 1554. Magno studiô agit Capitulum Pragense apud Ferdinandum I. Regem Bohemiæ, pro restauratione sedis Archi-Episcopatûs Pragensis tum etiam circa alia, per quæ Religio Catholica, quantocyus juvari, & ex adverso hæreses tantò facilius extirpari possint.

Sub finem anni 1555. Carolus V. Cæsar Bruxellis Belgicas Provincias Philippo filio suo cedit, cui etiam Religionis & æquitatis studium impensè commendat. Sequitur dein aliarum Provinciarum & Regnorum abdicatio.

An: 1556. Summâ voluntate suâ etiam Cæsaream dignitatem abdicat. Societas Jesu Pragam à Ferdinando I. Romanorum Imperatore in subsidium fidei Orthodoxæ vocatur.

Anno 1557. Privatam & piam vitam in Cænobio D. Justi apud Eremitas D. Hieronymi in solitudine agit Carolus uni Deo salutique suæ ultimum ætatis consecraturus.

An:

An: 1558. Moritur in Hispania Carolus V. Imperator in secessu religioso ad S. Justum: maximus Deiparæ & Sanctorum cultor, qui Coloniæ sæpius S. Ursulam & socias ejus invisit, & piè veneratus est, utque in hispaniæ regna quarundam earum lipsana transferrentur, Pontificiâ authoritate impetravit. Moriuntur quoque Maria & Eleonora Caroli V. Imperatoris sorores. Feliciter Philippus II. in Hispania imperat, & ob memoriam victoriæ quam de Henrico II. Galliarum Rege ad S. Quintinum retulit celeberrimum Cænobium in Escuriali erigere constituit. Vide paginam 488. ubi annus 1557. notatus est.

An: 1560. Restauratur per Ferdinandum I. Archi-Episcopatus Pragensis, & per ejusdem consensum Pragæ Seminarium seu Convictus Clericorum sub cura Religiosorum Societatis Jesu erigitur. Munificentiâ in hunc locum inter Austriacos Principes primatum tenet Ferdinandus II. Cæsar, à quo Fundatio Ferdinandea procedit, ad quam etiam fine anni 1657. favore Augustissimi Leopoldi I. Cæsaris tunc adhuc Ungariæ & Bohemiæ Regis sum adoptatus, ibique pro scribendis historijs prima fundamenta jeci.

An: 1561. Ferdinandus I. Bohemiæ Rex à Ferdinando filio suo Bohemiæ Gubernatore postulat, ut pro convertendis Judæis conciones in eorum civitate per Societatem Jesu fiant. Philippus II. Hispaniarum Rex maximum studium impendit in conservationem fidei orthodoxæ, erectis jam ante in hunc finem pluribus per Belgium Episcopatibus.

An: 1562. Laudatur solicitudo Ferdinandi I. Bohemiæ Regis in promovenda Religione Catholica. Mittitur ab eo Antonius Archi-Episcopus Pragensis ut Concilio Tridentino intersit, Duacensis in Belgio Universitas (alij ad annum sequentem referunt) munificentiâ Philippi II. Hispaniarum Regis instituitur & annuis pensionibus Professores dotantur. Eligitur Maximilianus filius Ferdinandi I. Cæsaris in Regem Romanorum.

An: 1563. Dedicatio templi Sanctæ Crucis Oeniponti celebratur, & finis Consilio Tridentino imponitur.

An: 1564. Moritur Ferdinandus I. Cæsar firmissima Orthodoxæ Religionis columna, Succedit in Imperio & Regnis Maximilianus.

An: 1565. Solennes Exequiæ Pragæ pro Ferdinando I. Cæsare & Bohemiæ Rege fiunt. Maximilianus II. Cæsar Religionem Catholicam & literas promovere operâ Societatis Jesu conatur. Philippus II. in carceribus Sacella ædificat. Vox ejus generosa & plenissima pietate dum in Belgio libertas Religionis petitur. Ejusdem devotio erga S. Evgenium Martyrem.

An: 1566. Nascitur Philippo II. Reg. Hispaniarum filia Isabella Clara

ra Evgenia: poſtea Belgij Gubernatrix & maximarum virtutum heroina. Fit aperta rebellio in Belgio indeque belli diuturni origo.

An: 1567. Moritur Hallæ Margarita filia Ferdinandi I. Cæſaris. Duxit vitam cælibem, & maximis virtutibus floruit. Maximilianus II. Cæſar approbat Fundationem Collegij Olomucenſis.

An: 1568. Caroli Archiducis ſtudium fidei Catholicæ propagandæ in Styria, præſertim Græcij, laudatur. Eò Viros Societatis Jeſu advocare ſtudet. Datur initium Virginibus Carmelitanis per S. Tereſiam, quæ annis ſubſequentibus magnum favorem & munificentiam Domûs Auſtriacæ experiuntur.

An: 1569. Singularem favorem in literas & literatos oſtendit Maximilianus II. Cæſar. Conatur Bibliothecam ſuorum prædeceſſorum Viennæ augere.

An: 1570. Pragæ viſitantur Sepulchra feriâ ſextâ majoris hebdomadæ per Ferdinandum Archiducem Auſtriæ & filiam Imperatoris.

Anno 1571. Magdalena, Margarita, Helena, filiæ Ferdinandi I. Cæſaris Hallæ in Comitatu Tyrollenſi fundant Collegium Societati Jeſu. Ibidem ſola Magdalena Parthenonem nobilium perſonarum inſtituit, quibus etiam præeſt. Vita hujus Magdalenæ ſingulari *opuſculo* impreſſa habetur.

Carolus Archidux & Dux ſtyriæ fit ſponſus Mariæ Duciſſæ Bavariæ. Fœdus inter Pium V. Pontificem, Philippum II. Hiſpaniæ Regem, Rempublicam Venetam conflatur & ad Naupactum celeberrima de Turcis victoria refertur.

An: 1572. Approbatur à Pio V. Congregatio Fratrum *Charitatis* ſeu *Miſericordiæ* & in eam favores Domûs Auſtriacæ. Favor Maximiliani II. Cæſaris in Ungaria in Virgines Dominicanas.

Anno 1573. Eximia pietas Laureti Joannæ filiæ Ferdinandi I. Cæſaris laudatur. In Belgio Philippus II. de fœderatis celebrem victoriam reportat.

An: 1574. Nuptiæ Chriſtiernæ filiæ Caroli Archiducis Auſtriæ cum Sigiſmundo Batorio celebrantur. Cælibem dein vitam agit Chriſtierna Hallæ in Parthenone Virginum & Virginibus præeſt.

An: 1575. Rudolphus filius Maximiliani II. Cæſaris in Regem Bohemiæ coronatur. Carolus Archidux Ferdinandi II. Cæſaris parens inſignem cultum Viennæ feſto Theophoriæ SS. Evchariſtiæ exhibet. Maria Caroli V. Cæſaris filia & Maximiliani II. Conjux annum Jubilei Pragæ ſingulari Pietate & humilitate peragit.

An: 1576. Moritur Ratisbonæ Maximilianus II. Cæſar ſingularis literarum fautor. Rudolphus filius ei in Imperio & Regnis ſuccedit.

An: 1577. Maximilianus Cæſar ad ſepulturam Pragam defertur; cui

cui Rudolphus filius cum tribus Fratribus Germanis & Mariâ Matre præſentibus in Templo S. Viti ſolennem Miſſam per Epiſcopum Olomucenſem curat.

Societas Jeſu favores Rudolphi Cæſaris & Caroli Archiducis, Styriæ Domini, hujus Græcij in Styria, illius Brunæ in Moravia experitur.

An: 1578. Naſcitur Carolo Archiduci filius Ferdinandus poſtea nominis hujus Secundus Cæſar. Moriuntur Catharina Philippi I. Regis Hiſpaniæ filia, & Joanna filia Ferdinandi I. Opicius hæreticus Miniſter Viennâ Zelo Rudolphi II. Cæſaris pellitur, ejuſdemque Cæſaris operâ Coloniæ comitia pro pace facienda in Belgio habentur.

An: 1579. Caroloſtadium ad reprimendas Turcarum excurſiones à Carolo Archiduce & Styriæ Domino excitatur. Quidam initium ad annum 1577. referunt & ſvaſu Rudolphi Cæſaris factum eſſe putant.

An: 1580. Rudolphus Cæſar Ablegatis ad ſe Plſnenſibus in certo negotio pollicetur diſertis verbis: *Expediemus vos in favorem omnium Catholicorum.* Idem Cæſar ait, ſe ob conſtantiam in fide Plſnenſes ſingulos facere capaces Tabularum Regni: ità tamen, ut nullus Hæreticus apud eos toleretur, non mittantur proles ad partes Hæreticas, nulli libri Hæretici inferantur. Philippus II. Rex Hiſpaniarum fundat Abbatiam B. M. V. Lauretanæ in ipſa urbe & Academia Salmanticenſi Ordini Ciſtercienſi.

Poſtulatur in Coadjutorem Brixienſem Andreas Ferdinandi Archiducis Comitis Tyrolenſis filius tunc jam S. R. E. Cardinalis.

An: 1581. Rudolphus Cæſar hæreticos Pickarditas in Bohemia compeſcere incipit. Naſcitur Gregoria Maximiliana quartogenita Caroli Archiducis; anno dein 1597. defuncta eodem die quo nuptiæ celebrari debebant cum Philippo III. Hiſpaniæ Infante.

An: 1582. Naſcitur Eleonora Carolo Archiduci; ejus verba quæ protulit ultimò visâ SS. Evchariſtiâ ſunt. *Felicem me reputo* (erroneè Typographus impreſſit *repeto*) *cui quod pulcherrimum in orbe ſit, ultimum conſpicere datum, Pereant oculi, qui Evchariſtiam ſunt intuiti, vel hoc ipſo jam beati ſunt.* Vide paginam 492. & paginâ ſequenti *pro* ſecutus, *lege* ſecuta.

Eodem an: cùm Philippus II. Hiſpaniarum Rex edicto prohibuiſſet, nè quis ex ſuis Provincijs Belgicis ad alias Academias & Scholas ſtudiorum gratiâ quàm ſibi ſubjectas accederet, Romanam communem omnium patriam & Studiorum matrem ab hac prohibitione excepit. Fundatur Viennæ Clariſſarum Cænobium S. Mariæ de Angelis per Eliſabetham Maximiliani II. Cæſaris filiam.

An: 1583. Rudolphus Cæſar ex Moravia Pickardos hæreticos eliminare ſtudet. Philippus II. Hiſpaniarum Rex

Jam An: 1581. in Regem Lusitanorum coronatus Lusitanos in Philippi filij sui verba jurare facit. Inde imposito cum summa potestate, Lusitaniæ regimini Alberto Cardinale Austriaco, Mariæ Augustæ Sororis suæ filio, Fratreque Rudolphi II. Cæsaris, in Regnum Castellæ redit.

An: 1584. Rudolphus Cæsar Calendarium novum in terras suas inducit. Gebhardum Septemvirum Coloniensem, utpote à fide Apostatam non solùm è Septemviratûs Collegio, sed & ab Imperij finibus proscribit. Nascitur Margarita Archiducissa postea Regina Hispaniæ. Elisabethæ filiæ Maximiliani II. Cæsaris in B. V. Cellensem Pietas commendatur.

An: 1585. Maximilianus Archidux declaratur Supremus Magister Ordinis Tevtonici, & Insigne Austriacum Ordini adjungit. Occiso Superiore anno Auriaco confæderatorúm capite, Philippus Rex in Belgio Noviomagum, Bruxellas, Mechliniam, ipsamque Antverpiam Duce Alexandro Farnesio gloriosè expugnat.

An: 1586. Occupat eâdem felicitate Venlonam, Graviam, Novesium, resque confæderatorum nutare facit. Nascitur Leopoldus Archidux pièque à parentibus Carolo & Anna Bavara educatur.

An: 1587. Maximilianus Archidux à parte Polonorum Rex Poloniæ in locum defuncti Stephani Bathorei proclamatur; sed ex infelici prælio cum Polonis adversæ electorum partis commisso fugatur, & captivus tenetur. De captivo quid Elisabetha soror prædixerit, paginâ 429. retuli.

An: 1588. Corpus S. Procopij magnâ cum solennitate Pragam adfertur, & in Ecclesia Omnium Sanctorum in Castro Pragensi collocatur. Processioni venerabundus Rudolphus Cæsar ipse aderat. Marburgô quoque ubi hactenus corpus S. Elisabethæ Viduæ jacuerat, Elisabethâ filiâ Maximiliani II. Cæsaris apud Fratrem Maximilianum Ordinis Tevtonici Magistrum agente, Sacræ Reliquiæ Viennam adferuntur, & in Ecclesia cum Cænobio ab ipsa fundato religiosè deponuntur. Agente Philippo II. Hispaniarum Rege adscribitur numero Sanctorum Beatus Didacus Ordinis S. Francisci strictioris Observantiæ. Clasis contra Anglos à Philippo II. Hispan. Rege ità instructa, ut vix hactenus sibi similem habuerit, tempestate mergitur, & in hoc damno admiranda Philippi II. patientia & constantia.

An: 1589. Rudolphus II. Cæsar in Ecclesia Metropolitana Pragæ Mausolæum erigit & Regum Bohemiæ demortuorum corpora in illud inferri religiosè cupit. Idem præclarissimam munificentiam ratione vinearum in Pragenses exercet.

An: 1590. Moritur Carolus Archidux Austriæ Ferdinandi II. Cæsa-

ris

ris pijſſimus Parens. Moritur etiam Magdalena Ferdinandi I. filia, de qua ad annum 1571. dictum eſt.

An: 1591. Ferdinandus Archidux finem ſtudiorum ſuorum cum præclara commendatione Univerſitatis Ingolſtadienſis imponit. Amurathes Turcarum Imperator bellum contra Cæſarem Rudolphum parat; cui Philippus II. Rex Hiſpaniarum ſubſidium pecuniæ liberaliter præſtat.

An: 1592. Moritur Eliſabetha filia Maximiliani II. Cæſaris, matronarum ac virginum præcipuum decus. Jacet Viennæ in fundatione ſua. Vitam ejus paginâ 427. vide deſcriptam. In Monte Serrato Eximiâ pietate Virginem Deiparam Philippus II. Rex Hiſpaniarum colit, & erga eandem ſe munificum exhibet. Idem claſſem Anglicam grandi victoriâ profligat.

An: 1593. Obit Catharina filia Caroli Archiducis. Philippus II. Rex Hiſpan: Romæ agit pro canonizatione B. Iſidori. Religioſis Cappucinis Oeniponti per Ferdinandum Archiducem Monaſterium erigitur. Feliciter Rudolphus II. in Ungaria contra Turcas pugnat.

An: 1594. Finem vivendi facit Eleonora Duciſſa Mantuæ, Ferdinandi I. Cæſaris filia, Matrona multis & raris virtutibus. Rudolphus II. Cæſar Neo Pragæ Monaſterium Slowanenſe hæreticis eripit & Catholicis tradit.

An: 1595. E vivis abit Erneſtus Archidux Belgij Moderator. Item Oeniponti, Ferdinandus filius Ferdinandi I. Cæſaris.

An: 1596. Mortuô Erneſto in Belgij Præfectura ſuccedit ejus Frater Albertus S. R. E. Cardinalis. Expugnat Caletum & pium mitemque in devictos ſe oſtendit.

An: 1597. Ferdinandus Archidux, Dominus Styriæ ab Epiſcopo Labacenſi, alijque ex Domo Auſtriaca à pietate multiplici commendantur.

An: 1598. Philippus II. Hiſpaniarum Rex Archidux Auſtriæ moritur Albertus Archidux depoſitâ purpurâ nubit Iſabellæ filiæ Philippi II. Hiſpaniarum Regis. Ferdinandus Dux Styriæ reformationem Religionis in terris hæreditarijs inſtituit.

An: 1599. In ſacrum ſepulchrum Domini Rudolphus Cæſar fit pius & munificus. Ferdinandus Archidux magnô Zelô continuat negotium Religionis. Margarita Auſtriaca ſoror Ferdinandi matrimonio jungitur cum Philippo III. Rege Hiſpaniarum. Viennæ Mathias & Maximilianus Fratres Archiduces piè proceſſioni Theophoricæ interſunt.

Hoc quoque anno cùm peſtis Pragæ graſſaretur, & multos mortales abſumeret; Plſnam ſe ſe Rudolphus Cæſar tranſtulit eamque per novem menſes incoluit, quo tempore ibidem Moſcorum Legatos menſe

Octobri, postea etiam fine anni Persas audivit, & munificum erga utrosque se exhibuit.

An: 1600. Moritur Romæ Andreas Cardinalis filius Ferdinandi Archiducis Austriæ Comitis Tyrolensis. Fuit idem Episcopus Brixiensis & in Ecclesiam suam pius & liberalis. Andreæ Frater Carolus Marchio Burgoviæ Sodalitatem S. Ursulæ Coloniæ ingreditur. Constanter in promovenda fide Orthodoxa Ferdinandus Archidux laborat. Augetur Ordo Cappucinorum per Austriacos Principes Viennæ, Græcij, & Pragæ demum per Rudolphum II. Cæsarem. Lintium eodem Cæsare ejusque Fratre Mathiâ favente Societas Jesu ingreditur & Festum Theophoriæ longo tempore intermissum restituit. Inde & multis alijs ex locis ministri hæreseos eijciuntur.

An: 1601. Nascitur Anna Maria Mauritia Ludovici XIV. Regis Galliarum Mater. Lincij Societas Jesu favore Archiducum Austriæ stabilem locum figit. Raymundus de Pennafort agente Rudolpho II. Cæsare & Philippo III. Hispaniarum Rege in Sanctorum numerum adscribitur.

An: 1602. Albertus & Isabella Principes munifici fiunt in erigendis Scholis Bruxellis sub Disciplina Ordinis Eremitarum S. Augustini. Ex Austria Rudolphi II. Cæsaris decreto exesse jubentur Ministri hæreticorum. Ejusdem etiam severo decreto è Bohemia pelluntur Ministri Pickardorum. Idem Cæsar favet Ordini Minorum S. Francisci strictioris observantiæ. Vide dicta paginâ 497. Idem præterea Cæsar laborat ut Ordo Minorum Egram reducatur.

An: 1603. Moritur Maria Imperatrix Caroli V. Cæsaris filia & Maximiliani II. Cæsaris conjux, Vide de ea dicta paginâ 162. & ibi corrige errorem Typographi, qui posuit *Kehenvviller* pro *Kevvenhiller*, sicut etiam ubi mentio fit Philippi II. Regis Hispaniarum fratris Mariæ, paginâ 462. *lege* pro Cordulæ *Cordubæ.* Mariæ Matri Rudolphus Cæsar piè Pragæ Exequias celebrat. Archi Episcopo Pragensi titulum Principis restituit. Maximilianus Cæsaris Frater Romam voti solvendi causâ proficiscitur, & belli subsidia contra Turcam impetrat.

An: 1604. Philippus III. Rex Hispaniarum pro continuando bello in Ungaria adversus Turcàs ducenta aureorum millia offert. In Flandria post triennalem obsidionem Ostenda deditionem facit. Inibi Alberti & Isabellæ, proscriptâ mox hæresi, Pietas. Bruxellis memorati Principes Societati Jesu in erigendo templo & Scholis favent; item Virginibus Ordinis S. Benedicti eodem in loco ædificando Monasterium. Pro Beata Coleta Officium Ecclesiasticum recitandum à Clemente VIII. impetrat Serenissima Isabella Belgij Princeps. Clagenfurtum inducitur Societas Jesu, & fides Catholica promovetur.

An: 1605. Græcium Reliquiæ Sanctæ Hildegardis agente Ferdinando Archiduce & ejus pientissimâ Matre solenniter afferuntur. Continuat Ferdinandus Archidux in terris hæreditarijs reformationem Religionis. Philippo III. Regi Hispaniarum, filius ejusdem nominis ex Margarita Ferdinandi sorore nascitur. Botskajus contra Rudolphum Cæsarem arma sumit & Coronam Regni Ungariæ sibi usurpat.

An: 1606. Rudolphus Cæsar contra Botskajum agit in favorem Societatis ut in Ungaria servetur. Lincij Mathiæ Archiducis favore Patres Cappucini sedem figunt, quibus etiam ejusdem munificentiâ Monasterium cum Templo ædificatur. Madriti Patribus Franciscanis Strictioris observantæ Philippus III. etiam sacras ædes erigit, idemque Rex pium erga Pontificem, inter quem & Venetorum Rempublicam tunc bellum intercedebat, se exhibet. Moritur literatissimus Justus Lipsius, in quem honores & stipendia liberaliter Austriaca Domus conferre solita est.

Nascitur eodem annoMaria filia Philippi III. Regis Hispaniarum, coniux deinde Ferdinandi III. Cæsaris & Mater Augustissimi Leopoldi.

An: 1607. fit Episcopus Argentinensis Leopoldus Archidux Caroli Ducis Styriæ filius; cujus in Societatem Jesu & in literas singularis amor elucebat. Philippus III. Neyo FranciscanoStrictioris observantiæ pro erigenda Bibliotheca viginti aureorum millia offert. Datur initium pacificationis inter Albertum Archiducem & Ordines Batavos.

An: 1608. Carolus Archidux agente Rudolpho II. Cæsare fitEpiscopus Wratislaviensis & Divam Virginem Wartensem donis prosequitur. Moritur Ferdinandi Archiducis Maria Mater; in vita & post mortem à Ferdinando summè honorata. Eidem Ferdinando nascitur filius dictus etiam Ferdinandus nominis hujus dein Imperator tertius. In Hispania Philippus III. Philippum IV. filium natu maximum necdum trimulum Madriti Regem, & successorem suorum regnorum renunciat.

An: 1609. Occasione Induciarum duodecennalium inter Hispanos, & Batavos; Albertus & IsabellaDeiparamVirginem in Aspero colle donis honorant.

An: 1610. Hispaniâ totâ Philippus III. Rex Mauros, Deiparæ capitales hostes eijcit. Expulsorum capita ad novies centena millia dicuntur numerata. Leopoldus Episcopus Argentinensis & Passaviensis Boleslaviam ad diem B. M. V. in cælum Assumptæ peregrinatur.

Rara devotio erga SS. Evcharistiam Ferdinandi Archiducis Pragæ, & celebris in Hispania supplicatio ob expulsos Mauros. Humanitas mira Rudolphi Cæsaris erga fratrem Mathiam.

An: 1611. Margarita conjux Philippi III. Regis Hispaniarum Madriti

ti Monialibus (quas Recollectas appellamus) Monasterium fundat. Brevì post hanc munificentiam vitâ fungitur, quæ totâ vitâ suâ singularissimam devotionem erga Beatissimam Dei Genitricem ostendit. Nuptias celebrat Mathias Archidux cum Anna filiâ Ferdinandi Archiducis Austriæ & Comitis Tyrolensis. Nascitur Cæcilia Renata Ferdinando Duci Styriæ, postea sponsa Wladislai IV. Poloniæ Regis.

An: 1612. Rudolphus II. Imperator olim gloriosissimus, & tum diuturnitate Imperij, tum rerumgestarum gloriâ felicissimus, mœrore & curis confectus extinquitur.

Mathias eodem anno Francofurti Rex Romanorum electus, ibidem coronatur. Albertus Archidux corpus S. Alberti Episcopi Leodiensis Bruxellas transfert, adhibitis proprijs etiam humeris.

An: 1613. Mathias Imperator obedientiam præstat summo Pontifici per Episcopum Bambergensem. Anna conjux in Reginam Ungariæ coronatur. Carolus Archidux postulatur pro Episcopatu Brixiensi. Leopoldus Archidux Episcopus Passaviensis PP. Franciscanos Strictioris observantiæ Passavium inducit, eosque suâ munificentiâ fovet.

An: 1614. Belgium ingrediuntur Patres *Minimi* faventibus Principibus Albertô & Isabellâ; Viennam favente Mathiâ Cæsare & Ferdinando Archiduce Fratres *Misericordiæ*. Nascitur Leopoldus Wilhelmus Archidux, postea Episcopus Passaviensis, Argentinensis, Olomucensis & Wratislaviensis &c. Cæsare Mathiâ præsente Comitia, ob pestem Pragæ regnantem, Budvicij celebrantur, ubi Cæsar cum conjuge Anna Cappucinis Monasterium ædificat. Idem Cæsar Aquisgrani pro statu Catholicorum contra adversarios laborat; Viennam inductum hæreticum Ministrum ex Ecclesia Divi Udalrici decretô pellit.

An: 1615. Ferdinandus Archidux Caroli II. Archiducis filius, venatum pergens sacerdoti Evcharistiam bajulanti obvius, eundem pedes notabili luteoque itinere summâ devotione ac reverentiâ comitatur. Vide paginam 476. Maximilianus Archidux Oeniponti in Ecclesiam Parochialem, in Pauperes & Gymnasium munificentiam suam declarat. Albertus & Isabella Belgij Principes devotionem suam erga S Lidvinam ostendunt.

An: 1616. 10. Januarij Anna Cæsaris Mathiæ conjunx Pragæ coronatur.

Hoc quoque anno Capitulum Collegiatæ Boleslaviensis Ecclesiæ Divinæ Matris, cælesti, ut par est, instinctu, atque etiam gloriâ miraculorum, & frequentibus Catholici populi supplicationibus permotum, consilium cœpit veteri Cellâ potiùs quàm Ecclesiâ dirutâ, Basilicæ ejusdem Virginis honori extruendæ. Cujus operis primam & liberalissimam adjutricem se se obtulit Anna Imperatrix. In hunc etiam

am annum incidit fundatio Annæ Imperatricis in Convictu Pragensi.

An: 1617. Coronatur in Regem Bohemiæ Ferdinandus II. Archidux Austriæ & Dominus Styriæ. Cæsar cum novo Rege Dresdam pergit de convocatione Electorum & successione acturus. Maximilianus Archidux Pileum Ducalem S. Leopoldi Claustro Neoburgi pretiosis lapidibus ornat & de eo inde, non nisì ad præfinitum tempus transferendo, Bullam à Paulo V. procurat. Bellum cruentissimum gerere cogitur Ferdinandus Archidux & Bohemiæ Rex cum Venetorum Republica.

An: 1618. Turbæ Bohemicæ causâ Religionis exoriuntur; unde secutum bellum, quod annis triginta duravit. Interim Ferdinandus II. in Regem Ungariæ inauguratur.

Moritur Anna Imperatrix & Monasterij Cappucinorum Viennæ intra urbem fundatrix. Moritur quoque Maximilianus Archidux Ordinis Tevtonici Magister. Expugnatur per Bohemiæ Directores hæreticos post novem septimanas & tres dies Plsna, & gravi ære mulctatur; cui Victor deinde Ferdinandus Cæsar & Bohemiæ Rex ad solvendum lytrum donavit centum millia florenorum.

An: 1619. E vivis etiam abit Mathias Cæsar, succedit in Imperio & Regno Ungariæ & Bohemiæ Ferdinandus Archidux filius Caroli Ducis Styriæ, Ferdinandi I. Cæsaris nepos. Bellum gravissimum à subditis experitut Ferdinandus qui etiam Viennæ obsessus est, sed miraculosè servatus. Beatificatio procuratur Isidori Agricolæ per Philippum III. Regem Hispaniæ; Canonizatio autem postea, agente post mortem Regis, à Philippo IV.

An: 1620. 8. Novembris memorabili prælio ad Pragam in *Albo monte* Ferdinandus II. Cæsar vincit subditos hæreticos sibi refractarios. Ex hac proterva & execrabili hæresis rebellione suppressa, quæ pro augenda Orthodoxa Religione in terris hæreditarijs Austriacæ Domûs evenerint, deinceps explicabuntur fusissimè, si amplius scribendi argumentum scriptori submiserint ij, qui honori Augustissimæ Domûs student, & augendæ Religionis Catholicæ curam gerunt.

An: 1621. Morte sublatus est Philippus III. Hispaniarum Rex, fuit is divinæ gloriæ propagandæ studiosissimus. Vide paginâ 489. quæ de eo attulimus. Publicæ scholæ, quæ ab ipso & ejusdem Majoribus, erectæ sunt; alijs locis, narrabimus. Succedit Philippo in Regnis Hispaniarum ejusdem nominis Philippus filius nominis hujus quartus. De cujus Pietate nonnulla paginâ supra citatâ, & alijs in locis in hac Prima Annalium Parte attigimus. Fatalis idem annus fuit Alberto Belgarum Principi, & Mariæ Christiernæ Sorori Ferdinandi II. Cæsaris. Ferdinandus II. Cæsar voti causâ proficiscitur ad B. V. Cellensem.

An: 1622. Proſcribuntur ex Bohemia Acatholici miniſtri & in eorum locum ſubſtituuntur Miniſtri Catholici. Ferdinandus II. tranſit ad ſecundas nuptias cum Eleonora Mantuæ duce, & Oeniponti nuptias celebrat, modeſto apparatu, pro temporum ratione. Palatinus extorris multa in Germania contra Cæſarem molitur, ſed tandem cum ſibi adhærentibus varijs cladibus affectus, Germaniam deſerere cogitur.

An: 1623. Ferdinandus Cæſar Maximilianum Ducem Bavariæ creat Dapiferum & Electorem Imperij. Ope præſenti Numinis Tillius & Anholdus Halberſtadienſem profligant.

Calix Huſſitarum è propilæo templi Taynenſis Pragæ deponitur, & in ejus locum Effigies B. V. juſſu Cæſaris *ſubſtituitur.* Agente eodem Cæſare apud Urbanum VIII. Papam cultus S. Angeli Cuſtodis in terris hæreditarijs promovetur.

An: 1624. Imperator ob eximia merita Domûs ſuæ & favorem in Eccleſiam, Palatinatum Superiorem tradit Maximiliano Duci Bavariæ. Urbs Breda ab Ambroſio Spinola Hiſpanicarum & Belgicarum copiarum Duce obſidetur, ſed non niſi anno ſequenti, poſt impenſos ab Hiſpano in obſidione decem milliones aureorum, ad deditionem compellitur. Antverpiæ in Eccleſia Cathedrali ſumptuosè Altare majus erigit Iſabella Gubernatrix Belgij. Obit Carolus Archidux Ferdinandi II. Cæſaris Frater, Epiſcopus Brixienſis & Wratislavienſis, idemque Magnus Magiſter Ordinis Tevtonici, Princeps prudentiâ & moderatione inſignis. Inter donaria Divæ Virgini Czeſtochovienſi à Principibus viris oblatus eſt calix ex puro auro, gemmis inſertis fabrefactus, in cujus pedis convexo, legitur: *Carolus Archidux Auſtriæ, Epiſcopus VVratislavienſis B. V. MARIÆ Czæſtochovienſi DD. Anno Domini 1611.*

An: 1625. Jubilæum promulgatum Romæ, multos Principes accivit in Italiam, inter quos fuit Leopoldus Archidux, frater Ferdinandi II. Cæſaris multis gratijs per Pontificem honoratus. Idem Leopoldus reſignat Epiſcopatum Paſſavienſem & Argentinenſem, qui ambo in Leopoldum Ferdinandi II. Cæſaris filium transferuntur. Eidem Leopoldo initia ſua debet cultus Beatiſſimæ Virginis Paſſavienſis. Collegia item ſocietatis JESU Paſſavij & Molsheimij. In Sanctorum numerum ope Philippi IV. Hiſpaniarum Regis adſcribitur Eliſabetha quondam Regina Luſitaniæ. Iſabella Clara Evgenia Belgij Princeps petit inſtitui Feſtum Sanctiſſimi nominis Mariæ in Belgio. Ferdinandus III. Ferdinandi II. filius in Regem Ungariæ coronatur Sopronij.

An: 1626. Evocatus à Proteſtantibus, & concitatus, ab Anglo Daniæ Rex in Germaniam evolat, ſed ſingulas ferè pugnas ſuorum clade conſignat. Ruſticorum rebellium 70. millia Auſtriam ſuperiorem vaſtant,

vaſtant, quæ tamen brevì à Cæſarianis copijs diſperguntur, pluribus eorum interemptis. Urget Cæſar apud Magiſtratum Magdeburgenſem, ut ſacra Divi Norberti oſſa quod diu ante poſtulatum fuerat Pragam transferantur, quod ſub finem anni à Magiſtratu & plebe permiſſum eſt, ſacrumque corpus in Bohemiam deportatum & in Monaſterio Doxanenſi Monialium Ordinis Præmonſtratenſis, donec Pragæ locus Sacro pignori adornaretur relictum.

An: 1627. Omnibus Pragæ apparatis convocatiſque ex tota ferè Evropa Religioſorum Præmonſtratenſium viris primarijs, ſacrum corpus Pragam maxima cum ſolennitate defertur, & in Eccleſia Montis Sion vulgò Strahovienſi, Ordinis Præmonſtratenſis collocatur. Salisburgi intereſt Translationi S. Ruperti Archidux Leopoldus Comes & Dominus Tyrolis. Clerici S. Pauli vulgò Barnabitæ Viennam ingrediuntur & Eccleſiam Parochialem ad S. Michaelem poſſidendam favente Cæſare accipiunt. Auſtriâ eijciuntur à Fide Orthodoxa alieni. Tanto Zelo Ferdinandi Cæſaris, ut diceret: *malle ſe cum Uxore & Liberis mendicatò vivere, quàm impietatem hæreticam in ſuis Provincijs permittendo imperare.* Pragæ Cæſar Eleonoram Imperatricem die Præſentationis Beatæ Virginis Sacro, Reginam Bohemiæ, Ferdinandum verò filium paucos poſt dies Regem Bohemiæ inaugurari curat. Ad ſimilitudinem Sacræ Domûs Lauretanæ Viennæ in Eccleſia S. Auguſtini erigitur Capella, & Fundatricem agnoſcit Eleonoram Mantuanam Ferdinandi II. Cæſaris conjugem. Ab eadem fundantur Muſici qui omnibus diebus Sabbatinis Litanias figuraliter decantare tenentur, quorum annuæ penſioni ſuperaddidit Auguſtiſſimus Leopoldus ducentos florenos.

An: 1628. In *Albo monte* eô locô quô Ferdinandus Cæſar glorioſè hoſtem vicerat, fundatur pro Religione ſervorum B. V. Monaſterium, quod deinde Pragam ad S. Michaëlem probante Cæſare transfertur. Annumeratur Divis Bohemiæ Tutelaribus S. Norbertus, & à Cæſare dona anniverſariâ die Proceſſionis accepit, quam etiam præſentiâ ſuâ piè honorat. Suſcipit peregrinationem ad ſepulchrum S. Ivani, quod olim Cæſar Mathias ornavit, auguſtam verò Eccleſiam Leopoldus I. Imperator ſuperſtruxit. Viennæ Lauretanum ſacellum in Eccleſia S. Auguſtini Cruce à Cæſare ornatur, cujus pretium æſtimatum eſt mille quingentis florenis. Ab ejuſdem Cæſaris filijs Ferdinando & Leopoldo duo ſacri calices pro uſu Miſſarum offeruntur, quorum pretium exceſſit 400. Florenos. Sequebatur mox donum Ferdinandi Regis vas amplum argenteum pro aqua benedicta cum aſperſorio argenteo.

An: 1629. Bona Eccleſiaſtica per contractum Paſſavienſem repetit Imperator. Gabriel Betlen Tranſylvaniæ Princeps è vivis abit, Cæ-

ſaris etiam in teſtamento memor. De eo id teſtimonium dixit: *difficile ac dubiæ aleæ plenum opus eſſe, pugnare contra Ferdinandum, quem nec adverſa deijcerent, nec proſpera extollerent.*

An: 1630. Juſſu Imperatoris in Imperio præcipuè in ditione Wittenbergenſi Cænobia Catholicis reſtituuntur. Viennæ 15. Maij ad inſtantiam Imperatoris de mandato Urbani. VIII. Papæ Eccleſia quam hactenus Ordo Eremitarum S. Auguſtini poſſedit, traditur Patribus Diſcalceatis S. Auguſtini.

Litomericij Monaſterium Ordinis S. Dominici per Ferdinandum II. Cæſarem annuis reditibus augetur, ex quibus Novitiatus fundatur. Agit Romæ ſæpe memoratus Cæſar pro Beatificatione Joannis DEI Fundatoris Fratrum Miſericordiæ, quemadmodum ante triennium cum Philippo IV. Hiſpaniarium Rege ut tres Societatis JESU Martyres publicè Miſsâ honorentur. Excôlit donis Divam Virginem Oetingenſem Cæſar, eamque ſuorum exercituum *Generaliſſimam* appellat.

An: 1631. Moriuntnr ſorores Ferdinandi II. Cæſaris Conſtantia Sigiſmundi III. Regis Poloniæ conjux, & Magdalena Coſmo Magno Hetruriæ Duci nupta. Nuptias Viennæ Ferdinandus III. in Capella Lauretana quæ in Templo S. Auguſtini eſt, in eaque ſolenniores Ritus & Ceremoniæ, quæ coram ſuis Majeſtatibus aut etiam per ipſaſmet Majeſtates agi conſveverunt, celebrat cum Maria Infante Hiſpaniæ. Capellæ dein donat candelabra ſex argentea deaurata, quæ in pretio ratione ſolius argenti 808. florenos æquabant.

Antonius Epiſcopus Viennenſis primus à Cæſare titulo Principis ornatur. Fervet in Germania bellum Svedicum & Cæſaris ſtudium in conſervanda Religione Catholica.

An: 1632. Obit Leopoldus Archidux frater Ferdinandi II. Servorum B. V. & Societatis IESU amantiſſimus & in utroſque munificentiſſimus. Interficitur in prælio Guſtavus Sveciæ Rex acerrimus hoſtis Domûs Auſtriacæ, & à Cæſare laudatur.

An: 1633. Munificentiâ Ferdinandi II. fit Oratorium novum Viennæ in Eccleſia S. Auguſtini. Bruxellis pientiſſimè moritur Iſabella Clara Evgenia Belgij Domina, ſuccedit, ſed tantùm Gubernatoris nomine Ferdinandus Cardinalis frater Philippi IV. Regis Hiſpaniæ.

An: 1634. Ferdinandus III. In caſtris ad Ratisbonam piè Feſtum Theophoriæ celebrat. Svecos ad Nordlingam cædit, & poſt victoriam Lauretam B. V. dona mittit.

An: 1635. Maria Anna filia Ferdinandi II. Cæſaris fit ſponſa Maximiliani Ducis Bavariæ & B. V. Oetingæ donis excolit. Solenniſſima

Processio per Hispaniam honori SS. Evcharistiæ instituitur. Vide de ea pag. 479.

An: 1636. Antequam Ferdinandus II. adiret Comitia Ratisbonæ pro electione Romanorum Regis celebranda, vovet peregrinationem ad Divam Virginem Oetinganam. Fundatur Gmundæ in Austria PP. Cappucinis pietate Cæsaris Monasterium. Eligitur in Regem Romanorum Ferdinandus III. & antequam ad Electionem progrederetur, Viennæ in Templo S. Augustini majus altare curat, quemadmodum ante frater suus Leopoldus Guilielmus Episcopus Passaviensis Cathedram pro Concionatore.

An: 1637. Vitâ excedit Ferdinandus II. Imperator Pijssimus Clementissimúsque re & nomine, anno ætatis Sexagesimo primo, Imperij decimo nono. Surrogatur Ferdinandus III. filius ejus ex Maria Anna Guilielmi Bavariæ Ducis filia. Vitriæ in Litvania pro magnificâ Translatione S. Casimiri lampas aurea, utì dudum à Regina Constantia sorore Ferdinandi II. destinata fuerat per Annam Catharinam Constantiæ filiam in honorem S. Casimiri offertur.

NB. Agit de hoc pretioso dono Bollandus in Vita & Translatione S. Casimiri pag. 345. De matre S. Casimiri quæ fuit Alberti II. Cæsaris Austriaci filia, dictum est pag. 422. & seqv.

An: 1638. Pragæ adest Ferdinandus III. Cæsar, & Effigies Dei Matris magnâ gloriâ, ipso Cæsare Augustissimo comitante Boleslaviam reportatur. Nascitur Regi Hispaniarum filia Maria Theresia postea uxor Ludovici XIV. Regis Galliæ, Ludovici XV. Mater.

An: 1639. Patres Franciscani Strictioris observantiæ Javoriensem Conventum favente Ferdinando III. Cæsare recipiunt. Viennæ Religiosi, Ordinis Servorum B. V. in suburbio stationem impetrant.

An: 1640. Leopoldus Archidux Ferdinandi III. Frater militiæ Cæsareæ præest, & Sanctorum Patronorum Regni Bohemiæ sepulchra magna pietate colit atque exornat. In castris cultum SS. Evcharistiæ festo Corporis Christi promovet, & divinam opem experitur. Vide paginam 481. Augustissimus Imperator Leopoldus Viennæ 9. Junij nascitur.

An: 1641. Obit Ferdinandus Infans Hispaniæ, Cardinalis & Belgij Gubernator. Ratisbonæ Ferdinandus III. Imperator, & Maria Austriaca Imperatrix, Omnipotenti in honorem Sancti Josephi, Christi in carne Nutritij, ejusdemque Intemeratæ Matris Castissimi Sponsi, Templum & Monasterium in usum Patrum Carmelitarum Discalceorum fundant, primumque ritè ponunt lapidem, sub finem Comitiorum feliciter consumatorum.

An: 1642. Ferdinandus III. In honorem SS. Sebastiani & Rochi Viennæ

ennæ in Suburbio ædificare molitur Monaſterium & Templum Ordini S. Auguſtini, qui Eremitarum appellatur. De eo paginâ 324. diximus.

An: 1643. Leopoldus Archidux, hodie Auguſtiſſimus Imperator feliciter regnans, cùm in gingiva putreſcente circumquaque carne graviſſimos dolores pateretur, ac de vita manifeſtè periclitaretur, ubi Auguſtiſſimus Parens cum Auguſtiſſima conjuge voto ſe obſtrinxerunt erigendi Altare in Eccleſia S. Auguſtini in honorem S. Apolloniæ Virginis & Martyris, mox infans convaleſcere cœpit. Voti rei Pârentes altare erigunt expenſis in illud tribus millibus florenorum.

An: 1644. Referuntur initia Conventûs Langegenſis Ordinis ſervorum B. V. Moritur Cæcilia Renata Regina Poloniæ ſoror Ferdinandi III. Cæſaris. Honorabat præcipuo cultu Virginem Deiparam Czeſtochovienſem, cui etiam Regias veſtes ſuas, ad Eccleſiæ ornatum donavit. Quæ de Pietate Reginæ Galliæ Philippi IV. Regis Hiſpaniæ ſorore, & cultu Eucharistico ab Hiſtoricis annotata fuere, ea paginâ 493. retulimus.

An: 1645. Imperij Pacificandi gratiâ Monaſterij & Oſnaburgæ fiunt initia.

An: 1646. Lincij moritur Maria Imperatrix, quæ fuit ſoror Philippi IV. Regis Hiſp. fecit Fundationem ſingulis diebus dicendi ſex ſacra pro Auguſtiſſima utraque domo Auſtriaca. Ferdinandus IV. Coronatur in Regem Bohemiæ.

An: 1647. Ferdinandus III. Imperator, diem Decembris octavam Immaculatæ Conceptioni ſacram, non ſolùm feſto ritu à Statibus, ac univerſo populo celebrari; ſed pridiano etiam jejunio coli, ac omnium, voto Auſtriæ Patronam dici cupit. Hæc pij Cæſaris pia intentio & ſecutus ſolenniſſimus actus, quia multa in ſe complectitur, fusè quoque cum circumſtantijs ſuo loco exponetur.

An: 1648. Pax Germanica Monaſterij initur. Eodem anno pax inter Philippum IV. Hiſpaniarum Regem, & Belgij ſtatus confæderatos perficitur. Ferdinandus III. ad ſecundas nuptias tranſit, ducitque Mariam Leopoldinam Leopoldi Archiducis Tyrolenſis filiam.

An: 1649. E vivis excedit Anna Catharina ſoror Imperatricis Annæ, conjugis Mathiæ Cæſaris, quæ pridem habitum Ordinis ſervarum B. V. Oeniponti induit. Imperatrix Maria Leopoldina poſtquam filium Ferdinandum Carolum Joſephum enixa eſſet, eodem adhuc die magno Aulæ totius luctu repentè extingvitur. In honorem S. Apolloniæ Virginis & Martyris Viennæ in Eccleſia S. Auguſtini & Capella Divæ Virgini & Martyri erecta, curavit fieri pectoralem ſtatuam argenteam; cujus poſt obitum Ferdinandus III. miſit *Dentem* ejuſdem Sanctæ Virginis, quem pijſſima Imperatrix quamdiu vixit, aureæ thecæ incluſum

clusum semper in collo suo gestavit. Est ille ipse *Deus*, propter quem tanta in ea Ecclesia annuè habetur solennitas, concursúsque populi.

An: 1650. Imago Boleslaviensis Viennâ ab Impeatore modestè repetitur, & magna cum solennitate in Bohemiam remittitur. Idem Augustissimus Colosum ex lapide solido Divæ Virgini Mariæ, sinè labe originali conceptæ, in foro veteris Pragæ, erigere statiut. Ex ejusdem Monarchæ fundatione diebus sabbatinis Litaniæ Lauretanæ per Musicos Metropolitanæ Ecclesiæ, præsente uno ex Canonicis vel Prælatis & duobus Vicarijs ei assistentibus cantantur &c.

An: 1651. Matrimonium tertium celebrat Cæsar cum Eleonora, Duce Mantuana. Cæsaris Zelo in Bohemia reliquiæ hæreseos purgantur. Sufficij Templum cum Monasterio Cappucinis ejusdem Cæsaris munificentia erigitur.

An: 1652. Pragam venit Ferdinandus III. cum filio Ferdinando IV. & ambo Divam Virginem Boleslaviensem suâ præsentiâ honorant. Leopoldus Archidux frater Cæsaris cultum Matris Dolorosæ in Belgio promovere conatur.

An: 1653. Epiphania Ratisbonæ in Comitijs Germaniæ totius, Imperatoriâ magnificentiâ, in æde Cathedrali peracta est; sacrum ibidem Maximilianus Coloniensis Archi-Episcopus & Elector cecinit: aderat Ferdinandus Cæsar, qui suo in Sanctos tres Reges præcipuô studiô colendíque desiderio Symphoniam totam arte maximâ, quâ præcellebat, composuerat. Intererat eidem sacro Ferdinandus IV. eodem anno Rex Romanorum omnium Octovirorum suffragijs electus & coronatus. In Cænobio Campililiorum Ordinis Cisterciensis S. Josephi Sodalitas erigitur, cui multi ex Augustissima Familia nomina inscripsere.

An: 1654. Ferdinandus III. cultum S. Josephi publicum per Bohemiam habere desiderat. Landspergæ in Bavaria eidem Sancto candelabra argentea offert. Moritur Ferdinandus IV. Romanorum Rex.

An: 1655. Viennæ extremum vitæ suæ diem claudit Imperatrix Eleonora Mantuana Ferdinandi II. conjux & habentur solennissimæ Exequiæ pro ejus anima in Templo Aulico Viennæ munificentiâ Austriacâ. Coronatur in Regem Ungariæ Leopoldus Ignatius Archidux. Ferdinandi III. Cæsaris & Bohemiæ Regis pietas efficit, ut S. Josephus Christi in carne Nutritius in Patronum Regni assumatur, & sacra ejus dies Festo ritu per totum Regnum celebretur.

An: 1656. Festo exaltationis S. Crucis coronatur in Regem Bohemiæ Leopoldus filius Ferdinandi III. Cæsaris. Offert Cæsar Deiparæ Boleslaviæ Crucem argenteam, opus insigni artificio perfectum. Leopoldus

poldus Cæsaris Frater pro Episcopatu Wratislaviensi à Capitulo postulatur, & ad Civitatem Nissensem, Episcopalis juris, Ordinem Cappucinorum admittit.

An: 1657. 2. Aprilis Viennæ moritur Ferdinandus III. Cæsar, Princeps magnæ pietatis, fortitudinis & patientiæ in tot adversis admirabilis. Vide de eo dicta in Proëmio paginâ 57. Viscera ejus ad D. Stephani, Cor Græcij ad Ferdinandi II. Patris corpus; reliqvum Viennæ apud Cappucinos depositum est.

AD LECTOREM.

Huc usque solùm de Pietate Habspurgo-Austriaca Synopsim scribere intendebam; quia verò plurimi conatum meum animabant, ob id præsertim nè Chronologica hæc Synopsis mancum quid ac imperfectum præseferat, illud mihi in animum induci permisi, ut etiam felicissimum Leopoldi I. Cæsaris Imperium & acta pietatis variorum è Domo Austriaca oriundorum; qui per hæc tempora vixerunt, in lucem darem. Quædam, alibi jam permodum incidentis cujusdam insinuata sunt: at hìc dicenda aptiùs pro annorum sibi succedentium *serie*, unde non metuo me aliquâ horum repetitione, quia id sibi *anni succedentes* vendicant, Lectori tædiosam cramben causaturum.

CONTINUATIO ANNI 1657.

Vitâ functo Ferdinando III. Cæsare, in Ungariæ & Bohemiæ Regnis &c. Succedit Leopoldus filius, & Parenti suo justa funebria Viennæ in Ecclesia Patrum Augustianorum Discalceatorum, erecto priùs magnificentissimo Doloris Castro, persolvit. Oppressum armis svecicis Poloniæ Regem, copijs militaribus sublevat, & captas urbes Regi suo restituit. Pragam veniens, exemplo Patris sui Divam Virginem sæpius adit, & Pragæ cum Patruo Leopoldo nomen Confraternitati S. Josephi in Ecclesia *S. Mariæ de Victoria* inscribit. Philippo Hispaniarum Regi nascitur ex Anna Maria Austriaca filius, qui dictus est *Philippus Prosper.*

An: 1658. Leopoldus I. Ungariæ & Bohemiæ Rex, ætatis anno 18. Romanorum Imperator creatur; quinquagisimus à Carolo Magno, quem numerum prima Augusti nominis littera ominosè designat. Decimus quintus ex gente Austriaca, adnumerando Ferdinandum IV. qui designatus erat Imperator, quippe Rex Romanorum electus. Romæ I. Novembris B. Thomas Villanova, Archi-Episcopus Valentinus, Divorum Albo adscribitur. Philippo IV. Hispaniæ Regi, nascitur iterum filius, qui; in honorem D. Thomæ Villanovæ, appellatus est *Thomas Carolus.*

An: 1659. Regi Daniæ in subsidium venit Cæsar. Patres Servitæ rogant Augustissimum pro confirmatione Fundationis Sacræ Domûs Lauretanæ in Ungaria.

Die 7. Novembris pax inter Philippum IV. Hispaniæ, & Ludovicum XIV. Galliæ Regem concluditur.

An: 1660. Præmemorata pax nuptijs Mariæ Theresiæ Regis Hispaniarum filiæ cum Ludovico XIV. Galliarum Rege confirmatur. Serenissima Anna Maria Mater Ludovici Regis à Fratre Catholico Rege partem Reliqviarum Beati *Joannis DEI* Fundatoris *Fratrum Misericordiæ* petit, & mense Septembri accipit, uti fusè videre est apud Bollandum paginâ 859. numero 132.

An: 1661. Dispositiones bellicæ fiunt à Turcis contra Transylvaniam & Ungariam, quas Augustissimus accuratè observat, & ad pacem continuandam inclinatum & servare paratum se se ostendit. Mense Novembri die sextâ Carolus II. modernus Hispaniarum Monarcha nascitur.

An: 1662. Carolus Josephus Archidux Austriæ die 14. Maij solenni ceremoniâ Inclyti Ordinis Tevtonici Supremam Dignitatem ac insignia, & quidem à manu Patrui Leopoldi Guilielmi Viennæ in Ecclesia S. Augustini suscipit. Eo ipso anno 20. Novembris memoratus Archidux Leopoldus bellicosissimus, & simul pientissimus Princeps è vita migrat. Fine autem Decembris Ferdinandus Carolus Archidux; Dominus Tyrolis.

An: 1663. In Episcopatibus Olomucensi, Wratislaviensi & Passaviensi serenissimo Patruo Leopoldo succedit Carolus Josephus Ferdinandi III. Cæsaris filius. Augustissimus Cæsar Leopoldus Matris Dolorosæ cultum in Bohemia promovet. In Bavaria Anna Maria Austriaca Maximiliani I. Ducis Bavariæ & Electoris vidua Monachij Confraternitatem S. Josephi erigit.

An: 1664. Augustissimus Leopoldus Neostadij in Austria Discalceatis Ecclesiam è fundamentis erigere statuit, castissimæque Desponsationi Mariæ & Josephi eam devovit. Insignem victoriam de Turcis ad S. Gotthardum reportat, quam divinum Numen Leopoldo Augusto reservavit in mensem Augustum, coronationisque suæ anniversarium diem. In flore vernantis adolescentiæ, fine mensis Januarij moritur Carolus Josephus Archidux.

An: 1665. Sacratissimus Imperator Leopoldus Iter Cellense suscipit, ut pro concessa priore anno, tam insigni victoriâ singulari aliquo sacræ devotionis exemplo debitas referret gratias.

Ob mortem Sigismundi (Vide paginam 56. & 59.) Archiducis regreditur Viennam 29. Junij, & conceptum ex voto, iter Augusto

Menſe proſequitur, atque Aſſumptionis die itineris ſui pretioſiſſima anathemata relinquit. Sacrum hoc Iter deſcripſit ſingulari libro Clariſſimus Lambecius, ex quo deinde plura annotabimus. Suſtulit idem annus ex hac vita Philippum IV. Hiſpaniarum Monarcham, de cujus Pietate ſparſim, præcipuè Libro III. facta eſt mentio, & deinceps ex Annalibus illius, qui geſta Philippi IV. ſcripſit, fiet. Idem ſuſtulit annus Mariam Annam Electricem Bavaram Ferdinandi III. Cæſaris ſororem, Matronam Pijſſimam & in ſacra perquam munificam.

Annus 1666. ſuô initiô fit funeſtus morte Annæ Reginæ Galliæ Philippi III. Regis Hiſpaniarum filiæ. Vide dicta in Prooemio paginâ 52. Auguſtiſſimus Cæſar cum Margarita Infante Hiſpaniæ Viennæ nuptias celebrat, Auguſtiſſimâ ſanè pompâ, neque ab ullo ſæculo visâ. Peracta eſt Copulatio in Capella Lauretana apud PP. Auguſtinianos in eóque actu connubij Cæſarei fuit primâ vice expoſitum argenteum antipendium, quod Cæſar ex devotione fieri curavit, conſtititque in pretio 1040. florenorum ſummam.

An: 1667. 28. Septembris natus eſt Cæſari filius Ferdinandus, Wenceslaus, Leopoldus, Joſephus. De hac ſereniſſima prole & reliquis ex Margarita ſuſceptis dictum eſt in Prooemio paginâ 60.

Viennæ in ædibus S. Auguſtini Patrum Diſcalceatorum ejuſdem Ordinis Margarita Imperatrix donat pro uſu Capellæ S. Apolloniæ ſex parva candelabra cryſtallina cum inauratis circulis; præterea crucem metallinam deauratam cum pede triangulari, mundè elaboratam & exquitiſiſſimis Reliquijs dotatam.

An: 1668. Auguſtiſſimus Cæſar agit apud Clementem IX. Papam, ut B. Philippo Benitio Sanctorum honores deferat. Literæ hac de re recitantur paginâ 110. Idem Cæſar ſolidam ex ære ſtatuam Deiparæ, & Columnam in foro publico Viennæ erigi curat.

An: 1669. 18. Januarij naſcitur filia Cæſari, Maria, Antonia, Joſepha &c. Hodie conjux ſereniſſimi Maximiliani II. Ducis & Electoris Bavariæ. In Ungaria Prædicantes contra Cæſarem rebellionem fovent, & concitant. Ibidem hæretici in Catholicorum internecionem conſpirant, atque cum Turcis colludentes Regnum totum eidem tributarium reddere intendunt. Periculoſiſſimè Cæſar Menſe Decembri decumbit.

An: 1670. Cæſar, à veneno alijſque inſidijs graviter periclitatur. Judæi Viennâ abire decreto Cæſaris jubentur. Major eorum Synagoga in ædes ſacras commutatur & honori Divi Leopoldi conſecratur. Eleonora Ferdinandi III. Cæſaris deſponſatur Michaëli I. Regi Poloniæ.

Anno eodem occultæ conſpirationes Ungarorum in Regem ſuum, pro-

prodeunt in apertum, sed mirâ DEI providentiâ omnia in pessimum rebellium vergunt exiguâque manu Cæsaris funduntur.

Anno 1671. Wratislaviensis Conventus Capucinorum initium numerat & quatuor annis pôst Ecclesia sub titulo S. Hedvigis Ducis Silesiæ consecratur. Sanctorum numero adscribuntur cum alijs tribus à Clemente X. B. Philippus Benitius, Rudolphi I. Imp. olim Confessarius, Consiliarius ac Pacificator inter Principes Imperij summus. Item Franciscus Borgias Societatis JESU Generalis III. Carolo V. Imp. charissimus. Coriphæi rebelles in Ungaria Nadastius, Zrinius, Frangipanes ad mortem damnantur & capite plectuntur; celebrantur pro reorum animarum salute, jubente Cæsare, aliquot Missarum millia.

Anno 1672. In Ungaria multa templa per iniquitatem temporum ab Hæreticis profanata, rursus usibus Catholicorum restituuntur. Novi tumultus ab Acatholicis in superiori Ungaria excitati, armis Cæsaris reprimuntur.

Anno 1673. Augustissima Margarita Imperatrix Viennæ moritur; item Michaël I. Rex Poloniæ. A morte ejus Pietas Reginæ die Sabbati erga B. V. CZastochoviensem laudatur. Pragæ Augustissimus adest & ponit fundamentalem lapidem pro dilatanda Ecclesia S. Viti, item pro nova Ecclesia Virginum Carmelitanarum. (NB vide pag. 605. ubi omissum est Virginum; item pag. 604. ubi addendum est Boleslaviensem) Lustrat 30. millium exercitum ad Egram Imperator ac in Imperium expedit adversus Regem Galliæ. Redux sistit Plsnæ & postea hoc speciali Privilegio exornat ob fidem semper servatam Cæsaribus ac Regibus suis legitimis ac Orthodoxam Religionem semper propugnatam, ut ipsi titulo Slowutnosti liceat uti (quod alias Equestri Statui est proprium) civitatisque claves etiam præsente Commendante urbis asservandæ Consuli extradantur. Transit ad secundas nuptias Imperator cum Serenissima Claudia Archiduce Tyrolensi.

Anno 1674. Prædicantes tanquam incentores, & authores Rebellionis, judicialiter convicti, ex Regno Ungariæ proscribuntur; Acatholici Rebelles in superiori Ungaria palàm Turcis adhærent, atque his nihilo meliores, varias hostilitates in Christianos, præsertim verò Catholicos exercent. Magna incrementa sumit Fides Catholica in Ungaria. Maria Anna Ferdinandi III. filia Philippi IV. Regis Hispaniarum vidua, in Academia Salmanticensi binas erigit Cathedras, ubi duo de Societate JESU Sacram Theologiam publicè profiteantur cum ijsdem planè juribus ac Privilegijs, quibus gaudent alibi Professores, qui Cathedras primi Ordinis obtinent.

Anno 1675. S. Josephus, Patronus Austriæ ac hæreditariarum Provinciarum Augustissimæ Familiæ eligitur. In hac solemnitate duo

præcipua visebanturCæsareæ munificentiæ inPatronum recens evulgatum monumenta: alterum erat solida ex argento statua S. Josephi puerum JESUM brachijs innixum dulciter svaviantis, alterum: vexillum auro, argentóque dives, cujus in una facie S. Josephus Christum minorennem manu ducens, in adversa verò, Imperialis Aquila acu picta spectabatur.

Anno 1676. Ad S. Benignam in Bohemia desertum Monasterium Ord. S. Augustini Eremitarum favore Cæsareo restauratur. Moritur Claudia Imperatrix, & apud Dominicanos sepelitur; Cor apud Capucinos intra civitatem. Augustissimus ad tertias transit nuptias, de quibus in proæmio pag. 59. dictum est. Celebratæ sunt nuptiæ Passavij in Principis Episcopi Sebastiani sacello die 14. Decembris; die insequente, quæ erat 15. Decembris, ante meridiem suæ Majestates ad S. Mariam Auxiliatricem se conferunt, ibique coram Thaumaturga Matre à memorato Episcopo consvetam nuptiarum benedictionem accipiunt, relicta nitidissimâ, magnâ, auro argentoque divite, pretiosissimisque lapidibus interstinctâ lampade. Ex hoc matrimonio natas proles paginâ 61. recensuimus, & omissam in nonnullis exemplaribus filiarum unam per novam philyram substituimus.

Anno 1677. Ingrediuntur Brigensem in urbem Patres *Capucini*, ubi titulo Fundatoris gaudet Augustissimus Imperator. Vide de ultimi Ducis Silesiæ obitu Pessinam in Marte Moravico qui Societati JESU, in eam urbem ingressum morte suâ fecit.

Anno 1678. In aurora festi Beatæ Annæ nascitur Cæsari filius Josephus, Jacobus, Ignatius, Antonius, Evstachius. Vide Paginam 153. ubi quispiam in nominibus vota sua expressit.

Anno 1679. Pestis ingens Viennam depascit, uti, & alias vicinas Provincias sed Ungariam præsertim. Augustissimus in Bohemiam proficiscitur& antequam Pragam ingrederetur, Brundusij cum Augustissima conjuge subsistit, unde Beatissimam Virginem in Basilica sua Boleslaviensi frequenter honorat.

Anno 1680. in Bohemiam se infundit contagio, quo calamitoso tempore die 3. Aprilis Augustissimus cum Augustissima, & Serenissima Archiduce peregrinationem ad Divam Sacro montanam instituit, & devotionem pro avertendo malo innatâ Austriacis Principibus Pietate persolvit; attulit secum diversa dona ex auro & argento eáque Divæ Virgini consecravit. Aderat etiam donum nomine Serenissimi Archiducis Josephi & Serenissimæ Archiducis Mariæ, Antoniæ, Josephæ, &c. oblatum.

An: 1681. Cæsar tumultus Ungariæ componere, & imminens ex ijs Turcicum bellum, prævertere volens, Comitia Generalia Regni Sopronium convocat. Quò fine, nonnulla favorabilia tumultuanti-

bus

bus conceduntur. Coronatur in illis Comicijs Augustissima Imperatrix Eleonora Magdalena Theresia in Reginam Ungariæ.

An: 1682. Legatio solennis Constantinopolim ad prorogandam pacem à Cæsare mittitur, sed Turcæ interim ad bellum contra nos gerendum se se accingunt. Nascitur Serenissimus Archidux Leopoldus, Antonius, Josephus &c. Rebelles Acatholici in Ungaria per Prædicantes reduces, magis ad seditiones instigati, longè evadunt ferociores, & eodem anno magnos faciunt Rebellionis suæ progressus.

Tandem anno 1683. post multas sollicitationes, & pollicitationes, Turcarum potentiam evocant, eosdemque in proposito animant. Turcarum summus Vezirius, necdum completo pacis cum Cæsare termino, cum ducentis millibus hominum, magnoque tormentorum apparatu, venit in Ungariam, indeque rectà Viennam tendit, urbem acri obsidione cingit, ingentique conatu oppugnat. Augustissimus ante oppugnationem urbis Passavium proficiscitur, & Generalissimæ suæ Christianitatem impensè orationibus commendat. Durante obsidione à Carolo Duce Lotharingiæ bis profligatur Teôckeôlius, & profligati vexilla mittuntur Augustissimo, quæ hodie Passavij ad Divam Auxiliatricem victoriam loqvuntur.

Rex Poloniæ ac Elector Bavariæ, uti & Saxoniæ ipsi in persona, Cæsari in subsidium veniunt, à quibus & Cæsarianis sub ductu Serenissimi Ducis Lotharingiæ, obsidio urbis Viennensis die 12. Septembris feliciter solvitur, fuso fugatóque hoste, & castris ac munitione totâ exuto. Die 14. Septembris Cæsar, Bavarum inter & Saxonem Electores medius ingressus urbem, rectà in Sacram D. Stephani ædem deducitur & devotas palàm Deo gratias agit. Auditâ clade Rebelles Ungari, qui tunc ad Posonium castra fixerant, palabundi diffugiunt. Exercitus noster Turcas insequitur ac cum ijsdem feliciter ad Parkan confligit, in quo prælio, totus ferè flos militiæ Turcicæ perijt. Partâ victoriâ Serenissimus Dux Lotharingiæ, Exercitûs Cæsarei Supremus Ductor, Strigonium obsidet, ac intra breve tempus feliciter expugnat. Post victorias Christianorum promovetur in Ungaria multùm Fides Catholica.

Eodem anno, authore summo Pontifice, fædus inter Cæsarem & Polonos, contra Turcam initum est, cui accessere postea & Veneti. Cænobium celeberrimum in Hispania, vulgò *Escurial*, magno Hispaniarum luctu conflagrat. De ejus magnificentia paginâ 488. aliquid insinuavimus, & ad annum præsentem de liberalitate Caroli II. Regis in ejusdem restauratione dicturi.

Anno 1684. Tota inferior Ungaria Cæsari reconciliatur. Visse-

hradum à Cæſarianis, & Peſtum expugnatur; Buda quoque ſed irrito conatu oppugnatur. Clementior fortuna favet in caſtris Cæſari, cæſo ac fugato vicibus iteratis hoſte. Sacrorum Rituum Congregatio ad enixas preces Sereniſſimæ Mariæ Hiſpaniarum Reginæ Matris viduæ cenſet, ut in Eccleſia Univerſali deinceps recitetur Officium, & celebretur Miſſa S. Philippi Benitij Ordinis Servorum B. M. V. ſingulis annis die ejuſdem Sancti feſto ab omnibus tam ſæcularibus, quàm Regularibus utriúſque ſexûs, qui ad horas Canonicas tenentur ſub ritu ſemiduplici de præcepto.

An: 1685. 20. Januarij Carolus II. Rex Catholicus Rudolphi I. Cæſaris erga Sanctiſſimam Evchariſtiam pietatem novo exemplo Madriti repræſentat. Res uti geſta eſt paginâ 466. & ſeqv: deſcribitur. Nuptiæ Sereniſſimæ Mariæ Antoniæ Cæſaris Filiæ, cum Sereniſſimo Duce & Electore Bavariæ Maximiliano Viennæ in Capella Lauretana celebrantur, qui tamen (rarô exemplô) mox poſt nuptias ad Caſtra in Ungariam deſcendit, omnibuſque expeditionibus bellicis contra Turcam intereſt. Sereniſſimus Archidux Carolus, Wenceslaus, naſcitur die primâ Octobris Viennæ. Sereniſſimi Duces Lotharingiæ & Bavariæ Vivarinum in Hungaria obſident, quorum vires, ut diſtraheret Sereskir Baſſa, Strigonium acri obſidione, ſed irrito conatu cingit. Vivarinum ſeu nova arx à Chriſtianis armata manu (obſeſſis ad internecionem cæſis,) glorioſiſſimè expugnatur, & ipſe Sereskir, obſidionem Strigonij ſolvere cogitur, multis ſuorum amiſſis, & confligere cum noſtro Exercitu præſumens, turpiter fuſus & fugatus eſt. Mittitur in Ungariam Superiorem, pars Cæſarei Exercitûs, virtute cujus pleráque fortalitia occupantur.

An: 1686. Buda Regni Ungariæ Metropolis à glorioſiſſimis Heroibus Carolo Lotharingiæ, & Maximiliano Bavariæ, armatâ manu expugnatur, inſigni prius de ſummo Vezirio ſubſidium obſeſſis inferre volente, reportatâ victoriâ. Eodem anno, pars altera Exercitûs Cæſaris, ad Segedinum iteratis vicibus, confligit feliciſſimè cum Turcis, fuſis, fugatíſque, cæſis & captis, ipſiſque caſtris exutis hoſtibus plurimáſque Munitiones ac fortalitia in Sclavonia, & inferiori Hungaria, Victorioſiſſimis armis, glorioſè reoccupat.

An: 1687. Turcarum exercitûs, rurſus Mohacium inter & Szikloſium, cum ſummo ſuo Vezirio cæditur ac profligatur. Mox bipartito Exercitu, pars una ſub Generali Dûnebaldio, Poſegam, Valponem, & Eſzekinum, cum reſidua parte Sclavoniæ, occupat. Pars altera, ſub Sereniſſimo Duce Lotharingiæ Tranſilvaniam intrat, ejuſdemque Urbes, Fortalitia ac Munitiones, præſidio militari implet ac firmat. Eodem etiam anno Agria, per Excellentiſſimum Generalem

lem Carafa, post longam eminus constitutam obsidionem dirâ fame, ad deditionem cogitur. Augustissimus recuperatâ Budâ Religionem Carmelitarum in ipsam Urbem readmisit, assignatis duabus domibus pro futuro Monasterio. Eodem anno, quo idem Augustissimus Viennæ, pro erigenda statua Sanctissimæ Trinitatis, Serenissimus Archidux Josephus, extra Viennam pro Ecclesia Carmelitarum Calceatorum è fundamento extruenda primum lapidem de more prius ab Episcopo Viennensi benedictum, posuit. Vide de ea re dicta paginâ 313.

Hoc quoque Anno Religio Discalceata Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum ab Augustissimo petit admitti in Germaniam, & locum Viennæ extra portam Scotensem pro Ecclesia & Monasterio exstruendis obtinet.

Præterea eodem anno Romæ Innocentius XI. Pontifex ob insignem Victoriam ab exercitu Leopoldi I. Romanorum Electi Imperatoris & Hungariæ Regis eâdem die in Budæ expugnatione ope divina è Turcis reportatam celebrandum instituit Festum S. Stephani Ungariæ Regis Confessoris. Posonij 9. Decembris Serenissimus Archidux Josephus in Regem Ungariæ coronatur, fitque primus Rex Hæreditarius Ungariæ, & Regnorum, ac provinciarum eidem annexarum.

Anno 1688. Transilvania, jugo Turcico excusso ad Sacram Coronam Hungariæ redit; cujus exemplum mox secuta est etiam Valachia. Alba Regalis in Hungaria, fame grandi pressa, deditionem facere cogitur. Lippa, vi & armis, ab Excellentissimo Generale Carafa, expugnatur, & Karam Sebes, quâ minis, quâ promissis recipitur. Non minores facit progressus reliqvum corpus, Cæsarei Exercitûs sub Generalis Caprara ductu, Vilako, insigni Sclavoniæ fortalitio expugnato, residuisque cunctis locis munitis receptis, ac Turcis ex eisdem, quâ expulsis, quâ fugatis. Serenissimus Dux, & Elector Bavariæ Maximilianus illicò ausu heroico, Savum fluvium nominatissimum, cum toto exercitu transit, ac mox cum hoste gloriosissimè confligit, universis copijs Turcarum dissipatis, & in turpem fugam actis. Quâ victoriâ partâ, Belgradum Serviæ Metropolim, acri obsidione cingit, ac manu armatâ expugnat; Urbe hac expugnatâ nostri ad viginti, & plura Ungarica milliaria infra Belgradum longè latèque peragrati cuncta occupaverant, & hosti eripuerant, cùm ecce præclarus hic victoriarum cursus repentè sistitur, per inexpectatum ac prorsus insperatum bellum Gallicum Imperio illatum, quo tamen non obstante Turcæ Legationem ad Cæsarem mittunt, ac supplicantes pacem exposcunt, timore armorum Christianorum & domesticorum dissidiorum necdum ex integro compositorum, tumultuque plebis, ad id adacti.

Sereniſſimus Ludovicus Marchio Badenſis in hoc Turcarum bello Factis militaribus magìs innoteſcit, & parvâ ſuorum manu eodem anno & ſubſequente ſæpius de Turcis Victorias inſignes obtinet, quarum præcipuæ erant ad flumen Moravam, Niſſam, & Widim loca hoſti non importuna.

Sigethum Anni 1689. Verno tempore, poſt longiſſimam famem toleratam, deſperato omni Turcarum ſuccurſu, miſſis Viennam internuntijs, ſe fortunæ Cæſareæ tradit. Hoc circiter anno novo Conventu ſeu Monaſterio augetur Ordo Servorum B.V. prope Halam Tyrolis ſub titulo S. Caroli Boromæi; quod beneficium referendum eſt in munificentiam Auguſtiſſimi Leopoldi I. Imperatoris.

Idem Auguſtiſſimus Leopoldus admiſsâ poſt expugnationem Budæ Societate JESU pro Reſidentia cum ſpe futuræ fundationis Collegij in ea urbe, tum etiam factâ ſpe futuræ Univerſitatis ibidem, etiam Societati JESU Neoſolij Domum, ùt vocant, Tertiæ Probationis cum fundatione erigit. Viennæ moritur & tumulatur apud Capucinos Auguſtiſſimi Soror Maria Anna Sereniſſimi Principis Joannis Wilhelmi Ducis Cliviæ conjux. Fundavit Societati JESU Collegium Heidelbergæ. (*Notet Lector.*) ex occaſione Sereniſſimi Joannis Ducis Cliviæ (hodie *Electoris* Heidelbergenſis) malè à quibuſdam aſſignari, cum fuiſſe (*Vide paginam 191.*) natum 5. Junij, ſed 19. Aprilis anni 1657. item erroneè etiam aſſignari natalem Sereniſſimi ejus fratris Philippi Wilhelmi ad diem 16. Novembris, ſed legendum eſt verius fuiſſe natum die 18. ejuſdem Menſis. Chriſtina olim Regina Sveciæ, Guſtavi Adolphi Regis Victorioſiſſimi filia, antequam Anno 1654 (*malè Typographus annum reſignationis pagina 187. poſuit 1653.*) per ſpontaneam reſignationem in Carolum Guſtavum Palatinum Rheni Regnum Sveciæ cum ejus Regni Proceribus transtuliſſet, fidem autem Orthodoxam amplecti cuperet, conſilij ſui Philippum IV. Hiſpaniæ Regem fecit participem, mox ad Imper: Ferdinandum III. Profecta deinde in Belgium Hiſpanicum magno eſt in honore apud Belgij Gubernatorem Leopoldum Wilhelmum Archiducem & die 24. Decembris ante mediam noctem Bruxellis in cubiculo ſecretiore Sereniſſimi Archiducis fecit Profeſſionem Fidei, & poſt paucos dies confeſſa eſt, & communicavit primâ vice. E Belgio Oenipontum venit ad Ferdinandum Carolum Archiducem, & primâ Novembris anno 1655. palàm fidem Catholicam profeſſa eſt.

Romæ præterea è vita exceſſit 20. Auguſti Innocentius Papa nominis hujus undecimus, verus Chriſtianitatis Pater, & in Domum Auſtriacam optimè animatus, quam ex mente Innocentij X. Papæ verè credidit talem eſſe, *in qua progigni ſolent Propugnatores Fidei, & Domitores*

tores impietatis. Vide de hoc Pontificio Oraculo Didacum de Lequile in Mystico Colosso paginâ 35.

Anno 1690. 26. Januarij Augustæ Vindelicorum in Regem Romanorum coronatus est Serenissimus Archidux Austriæ Josephus jure successionis hæreditariæ jam ante Rex Ungariæ electus & coronatus. Ibidem 19. Januarij Regina Ungariæ in Imperatricem coronata fuit, cooperante ad utrumque actum & præsente Serenissimo Philippo Wilhelmo Duce Neoburgico, Comite Palatino Rheni, S R. I. Archithesaurario, Principe & Electore Heidelbergensi. Qui cùm hoc ipso anno 2. Septembris Viennæ in Austria obijsset, erat in primis Re inter Imperij Principes (natus quippe A. 1615. die 25. Novembris) natu omnium maximus & habuit Romanorum Imperatorem Generum, Filiam Imperatricem; nepotem Romanorum Regem, Hispaniæ & Lusitaniæ Reges quoque Generos. Ante verò 18. Aprilis obijt Serenissimus Carolus Dux Lotharingiæ multis victorijs adversus hostes Cæsaris clarus cum æterna nominis sui fama deinceps in libris memorandus. Vide de prolibus quas ex conjuge Austriaca suscepit pag. 205.

16. Octobris ab Alexandro VIII. Pontifice cum alijs quatuor adscriptus est in numerum Sanctorum B. Joañes Capistranus Minorita Strictioris observantiæ; pro cujus Canonizatione dudum Augustissima Domus Austriaca præsertim Fridericus V. Romæ egit, idémque ut Reges Europæ, & Principes Imperij facerent, singulos litteris hortatus est. Idem Pontifex exemplo Innocentij XI. ad preces Caroli II. Regis Catholici cultum S. Francisci Borgiæ Societatis JESU quondam III. Generalis per recitationem divini officij, & celebrationem Missæ magis promovet.

Memorato etiam anno Caniza fortissimum propugnaculum ad Ungariæ & Styriæ confinia anno 1600. à Turcis occupatum, in Cæsaris potestatem denuò venit. Augetur per hanc traditionem etiam Fides orthodoxa in Ungaria & locis vicinis.

Anno 1691. 1. Februarij Romæ moritur Alexander VIII. (*lege pagina 580. Anno 1690.*) Papa; succedit 12. Julij Antonius Pignatelli Cardinalis & Archi-Episcopus Neapolitanus. Fuit anno 1669. Nuntius Apostolicus apud Cæsaream Majestatem, & baptizavit Viennæ Mariam Antoniam Josepham filiam Augustissimi Leopoldi & Margaritæ Infantis Hispaniæ; Assumpsit nomen Innocentij XII. Sub eo Pontifice die 19. Augusti Dominicâ infra octavam B. V. in Coelos Assumptæ nova eáque cæteris, quæ sub Ludovico Badensi præcesserant longè celebrior victoria Augustissimo Leopoldo accessit. Pugnatum est post secundam pomeridianam ad Salankement, & diu pugnâ ancipiti, imò victoriâ in hostem inclinante; sed versa est fortuna & superbissimus hostis turpissimè fusus, fugatus & castris exutus. Cæsorum numerus

ascendit ad viginti & ultra millia. Augustissimus Serenissimum Marchionem Ludovicum in præmium adeptæ victoriæ Militiæ suæ supremum Præfectum resolvit, & cum hac gratia scriptis manu propriâ literis, in ipso S. Ludovici expedivit die.

Festô Præsentationis B. V. (quod aliàs ante constitutum fuit pro die S. Leopoldi olim Marchionis Austriæ) positus est Lapis fundamentalis Micro Pragæ pro Ecclesia nova sub patrocinio memorati Pij Marchionis. Est hoc beneficium pro consequendo loco ædificandi Augustissimi Leopoldi & prima solennior futura Ecclesia in Bohemia Ordinis Clericorum Regularium S. Cajetani. Quâ porrò solennitate actus ille celebratus fuerit, olim autor, si DEUS ipsi vitam, vires, & reliqua necessaria adminicula benignè concesserit, describet.

Varadinum interim in Ungariæ & Transylvaniæ confinio locus nobilis firmísque manu ac naturâ operibus communitus obsidetur; cujus deditionem anno subsequente Turcis ipsâ die Corporis Christi solenniter de more in Ecclesia celebrata extorsit generosissimus heros Donatus Heisler Sacri Romani Imperij Comes ab Heitersheim. Viennæ Austriæ 1. Junij quæ fuit Dominica Sanctissimæ Trinitatis *habita est solennis* benedictio Columnæ ex voto Sacratissimæ Cæsareæ Majestatis erectæ, idque in honorem Sanctissimæ Trinitatis ob decrescentem pestem anno 1679. Operis artificiosi, splendidi, ac magnifici, Processionis item solennissimæ etiam olim descriptionem dabimus.

Actum hunc solennem præsentiâ suâ auxit gravida tunc Serenissima Electrix Bavariæ Maria Antonia Josepha & Augustissimi Leopoldi I. Imperatoris ex Margarita Hispana suscepta filia, quæ 28. Octobris Viennæ feliciter quidem Hæredem Bavariæ enixa est; sed eodem annô ibidem in Vigilia Natalis Domini post annos vitæ propè 24. exactos animam DEO placidissimè reddidit insignibus virtutibus pretiosam.

Tumulata est Viennæ in crypta Archiducali apud Capucinos intra civitatem ubi ex Domo Habspurgo-Austriaca Imperatores Mathias, Ferdinandus III. & Ferdinandus IV. Romanorum Rex; Imperatrices & prima Anna Archidux Tyrolensis præmemorati jam Mathiæ conjux Maria infans Hispaniæ, & Maria Leopoldina, ambæ Ferdinandi III. conjuges; Margareta Hispana conjux prima Augustissimi Leopoldi I. Imperatoris, alijque utriusque sexûs numerô XVI. sepulti sunt.

Aperuit Serenissimæ Archiduci Januarius anno 1669 die 18. in temporalem vitam Viennæ januam, & December clausit; sed idem (ùt piè credimus) ad cælestem patriam viam fecit. De cujus virtutibus augendo Synopsim nostram uberior locus dicendi erit. Neque author omittet quæ Eruditi viri in honorem Serenissimæ Archiducis gratæ posteritati à morte ipsius literis consignârunt.

Anno 1693. 16. Augusti Votum pietate plenissimum ab Augustissimo Imperatore LEOPOLDO I. in Templo S. Stephani Viennæ Austriæ publicè est emissum, quod in formalibus verbis subjungo.

OMnipotens sempiterne Deus, per quem Reges regnant, & in cujus manu sunt omnium potestates & jura Regnorum.

Ego LEOPOLDUS humilis servus tuus, coram divina Majestate tua prostratus, immortales tibi gratias ago, quod in virtute & magnitudine Brachij tui, Turcarum & barbarorum exercitus, immanes Nominis Tui hostes à Metropoli Austriæ, ejúsque finibus abegeris. Quod inclytum Hungariæ Regnum jam olim à S. Stephano Rege, Antecessore meo, Admirabili Matri tuæ donatum, pòst verò Turcarum tyrannide ejus cultui ereptum, prope totum mihi clementissimè restitueris. Gratias inquam, reddo quàm possum maximas Tibi DEO Immortali, victoriarum omnium largitori, & restitutum mihi à potenti dextera tua Regnum, Sanctissimæ & admirabili Matri tuæ, Cæli Terræque Reginæ, Magnæ Hungariæ Dominæ, iterum dono, dico, dedico, totúmque ejus Protectioni consigno, humillimè orans, velit in illud tanquam iteratò suum, Misericordiæ suæ oculos convertere, & gentes, quæ in feritate sua confisæ, illud infestare non desinunt, potenti sua virtute conterere, ac utrumque hoc bellum pace Universali, secura ac stabili ad Maximam tuam gloriam terminare.

Insuper voveo, ac pro me & successoribus meis Divinæ Majestati tuæ promitto, me ad propagandam nominis Tui Gloriam & Matris Tuæ, Dominæ Nostræ honorem, Parochiales Ecclesias per Hungariæ Regnum, tum Barbarorum tyrannide, tum temporum calamitate destructas, iterum erecturum, & competenti Parochis sustentatione dotaturum, ut omnes à Clementia tua meo Imperio subditi populi, Te verum DEUM, debito cultu adorare, & Sanctissimam Matrem Tuam, Magnam Dominam nostram, revereri addiscant.

Spondeo præterea me ad perpetuam tanti beneficij memoriam S. LEOPOLDI Sacellum in monte Cesio, unde primò singulare protectionis auxiliũ acceptũ, in propulsandis hostibus apparuit, restauraturum, ac in eodem loco aram D. Virgini sub titulo, Auxilij Christianorum, dedicaturum. Suscipe igitur Clementissime DEUS servi tui, demissè Te adorantis vota, & me, Conjugem, Liberos, Domum meam, populum, exercitus meos, regna omnia, & Provincias meas, continuâ Misericordiæ tuæ protectione custodi, guberna, tuere & defende, Amen.

In præmisso igitur Voto Augustissimi LEOPOLDI laborem no-

ſtrum terminamus, qui eo ipſo tempore dum illud ederet potentiſſimorum duorum ſuorum hoſtium armis præmebatur. Cum utroque pugnando titulum *Invictiſſimi Imperatoris* etiamnum verè retinet & ùt omnes Fideles Vaſalli ſperant, retinebit. Et cùm belli finis ſit Pax, eam votis ſummis optamus, atque ut fiat ad honorem DEI & Eccleſiæ emolumentum omnes boni apprecantur.

Nunc autem juxta promiſſa paginâ 46. Proœmij, damus Sepulturas ubi Habſpurgo-Auſtriaci Principes uſque ad noſtra tempora ſunt tumulati. Fateor deliberatè nullum à me omiſſum eſſe, & ſi factum eſt, error ille emendari adhuc poterit.

Multi multa quidem ſciunt, & unus plura præ alio, ſed nemo omnia. In tanto autem numero perſonarum, & diverſitate locorum quis auſus fuit omnes ſibi polliceri, ut ſingulos enumerare valeat? hinc factum ut paucularum perſonarum de quarum ſepulturis notitiam habere aut certitudinem non potuimus, ſepulturas per L. S. expreſſerimus.

O. A. M. D. G.

Sepulturæ

SEPULTURÆ

AUGUSTISSIMÆ ET SERENISSIMÆ

DOMÛS

HABSPURGO-AUSTRIACÆ.

Multa dixi de Pietate Habſpurgo-Auſtriaca; plurima adhuc dicenda reſtant, quæ augendæ Synopſi; ſi comunicarentur, aptiſſimè apponi poſſent. Interim ſepulturas tantæ Pietatis Principum hoc loco recenſebo, ut nec exuviæ eorum oblivioni tradantur apud Lectorem, quæ apud pleroſque ubi tumulata ſunt pietatem ſpirant, & ad imitationem ſucceſſores ſuos incitant. Operæ pretium fuiſſet equidem recitare nomina Eccleſiarum, Bibliothecarum, Autorum, unde hæc ſubſidia literaria hauſta ſunt; ſed cùm hoc ipſum in Synopſi jam præterierim, etiam in præſenti puncto judicavi prætereundum, daturus deinde honorem cuique in Annalibus ipſis nominando, quid unusquiſque in rem præſentem contulerit.

SEPULTURA FUNDATORIS.

Rudolphus Comes ab Habſpurg qui *ImperatoriamDignitatem* in Familiam Habſpurgiacam, vel Habſpurgicam aut etiam Habſpurgenſem intulit, ideoque primô locô extra ordinem Alphabeti jure collocandus, ſepultus eſt Spiræ in Imperatorum conditorijs, ubi ante ipſum humati ſunt Imperatores Conradus II. Henricus II. Henricus III. Henricus IV. & Philippus.

Agnes Rudolphi I. Imperatoris filia, uxor Alberti II. Electoris Saxoniæ, ſepulta eſt Wittembergæ in Eccleſia Franciscanorum Minoritarum.

Agnes filia Alberti I. Imperatoris jacet in Campo Regio vulgò Königsfeld Fundatione matris Eliſabethæ, ſuâ item & Fratrum ſuorum. Erat autem duplex Monaſterium ante hæreſim in Germania exortam Virorum & Mulierum Franciscanæ Religionis. Extitit munificentiſſima in Virgines Præmonſtratenſes, quas olim Viennæ ad *Portam Cæli* vulgò Himmelpfort Conſtantia Belæ III. Regis Hungariæ filia fundavit. Error eſt plurium, in quem ipſe ſecutus alios impegi, fuiſſe Fundatorem quendam Canonicum Paſſavienſem & fundationem feciſſe pro ſolis Virginibus, quæ de Nobilium ſangvine ortæ eſſent. Talis quidem

intentio fuit Melchioris Clefelij Cardinalis & Epifcopi Viennenfis, fed non eft ad effectum deducta; Favore ejus tanquam Ordinarij & beneficiô Domûs Auftriacæ fub Rudolpho II. Imperatore vel Mathia poffeffionem loci acceperunt Canoniffæ Regulares Ordinis S. Auguftini. Eadem Agnes fuit magna Benefactrix Monafterij S. Laurentij, quod ejus Frater Otto Dux Auftriæ fundârat. Vitam hujus Agnetis retuli pag. 447.

Albertus I. Imp. appofitus eft ad Imperatores, qui Spiræ in Ecclefia Cathedrali jacent. Fuit fingularis fautor Ordinis Ciftercienfis, fundavítque Monafterium Regij Fontis vulgò **Königsbrun.** Dixi de eo pag. 245. & ante Spirenfem fepulturam jacuit Wettingæ apud Ciftercienfes; qua de re dictum eft pag. 272. item infra de fepulturis quæ pofui juxta alphabeti feriem.

Albertus II. Imp. Ungariæ Rex Albæ Regali, ubi olim prifci Reges Ungariæ fepeliri folebant. Fundator alter ob multa dici meretur Canonicorum Regularium, qui funt Viennæ ad S. Dorotheam.

Albertus II. Dux Auftriæ cognomento *Sapiens* filius Alberti I. Imp. tumulatus eft Gamingæ apud Carthufianos fundatione fuâ vide pag. 536.

Albertus III. Archidux Auftriæ jacet Viennæ in crypta Archiducali, quam Frater ipfius Rudolphus IV. primus Archidux pro fe & pro Familia fua condidit. Fundavit Monafterium pro *Mulieribus Pœnitentibus* Viennæ; Locus hodie dicitur ad S. Hieronymum, quem incolunt Patres Francifcani & liberalitati Ferdinandi I. Imperatoris poft primam obfidionem Turcicam adfcribitur. Vide Schönleben in Ferdinando I. Imperatore pag. 154.

Albertus IV. & Albertus Fundator Univerfitatis Friburgenfis in Brifgoja in eadem crypta Viennæ quiefcunt.

Albertus Archidux cognomento *Pius* & *Belgarum Delitium*, filius Maximiliani II. Imperatoris Bruxellis in majori æde fepultus eft. Fundavit plurima loca Sacra cum uxore Ifabella Clara Evgenia, ùt in vita Ifabellæ infinuavi. Ambo erant, dum Belgium & Burgundiam poffiderent, optimè propenfi in literas & Eruditos. Vide infra de Ifabellæ fepultura.

Alphonfus filius Philippi III. Regis Hifp. in Efcuriali.

Andreas Auftriacus Filius Ferdinandi Archiducis Principis Tyrolenfis S. R. E. Cardinalis, Epifcopus Brixienfis & Conftantienfis, jacet Romæ in Ecclefia S. Mariæ de anima. Ità Joannes Ludovicus **Schönleben** in Ephemeride Auftrica ad diem 12. Novembris, qui addit duos Pontifices fuis manibus coronaffe.

Anna filia Friderici *Pulcbri* Imperatoris Monialis Viennæ ad S. Claram.

Anna filia Ferdinandi I. Imp. uxor Alberti *Magnanimi* Ducis Bavariæ, tumulata Monachij in templo B. M. V. Sepulturâ Ducum Bavariæ.

Anna filia Maximiliani II. Imp. Uxor. Philippi II. Regis Hispaniæ jacet in Escuriali.

Anna filia Ferdinandi Archiducis Principis Tyrolensis Mathiæ Imperatoris conjux, tumulata est Viennæ in Ecclesia Capucinorum, quæ intra Civitatem est tanquam Ecclesiæ & Monasterij Fundatrix; sed morte præventa & impensis in testamento relictis, perfecit utrumque Imperator Ferdinandus II. præfatæ Imperatricis Augustissimæ universalis hæres; deposita ergo est post mortem in Monasterio Reginæ apud Clarissas, quam anno 1619. morte suâ Mathias Imperator secutus ibidem jacuit; sed postea perfectâ Ecclesiâ in cryptam præparatam pro ambabus personis Augustissimis translati, post horum autem translationem Ferdinandus III. Imperator Familiæ suæ elegit cryptam communem & universim usque ad obitum Serenissimæ Archiducis & Electricis Bavariæ quiescunt in ea crypta præterpropter viginti tres personæ Habspurgo-Austriacæ. Referam in præsentem materiam infra quædam, ubi de Mausolæis egero; interim Annæ Imperatricis ejúsque fundationum memor, addo non solùm Monasterij Viennensis Capucinorum fuisse Fundatricem, sed etiam ejusdem Ordinis cum marito Budvicij, alij soli Annæ sicut fundationem Nobilium in ConvictuPragensi S. Bartholomæi adscribunt. Extitit liberalissima Benefactrix in Ecclesiam Vetero-Boleslaviensem Beatissimæ Mariæ Virginis, cujus initium veriùs refertur ad annum 1613. juxta consignationem datorum ex mandato Mathiæ Imperatoris, quæ mihi nuper Reverendissimus Præpositus & Decanus communicavit Joannes Alexius Czapek.

Anna Catharina Annæ Imperatricis Soror Germana, (in Claustro dicta Maria) Oeniponti.

Anna Maria filia Philippi III. Regis Hispaniæ uxor Ludovici XIII. Regis Galliæ ad S. Dionysium, ubi est Sepultura Regum & Reginarum Galliæ.

Anna filia Caroli Archi-Ducis, Styriæ Domini (aliqui solent scribere Græcensem) uxor Sigismundi III. Regis Poloniæ Cracoviæ.

Anna Maria filiola Augustissimi Leopoldi Imperatoris ex Claudia Tyrolensi Archiduce, Viennæ apud Capucinos.

Carolus filiolus Rudolphi I. Imp. Basileæ in Cathedrali. Carolus V. Imp. sepultus est Granadæ, urbe Bæticæ primariâ, juxta Matrem Joannam Avúmque Ferdinandum; cujus postea funus à Philippo II. Hispaniarum Rege, Caroli filio ad Monasterium amplissimum, basilicámq; magnificentissimam, quam in Escuriali ad D. Laurentij honorem excitarât, translatum est. Prætermitto hìc fundationes Caroli aliáque

huc pertinentia, de Mausolæo autem infra agam, sed brevissimè. Carolus Princeps Hispaniæ filius Philippi II. sepultus est Madriti in Ecclesia Dominicanorum.

Carolus Archidux Princeps Styriæ filius Ferdinandi I. Imp. sepultus est Seccovij in Cathedrali Ecclesia. Fundavit Græcij Societatis JESU Collegium & Academiam addidit. In eadem Ecclesia sepultus quoque est ejus filiolus Carolus.

Carolus filius Maximiliani II. Imp. Viennæ ad S. Stephanum. Carolus Philippi II. item Carolus Philippi III. Regum Hispaniæ filij; præterea Carolus filius Caroli Archi-Ducis Principis Styriæ &c.

Episcopus Wratislaviensis Prorex Lusitaniæ designatus tumulati sunt in Escuriali.

Carolus Josephus Episcopus Passaviensis Viennæ apud Capucinos.

Carolus Austriacus filius Ferdinandi Archi-Ducis Principis Tyrolensis Marchio Burgoviæ Uberlingæ.

Catharina filia Alberti I. Imp. Uxor Caroli Ducis Calabriæ Neapoli in Ecclesia Franciscanorum. Vide pag. 292.

Catharina filia Alberti II. Ducis Austriæ cognomento *Sapientis* Viennæ ad S. Claram, ubi Abbatissa fuit.

In eodem Monasterio vixit Catharina filia Leopoldi *Probi*. Catharina filia Ernesti cogn. *Ferrei* Archi-Ducis, Uxor Caroli Marchionis Badensis sepulta est Badenæ, vel juxta Hieronymum Gebviler in Templo Parochiali Badenwiller.

Catharina filia Ferdinandi I. Imp. Uxor Sigismundi II. Regis Poloniæ ad S. Florianum in Austria superiore apud Canonicos Regulares S. Augustini, sed obijt Lincij.

Catharina filia Caroli Archiducis Principis Styriæ Seccovij.

Clara Isabella filia Leopoldi Arciducis Principis Tyrolensis, Uxor Caroli III. Ducis Mantuæ, ibidem sepulta apud Virgines Ursulinas.

Claudia Imperatrix filia Ferdinandi Caroli Principis Tyrolensis Leopoldi I. conjux secunda, Viennæ in Ecclesia Dominicanorum Vide pag. 249.

Constantia filia Caroli ArchiDucis Styriæ, Uxor Sigismundi III. Regis Poloniæ, obijt Varsaviæ, sed sepulta Cracoviæ in Mausolæo Regum Poloniæ.

Cunegunda filia Frider. V. Imperatoris, Uxor Alberti Ducis Bavariæ, sepulta est Monachij in Ecclesia B. M. V.

Eleonora soror Caroli V. Imp. Uxor secunda Francisci I. Regis Galliæ jacet in Escuriali.

Eleonora filia Ferdinandi I. Imp. Uxor Wilhelmi Ducis Mantuæ, Fundatrix cum Marito Collegij Societatis JESU & Ecclesiæ, ibidem quiescit in Ecclesia eorundem Patrum.

Ele-

Eleonora filia Maximiliani II. Imp. humata eſt Pragæ in Metropolitana; occaſione cujus moneo hìc Lectorem, erroneè adſcribi à Weleslavino in Genealogia Ducum & Regum Bohemiæ in eadem Eccleſia eſſe humatam Catharinam filiam Ferdinandi I. Imp. quæ fuit Uxor Sigiſmundi II. Regis Poloniæ.

Eleonora filia Caroli Græcenſis, Halæ in parthenone Virginum templô B. V. ante altare SS. Trinitatis jacet.

Eleonora filia Alberti I. Imperatoris Duciſſa Lotharingiæ. Königsfeldæ.

Eliſabetha filia Friderici Pulchri Imp. Maurbaci apud Carthuſianos fundatione parentis.

Eliſabetha filia Ottonis Ducis Auſtriæ Neomonti ſeu Neüpergæ apud Ciſtercienſes.

Eliſabetha filia Leopoldi *Probi* deſponſata fuit Comiti Goricienſi, cui antequam jungeretur obijt & ſepulta eſt in Campo Regio.

Eliſabetha filia Friderici Archiducis, Principis Senioris Oenipontini, prima ſepulta fuit Stambſij apud Ciſtercienſes ex Domo Auſtriaca.

Eliſabetha filia Alberti II. Imperatoris, Uxor Caſimiri III. Regis Poloniæ mater S. Caſimiri, Cracoviæ jacet. Vide pagi. 422.

Eliſabetha filia primogenita Ferdinandi I. Imperatoris, Uxor Sigiſmundi II. Auguſti Regis Poloniæ obijt Vilnæ ibidémque ſepulta eſt in templô S. Stanislai.

Eliſabetha filia Maximiliani II. Imperatoris conjux Caroli noni Regis Franciæ deceſſit cum opinione Sanctitatis Viennæ.

Ferdinandus III. Imp. tumulatus eſt Viennæ apud Capucinos. Ut autem clarius eluceſceret affectus ejus erga Capucinorum Ordinem idem Ferdinandus III. elegit in eorum Viennæ intra Civitatem Eccleſia, ſuam, & ſucceſſorum ſuorum ſepulturam.

Ad quam Eccleſiæ cryptam perfecto Monaſterio & Eccleſiâ, tranſlata ſunt corpora Auguſtiſſimi Imperatoris Mathiæ, ac Conjugis ejus Annæ. Tranſlationem illam Catalogus Rectorum & Illuſtrium Virorum Univerſitatis Viennenſis ad annum 1632 refert. De crypta aliquid dicemus infra ubi mentionem Mauſolæorum faciemus; de perſonis in ea diverſis annis ſepultis partim diximus & amplius dicemus.

Præfatus Imperator Ferdinandus pro Capucinis Suticij fundavit Monaſterium & PP. Gmundæ in ſuperiore Auſtria inceptum ſumptibus à Ferdinando II. perfecit. De Benedictinorum fundatione in Emaus dixi pag. 514. item non nulla occaſione belli Svecici (non autem ut erroneè Typographus poſuit Svevici) ubi pag. 526. & ſequente Ferdinandus II. & III. nominantur. Eidem Imperatori fundationem Collegij Wratislavienſis Societas JESU adſcribere debet; Idem Cæſar

ex Symbolo ſuo: *Pietate & Juſtitia* ultimam manum ſuam Viennenſi Collegio impoſuit; Univerſitatem porrò Pragenſem Carolinæ univit. Plura de eo in contextu Annalium noſtrorum, nam in Synopſi plurima præterita ſunt quæ commodiſſimè afferi poterunt, Archi-Duces Ferdinandus nempe nominis hujus ſecundus, Cæſar tertius item & quartus Romanorum Rex ſingulare opus mererentur.

Ferdinandus jam nominatus humatus eſt quoque in Eccleſia Viennæ Capucinorum. Juxta Crugerium ad diem 8. Julij fundavit Collegium Societati JESU Svidnicij.

Ferdinandus Aloyſius Joſephus filius Ferdinandi III. ex Eleonora Mantuana Viennæ apud eoſdem Religioſos, ſicut Ferdinandus Wenceslaus filiolus primogenitus Auguſtiſſimi Leopoldi & Margaritæ Infantis Hiſpaniæ.

Ferdinandus filius Maximiliani II. Imp. Viennæ ad S. Stephanum.

Ferdinandus Princeps Tyrolenſis Oeniponti ad S. Crucem in Sacello B. V. ſinè macula Conceptæ. Fundavit Oeniponti Capucinos.

Ferdinandus filius Philippi II. Regis Hiſpaniæ, in Eſcuriali.

Ferdinandus filiolus. Caroli Græcenſis, Seccovij.

Ferdinandus Carolus filius Leopoldi Principis Oenipontani jacet Oeniponti in Templo PP. Societatis JESU juxta parentem.

Fridericus filius Rudolphi I. Imperatoris Tullnæ.

Fridericus *Pulcher* Imperator Maurbaci apud Carthuſianos fundatione ſuâ.

Fridericus, *Splendidus* dictus, filius Alberti II. *Sapientis*, obijt in venatione & jacet Viennæ ad S. Stephanum.

Fridericus filius Ottonis Ducis Auſtriæ Neomonti.

Fridericus Senior Archidux & Princeps Tyrolenſis Stambſij.

Fridericus V. Imperator dictus *Pacificus* obijt Lincij corpus ejus depoſitum fuit Neoſtadij in Cathedrali, inde poſtea Viennam tranſlatum ad cryptam Archiducalem & poſt 20. annos ad proprium Mauſolæum. Fundavit Epiſcopatum Labacenſem, Neoſtadienſem, Viennenſem; complura Cœnobia, & Ordinem Equeſtrem S. Georgij; Græcij Eccleſiam Aulicam Divi Ægidij &c.

Fridericus filiolus Maximiliani II. Imperatoris Stambſij.

Georgius filiolus Alberti II. Imperatoris Viennæ Ad S. Stephanum in crypta Archiducali.

Gregoria Maximiliana filia Caroli Archiducis Græcenſis Seccovij.

Hermannus (aliqui Hartmmannum vocant) Rudolphi I. Imperatoris, Baſileæ in Cathedrali.

Hartmannus II. Tulnæ apud Moniales S. Dominici.

Hedvigis

Hedvigis filia Friderici Senioris Principis Oenipontani, Stambſij.

Helena filia Ferdinandi I. Imperatoris Halis in templo B. M. V. Viſitantis ante altare Sanctiſſimæ Trinitatis.

Fundavit eô locô cum ſorore Magdalena Collegium Societati JESU.

Helena filiola Friderici V. Imperatoris Neoſtadij apud Ciſtercienſes.

Henricus filius Alberti I. Imperatoris Kӧnigsfeldæ.

Jacobus filius Philippi II. Regis Hiſpaniæ, in Eſcuriali.

Joanna filia Caroli V. Imperatoris Uxor Joannis IV. Principis Luſitaniæ in Eſcuriali. Fundavit Madriti Clariſſas, unde aliqui exiſtimârunt apud illas ſepultam fuiſſe.

Joanna filia Ferdinandi I. Imperatoris Uxor Franciſci II. Magni Ducis Hetruriæ, Florentiæ in Ducum ſepultura.

Joannes filius Rudolphi Ducis Sveviæ nepos Rudolphi I. Imperatoris, Piſis apud Auguſtinianos. Vide pag. 277.

Joannes filiolus Friderici V. Imperatoris Neoſtadij apud Ciſtercienſes.

Joannes filius Ferdinandi I. Imperatoris Stambſij apud Ciſtercienſes.

Joannes Carolus filius Ferdinandi Archiducis Græcenſis poſteà nominis ejus ſecundi Imperatoris, Græcij ad S. Ægidium.

Joannes filius Auguſtiſſimi Leopoldi ex Margarita Imperatrice Viennæ apud Capucinos.

Iſabella Clara, Evgenia filia Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Uxor Alberti Archiducis Belgij Principis, Bruxellis. Vide de ejus cum marito fundationibus pag. 432.

Juditha filia Rudolphi I. Imperatoris Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ cognomine Sancti, jacet Pragæ ad S. Vitum ùt fuſius paginâ 235. dixi.

Ladislaus filius Alberti II. Imperatoris Rex Ungariæ & Bohemiæ, Pragæ in Metropolitana.

Leopoldus Alberti I. Imperatoris filius dictus *Gloria Equitum* vel *militiæ decus*, ſepultus eſt in Campo Regio ſeu Kӧnigsfeldæ.

Leopoldus cognomento *Probus* filius Alberti II. Ducis Auſtriæ ibidem tumulatus eſt.

Leopoldus filius Ottonis Ducis Auſtriæ Neomonti.

Leopoldus cogn. *Superbus* & *Pingvis* Viennæ ad S. Stephanum.

Leopoldus Ferdinandi II. Imp. germanus frater, Princeps Tyrolenſis, Oeniponti elegit ſibi ſepulturam in eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis Patrum Societatis JESU ubi communem etiam pro Archi-Ducibus ſepulturam fecit.

Fundavit, dum Titularis Epiſcopus Paſſavienſis eſſet, ibidem Collegium Societati JESU & juxta Franciſcanorum Hiſtoriam pro eadem Religione Monaſterium, quanquam beneficium iſtud Urbano Epiſco-

po ejus prædecessori alij adscribant. Resignato Episcopatu Passaviensi; fuit valde favorabilis & munificus in. Religionem. servorum B. M. V. & Passavij cultûs B. M. V. author extitit &c.

Molsheimensis Academiæ summus fautor liberalisque Patronus extitit. Vide de eo Nathanaelem Sotuellum in Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU.

Leopoldus Guilielmus filius Ferdinandi II. Imp. Episcopus in utroque loco Titularis, sepultus est Viennæ apud Capucinos & fundavit Societati JESU Neostadij Austriæ Collegium.

Leopoldus Augustissimi Leopoldi Imp. filius ex Eleonora Neoburgica Viennæ jacet apud eosdem Capucinos.

Magdalena filia Ferdinandi I. Imp. cælibem egit vitam & sepulta est Halis in Tyroli in Ecclesia B. M. V.

Fundavit eô locô Collegium Societati JESU cum sorore Helena, sola autem Parthenonem Virginum.

Magdalena (alij ponunt Maria Magdalena) filia Caroli Archi-Ducis, Principis & Domini Styriæ &c. Uxor Cosmæ II. Magni Ducis Hetruriæ, Florentiæ Margareta filia Alberti II. Ducis Austriæ, Uxor Joannis Henrici Marchionis Moraviæ, jacet Brunæ ad S. Thomam apud Augustinianos ejus Monasterij Confundatrix.

Margareta filia Ernesti Archi-Ducis cogn. *Ferrei* Uxor Friderici Electoris Saxoniæ jacet Misnæ in Sacello à marito fundato.

Margareta filia Friderici Senioris Principis Tyrolensis Stambsij.

Margareta filia Maximiliani I. Imp. Uxor primò Joannis Infantis Hispaniæ; Secundò Philiberti Ducis Sabaudiæ; vidua facta Belgij Gubernatrix, tumulata est Burgi apud Carthusianos.

Margareta filia Ferdinandi I. Imperatoris Halis Tyrolis in templo B. M. V. Visitantis.

Margareta filia Maximiliani II. Imp. Clarissa Madriti; cujus laudatissimam vitam fusè descripsi pag. 389.

Margareta filia Caroli Archiducis Principis Styriæ Philippi III. Uxor, fundavit Madriti Annuntiatas, Salmatinense Collegium Soc. JESU amplissimis vectigatibus dotavit, sepulta est in Escuriali ubi etiam filia ejus quæ in infantia decessit tumulata est. In eodem Mausolæo apposita est Margareta filia Philippi IV. Regis Hispaniæ ex secunda Uxore.

Margareta infans Hispaniæ, filia Philippi IV. conjux prima Augustissimi Imperatoris Leopoldi humata est Viennæ in Ecclesia Capucinorum, & in eadem crypta apposita est Margareta filiola.

Maria filia Caroli V. Imp. Uxor Maximiliani II. de qua insigne est E-

logium

logium Pij V. & Gregorij XIII. Pontificum paginâ 162. Jacet in Eſcuriali, & vitâ fungens, Madriti ibidem Societatis JESU Collegium ex aſſe ſcripſit hæredem eamque ob cauſam Imperiale Collegium eſt nuncupatum.

Maria filia Philippi III. Regis Hiſpaniæ, Uxor prima Ferdinandi III. Imperatoris Viennæ apud Capucinos, & juxta illam filiola Mariæ nomen referens.

Maria Leopoldina filia Leopoldi Archiducis Principis Tyrolenſis, conjux altera Ferdinandi III. Imp. in eadem crypta tumulata eſt. Maria filia Philippi I. Archi-Ducis & Regis primi Hiſpaniæ nominis hujus Ludovici Regis Hungariæ & Bohemiæ in Eſcuriali.

Maria Thereſia filia Philippi IV. Regis Hiſpaniæ, Uxor Ludovici XIV. Regis Galliæ in Mauſolæo Regum & Reginarũ ad S. Dionyſium. Maria filia Ferdinandi II. Imperatoris; Conjux Maximiliani I. Electoris Bavariæ, Monachij in templo Societatis JESU penes maritum.

Maria Magdalena filia Ferdinandi Caroli Archiducis Oenipontani, ſoror Claudiæ Imperatricis; jacet Oeniponti in templo Sanctiſſimæ Trinitatis apud Patres Societatis JESU, ubi communis pro Archiducibus Auſtriæ ſepultura â Leopoldo Archi-Duce erecta eſt. Viennæ ad Sanctum Stephanum binæ filiæ Maximiliani II. Imperatoris in medio cryptæ Archiducalis ejuſdem nominis. Maria filia Ferdinandi III. Imper. Uxor Joannis Ducis Clivenſis Viennæ apud Capucinos. Ibidem mortuæ quieſcunt Maria filia Ferdinandi III. ex Eleonora Mantuana; Maria Auguſtiſſimi Leopoldi Imp. ex Margarita Hiſpana, Maria Joſepha ex Claudia Tyrolenſi; Maria Margareta ex Eleonora Neoburgica; cui addo Archiducem mox poſt baptiſmum mortuam de qua in prooëmio paginâ 60. dixi. Maria Chriſtierna filia Caroli Archiducis Græcenſis Uxor Sigiſmundi Bathorij Principis Tranſylvaniæ quæ Halis in templo B. V. M. tumlata eſt.

Maria filia Philippi III. Regis Hiſpaniæ in Eſcuriali, ubi ejuſdem nominis tres filiæ Philippi IV. humatæ ſunt. Maria Antonia filia Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi & Margaritæ Infantis Hiſpaniæ, conjux Maximiliani II. Electoris Bavariæ Viennæ apud Capucinos. Obſervo nomẽ Mariæ frequens eſſe in Familia Habſpurgo-Auſtriaca occaſione Mariæ Burgundæ quam Maximilianus I. Archi-Dux in conjugem accepit, hæc lapſa in venatione ex equo die 2. Martij, decumbens uſque ad 28. obijt Brugis in Flandria & in Domum Habſpurgo Auſtriacam, quia Caroli-Ducis Burgundiæ unica filia & Belgicarum Provinciarum hæres extitit, opimas ditiones intulit.

Mathias Imperator Viennæ apud Clariſſas Fundatione Sororis ſuæ Eliſabethæ anno 1619. depoſitus eſt, & inde translatus in cryptam Ec-

clesiæ Capucinorum Viennæ quæ intra urbem est. Habet titulum Fundatoris â Capucinis Conventûs Lincensis; item cum Uxore Anna Conventûs Budvicensis in Bohemia; Collegij Pragensis Societatis JESU fundationem munificè anno 1616. auxit. Maximilianus I. Imperator quiescit Neostadij Austriæ in Sacello Aulico S. Georgij. Fundavit Monasterium Carmelitis Antverpiæ; Ordinem S. Georgij à Friderico Patre institutum promovit; Patres Minimos Fundatore S. Francisco de Paula primus in Austriam admisit.

Maximilianus II. Imp. sepultus est Pragæ in Metropolitana. Profuit Societati JESU plurimum quoad Collegium Brunense ubi novitiatus est, stabiliendum &c.

Maximilianus Archi-Dux Ordinis Tevtonici Magister Viennæ ad S. Stephanum tumulatus est.

Maximilianus Archi-Dux filius Caroli Archiducis Græcensis, Eques Tevtonicus, Seccovij.

Maximilianus Thomas filius Ferdinandi III. Imperatoris Viennæ apud Capucinos.

Mechtildis filia Rudolphi I. Imperatoris Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ, jacet apud Cistercienses Fürstenfeldæ. De hac Mechtilde vide pag. 259.

Otto Dux Austriæ filius Alberti II. cognomine *Sapientis* Neûpergæ apud Cistercienses Fundatione suâ sepultus est, fundavit etiam Viennæ Canonissas Regulares Ordinis S. Augustini ad S. Laurentium.

Philppus I. Archidux Austriæ & primus nominis hujus ex Habspurgo-Austriacis Rex Hispaniæ apud Miraflores Carthusianos propè Burgum sepultus est.

Philippus II. Caroli V. Imperatoris filius, Hispaniæ Rex, jacet in Escuriali. Ibidem sepulti sunt Philippus III. & Philippus IV. Reges Hispaniæ. De eorum fundationibus Archi-Episcopatuum, de initijs Academiarum & Universitatum suo loco dicetur. In Escuriali quoque sepulti sunt filij Philippi IV. Philippus V. & Philippus Prosper; Philippus autem Augustisimus Ferdinandi III. Imperatoris filius sepultus est Viennæ apud Capucinos.

Rudolphus Dux Sveviæ sepultus est Pragæ ad S. Vitum. In eadem Ecclesia jacet Rudolphus filius Alberti I. Cæsaris cognomine Mitis, Rex Bohemiæ.

Monasterij S. Crucis Viennæ Minorum (quos Conventuales vocamus) non fuit Fundator neque ejus prima conjux Blanca, sed in ea Ecclesia est sepulta; neque etiam Fundatoris titulus dari debet Przemislao Ottogaro II. Regi Bohemiæ, sed fundatio illa adscribenda est Le-

opoldo

opoldo *Glorioso* Duci Austriæ stirpis Babenbergicæ, unde corrigo quæ paginâ 241. dixi. In eadem paginâ moneo Legendum Albertum II.

Rudolphus filius Alberti II. Ducis Austriæ cognomine *Sapiens* & primus ex Habspurgo-Austriaca Familia dicendus Archidux Viennæ in Ecclesia S. Stephani in crypta ab ipso pro Familia sua condita sepultus est. Passim dicitur *Fundator* eò quòd per Provincias Habspurgo-Austriacas, plura templa, vel aliàs DEO Sacras Domos fundârit vel restaurârit vel benignâ & liberali manu exaltârit. Fundavit Universitatem Viennensem anno 1365. unde errant qui Friderico II. Imper. initium ejus fundationis attribuunt: Rudolphus II. Imperator sepultus est Pragæ in Metropolitana juxta parentem & avum Ferdinandum. Induxit Glacium Societatem JESU & pluribus Religiosorum Domibus Viennæ, Olomucij, Brunæ se liberalem exhibuit.

Sigismundus I. Arhidux & Princeps Tyrolensis jacet Stambsij.

Sigismundus II. filius Leopoldi Archiducis Principis & Domini Tyrolensis, sepultus est Oeniponti in templo Societatis JESU.

Thomas Carolus filius Philippi IV. Regis Hispaniæ ex secunda conjuge, sepultus est in Escuriali.

Ursula filia Ferdinandi I. Imperatoris Stambsij.

Wenceslaus filius Maximiliani II. Imperatoris, Eques Melitensis & Prior Ordinis in Castella, jacet in Escuriali.

Wolfgangus filius Friderici Senioris Principis Oenipontani Stambsij.

Wilhelmus Dux Austriæ Leopoldi *Probi* filius, Viennæ in Divi Stephani Æde sepultus est.

Aliam seriem Erudito Lectori subjungo, ex qua colligere poterit, quæ loca illustriori sepulturâ Habspurgo-Austriacorum exornata sunt; ubi etiam recensentur non nulla Mausolæa in honorem ejusdem Familiæ utriusque sexûs posita.

Albæ Regali ubi prisci Reges Hungariæ sepeliebantur; sepultus est Albertus II. Imperator Hungariæ & Bohemiæ Rex.

Aulæ Regiæ apud Cistercienses desiderabat humari Juditha filia Rudolphi I. Imp: quâ de re dixi Pag. 295.

Badenæ Mausolæo Marchionum Badensium vel juxta Hieronymum Gebuiller Badenwiller in templo Parochiali sepulta est Catharina Ernesti I. Archi-Ducis filia. Vide pag. 198.

Basileæ in templo Cathedrali duo filij Rudolphi I. Imperatoris Brunæ apud Augustianos Eremitas ante altare majus in cornu Epistolæ Margarita filia Alberti II. Ducis Austriæ. Vide pag. 533.

Burgi Castellæ apud Carthusianos Philippus I. Archi-Dux & Rex Hispaniæ tumulatus est; ibidem tumulata ejus soror Margareta, quæ

 juxta

juxta Joannem Ludovicum Schönleben in Ephemeride Habſpurgo-Auſtriaca ad diem 1. Decembris ſumptuoſiſſimum templum & Mauſolæum excitavit. Gerardus de Rheo in hiſtoria Auſtriaca ad Annum 1506. Philippo I. ſequens Epitaphium ſcripſit.

Neapoli in Italia apud Franciſcanos æde S. Laurentij vide pag. 292.

Neapoli Auſtriæ vulgò Neoſtadij in Cathedrali Mauſolæum pro Friderico V. paratum eſt; ſed Fridericus Viennam translatus quemadmodum ſupra annotavi. Apud Ciſtercienſes tamen Neoſtadij jacent Friderici tres proles, & in Sacello Aulico S. Georgij Maximilianus I. Imperator.

Neomonti ſeu Neupergæ apud Ciſtercienſes in Styria tumulatus eſt cum ſuis prolibus Otto Dux Auſtriæ nepos Rudolphi I. Imperatoris.

Oeniponti in Eccleſia S. Crucis apud Franciſcanos in Sacello B. V. ſepultus eſt Ferdinandus *Magnanimus* filius Ferdinandi Imperatoris. In Eccleſia verò Sanctiſſimæ Trinitatis ubi communem ſepulturam pro Arhiducibus fecit Leopoldus Archi-Dux frater germanus Ferdinandi II. Imperatoris.

Piſis apud Auguſtinianos Eremitas jacet nepos Rudolphi I. Impera: Joannes filius Rudolphi Ducis Sveviæ vide pag. 277.

Pragæ in Metropolitana S. Viti Martyris tumulati ſunt tres Imperatores: Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Item alij quinque ex Domo Habſpurgo Auſtriaca & inter illos Juditha filia Rudolphi I. Imperatoris. Corrigendus eſt hic Laurentius Beyerlink qui in magno Theatro vitæ humanæ ſcripſit ſepultum eſſe Viennæ Ferdinandum I. & Maximilianum II. Lincij; item Ferdinandum II. ſepultum Viennæ, qui ſepultus Græcij Metropoli Styriæ, ejusque filium Ferdinandum III. ſcripſit Pragæ; qui tumulatus eſt Viennæ apud Capucinos. Mauſolæū verò Pragenſe in Metropolitana adſcribi debet Rudolpho II. Imperatori, quòd anno 1589. poſuit.

Seccovij in Eccleſia Cathedrali Canonicorum Regularium jacet Carolus Archi-Dux Ferdinandi II. Imp: Parens cum pluribus ſuis, erexítque Mauſolæum in ea Eccleſia pro ſe & pro ſua Familia.

Stambſij apud Ciſterienſes plures etiam Auſtriaci ſepulti ſunt.

Spiræ Præter Rudolphum I. Imperatorem tumulatus eſt in conditorio Imperatorum etiam Albertus I. Imperator.

Tridenti Filiolus Maximiliani I. Archi-Ducis ſepultus eſt, quo autem nomine appellaretur Joannes Gans Societatis JESU non expreſſit neq; Eccleſiam nominavit.

Tulnæ in Eccleſia Virginum S. Dominici complures ſepulti ſunt, quos nominavi pagina 250.

Vberlingæ jacet Carolus filius Ferdinandi Principis Tyrolenſis Marchio Burgoviæ &c.

Leopoldo *Glorioso* ſtirpis Babenbergicæ.

Rudolphus filius Alberti II. Ducis Auſtriæ & primus Archi-Dux Viennæ in Eccleſia S. Stephani, Cryptâ ab ipſo pro Familia ſua condita ſepultus eſt. Paſſim dicitur *Fundator*, eò quòd per Provincias Habſpurgo-Auſtriacas, plura templa, vel alias DEO Sacras Domos fundârit vel reſtaurârit, vel benignâ ac liberali manu exaltârit. Fundavit Univerſitatem Viennenſem Anno 1365. unde errant qui Friderico II. Imper. initium ejus Fundationis attribuunt.

Rudolphus II. Imperator ſepultus eſt Pragæ in Metropolitana juxta parentem Maximilianum, & avum Ferdinandum. Non exiſtimet Lector me omiſſe Ferdinandum I. & II. Imperatores quorum nomina infra apponam, ſed in ipſis Fundationibus fuſius utriuſque pietatem cum ſuis Fundationibus deſcribam.

Sigiſmundus I. Archidux & Princeps Tyrolenſis jacet Stambſij. Sigiſmundus II. Filius Leopoldi Archiducis Principis & Domini Tyrolenſis, ſepultus eſt Oeniponti in Templo Societatis JESU.

Thomas Carolus filius Philipi IV. Regis Hiſpaniæ ex ſecunda conjuge ſepultus eſt in Eſcuriali.

Urſula Filia Ferdinandi I. Imperatoris Stambſij.

Wenceslaus Filius Maximiliani II. Imperatoris, Eques Melitenſis & Prior Ordinis in Caſtella, jacet Eſcuriali.

Wolfgangus Filius Friderici Senioris Principis Oenipontani Stambſij.

Wilhelmus Dux Auſtriæ Leopoldi *Probi* filius, Viennæ in Divi Stephani Æde ſepultus eſt.

Wratislaviæ ſeu Breslæ ut habet Gebuiller in Auſtriaca Hiſtoria, ſepultæ ſunt binæ Auſtriacæ perſonæ, quæ erant conjuges duorum Ducum Sileſiæ: Anna Filia Alberti I. Imp. Ducis Wratislavenſis; altera Agnes Filia, Leopoldi Ducis Auſtriæ, conjux Boleslai Ducis Swidnicenſis. In qua porrò Eccleſia (ſiquidem Wratislaviæ plures dantur) humatæ ſint, necdum reſcire potui, ſuſpicor autem in Eccleſia Collegiata Sanctæ Crucis quæ ab Henrico Duce Wratislavienſi cognomine *Probo* fundata eſt.

Wittembergæ ſepulta eſt Agnes Filia Rudolphi I. Imperatoris, uxor Alberti II. Electoris Saxoniæ in Templo quondam Franciſcanorum.

Aliam ſeriem ſubjungo ſed brevem juxta Alphabetum & juxta nomina locorum quibus ſepulti ſunt Principes Auſtriaci.

Albæ Regali ſepultus eſt Albertus II. Imperator. Aulæ Regiæ apud Ciſtercienſes deſiderabat ſepeliri Juditha Regina Bohemiæ filia Rudolphi I. Imperatoris. Vide pag. 235.

Badenæ ſepultura Marchionum Badenſium. Burgi Caſtellæ apud Carthuſianos. Brunæ apud Auguſtinianos. Baſileæ in Cathedrali ædę. Bruxellis Gubernatores Belgij. Campi Regij vulgò Königsfeld.

Cracoviæ Reginæ Poloniæ. Ad S. Dionyſium in Gallia Reginæ Franciæ.

In Eſcuriali plurimi utriuſque Domûs Auſtriacæ.

Florentiæ conjuges Hetruriæ Magnorum Ducum.

Ad S. Florianum in ſuperiori Auſtria.

Fürſtenfeldæ apud Ciſtercienſes. Vide pag. 259.

Gandavi. Gammingæ. Græcij in Styria Ferdinandus II. quemadmodum ipſe optimus toties Imperator caverat, nè corporis ſui exuviæ deponerentur præterquam Græcij locô Patriô ſibi charo præ cæteris in Sacello S. Catharinæ Regiè ad uſum Tumuli à ſe extructo. Eſt autem Sacellum iſtud ſeu Mauſolæum, inter muros cæmiterij Eccleſiæ Sancti Ægidij, Collegio Societatis Jesu incorporatæ. De *Corde* Ferdinandi II. infra dicam. De Ferdinandi I. corpore ſicut de alijs Ferdinandis, ſuis locis quæ dicenda judicavero fideliter referam & pagina 6. corrigenda corrigam.

Halis in Tyroli ad B. V. M. filiæ Ferdinandi I. & Caroli Archi-Ducis, ſorores Ferdinandi II. Imperatoris.

Maurbaci apud Carthuſianos. Monachij in Bavaria complures Archi-Duciſſæ.

Madriti in Hiſpania. Neapoli in Italia. Neoſtadij in Auſtria.

Neüpergæ ſeu Neomonti. Oeniponti. Piſis in Italia Joannes nepos Rudolphi I. Imperatoris.

Pragæ in Metropolitana S. Viti Martyris tumulati ſunt tres Imperatores: Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Item alij quinque ex Domo Habſpurgo Auſtriaca & inter illos Juditha filia Rudolphi I. Imperatoris. Corrigendus eſt hic Laurentius Beyerlink qui in magno Theatro vitæ humanæ ſcripſit ſepultum eſſe Viennæ Ferdinandum I. & Maximilianum II. Lincij; item Ferdinandum II. ſepultum Viennæ, qui ſepultus Græcij Metropoli Styriæ, ejuſque filium Ferdinandum III. ſcripſit Prægæ; qui tumulatus eſt Viennæ apud Capucinos, Mauſolæū verò Pragenſe in Metropolitana adſcribi debet Rudolpho II. Imperatori, quòd anno 1589. poſuit.

Seccovij in Eccleſia Cathedrali Canonicorum Regularium jacet Carolus Archi-Dux Ferdinandi II. Imper: Parens cum pluribus ſuis, erexitque Mauſolæum in ea Eccleſia pro ſe & pro ſua Familia.

Sambſij apud Ciſtercienſes plures etiam Auſtriaci ſepulti ſunt.

Spiræ Præter Rudolphum I. Imperatorem tumulatus eſt in conditorio Imperatorum etiam Albertus I. Imperator.

Tridenti Filiolus Maximiliani I. Archi-Ducis ſepultus eſt, quo autem

nomine

nomine appellaretur: Joannes Gans Societatis JESU non expressit neque Ecclesiam nominavit.

Tulnæ in Ecclesia Virginum S. Dominici complures sepulti sunt, quos nominavi pagina 250.

Uberlingæ jacet Carolus filius Ferdinandi Principis Tyrolensis Marchio Burgaviensis. Sed de sepulturis Austriacorum dixisse sufficiat. Sepulturæ Wettingenses addi potuissent adhuc, quarum mentionem pag. 2. feci, sed eæ tantùm ad solos Habspurgicos pertinent, & gloriatur ex illis Ordo Cisterciensis. Scio in nullo scriptore potuisse me reperire quo quædam personæ loco sepultæ sint, ac proinde excusari peto; quibus vetus illud *Locus sepulturæ* quod in literis duabus exprimetur (LS.) subscribam.

Anna (quam aliqui Hedvigem vocant) filia Rudolphi I. Imperatoris, uxor Ottonis Marchionis Brandeburgici L. S.

Anna filia Alberti II. Imperatoris, uxor Wilhelmi III. Ducis Saxoniæ. L. S.

Catharina filia Philippi I. Regis Hispaniæ, uxor Joannis III. Regis Lusitaniæ. L. S.

Catharina filia Philippi II. Regis Hispaniæ, uxor Caroli Emmanuelis Ducis Sabaudiæ. L. S.

Barbara filia Ferdinandi I. Imperatoris, uxor Alphonsi II. Ducis Ferrariæ. L. S.

Cæcilia filia Ferdinandi II. Imperatoris, uxor Wladislai IV. Regis Poloniæ, obijt Wilnæ 1644.

Clementia filia Rudolphi I. Imperatoris, uxor Caroli Martelli Regis Hungariæ. L. S.

Margareta filia Alberti IV. Archiducis, uxor Henrici *Divitis* Ducis Bavariæ, qui sedem habuit Landshuti. L. S.

Christina filiola Ferdinandi II. Archiducis, suspicor Græcij in Templo S. Ægidij sepultam.

DE SEPULTURA CORDIS NONNULLORUM HABSPURGO-AUSTRIACORUM.

Rudolphus I. Augustissimæ Domûs Fundator Cor suum Tulnæ humari voluit. Vide pag. 250.

Philippus I. Hispaniæ Rex Brugis Flandriæ.

Margaritæ ejus sororis & Gubernatoricis, Belgij, Bruxellis juxta alios Mechliniæ.

Græcij apud Patres Societatis JESU Corda aureis, argenteisque vasis inclusa sunt nonnullorum Fratrum Ferdinandi II. Imperatoris, ut testatur Guilielmus Lamormain de Virtutibus Ferdinandi II. Idem Ferdi-

nandus Imperator licet Cor ſuum Societati (ùt complures ſcriptores teſtantur) legaverit, & ſepultus ſit in Sacello S. Catharinæ, de quo aliàs ſupra dixi, Cor tamen juxta Matrem ſuam Græcij apud Clariſſas ſepeliri voluit. De qua re ita MS. Hiſtorici Collegij Societaris Jesu Græcenſis mihi ſpecialiter inde communicata: Cor, inquit hiſtoricus, de funere Ferdinandi II. agens, optimi Cæſaris auro incluſum & à primarijs duobus, Proceribus geſtatum, funeri quidem prælatum, ſed paulo poſt ad Sancti-Moniales S. Claræ, prope portam Muræ, cineribus Sereniſſimæ Matris ſuæ appoſitum, communem anaſtim præſtolatur.

Idem habet Guilielmus Lamormain Confeſſarius Ferdinandi II. Capite 10. paginâ III. editionis Colonienſis.

Ferdinandus III. ùt teſtatur in Pulveribus Sacris ad diem II. Aprilis Georgius Crugerius S.I. Sacerdos, *Cor* ſuum Græcij ad Fdrdinandi II. Patris corpus apponi petijt poſt mortem.

Ferdinandus IV. Viennæ in Eccleſia Aulica apud Auguſtianos; ibidem Leopoldus Guilielmus Archi-Dux Ferdinandi III. frater; Margareta Infans Hiſpaniæ, Imperatrix Cor habent depoſitum. Apud Capucinos verò Cor Claudiæ Imperatricis depoſitum habetur.

Carolus Joſephus filius Ferdinandi III. Imp. Cor ſuum B. M. V. Cellenſi poſt mortem ad tumulandum obtulit. Carolus Epiſcopus Wratislavienſis quamvis Madriti deceſſiſſet, Cor ſuum in ſepulturam, Niſſam, ubi Collegium Societati Jesu fundavit, transmiſit. Carolus Marchio Burgoviæ filius Ferdinandi Tyrolenſis Cor ſuum Güntzburgi humari petijt & conſecutus eſt.

Ad extremum referam quibus Eccleſijs VISCERA SUA Habſpurgo-Auſtriaci tranſcripſerint.

Lincij in Eccleſia Parochiali Fridericus V. & Maximilianus I. Imperatores viſcera ſua humari voluerunt. Viciniora nobis tempora pro Viennenſi Cathedrali Eccleſia ſuppeditant exempla Ferdinandi III. Ferdinandi IV. Romanorum Regis; Ferdinandi Joſephi vel juxta Balbinum Aloyſij ex Eleonora Mantuana; Leopoldi Wilhelmi Archiducis filij Ferdinandi II. Imperatoris; Ferdinandi Wenceslai Archiducis primo geniti Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi & Margaritæ Infantis Hiſpaniæ; Joannis item & Mariæ Annæ, atque Margaritæ filiæ.

Philippi I. Regis Hiſpaniæ viſcera habet Burgenſis Urbs. Murepontum Erneſti Archi-Ducis cognomento *Ferrei*; Græcium Caroli Archi-Ducis Parentis Ferdinandi II. Imperatoris. De quibus ità Schönleben in Ephemeride Auſtriaca pag. 267. Obit Carolus Archidux Græcij Styriæ. Viſcera in vaſe cupreo condita ſunt in Templo D. Ægidij ad Cornu

Evan-

Evangelij ſummi Altaris. Corpus ſepultum ſeccovij in Cathedrali Canonicorum Regularium S. Auguſtini in ſumptuoſo Mauſolæo, quod ſibi & ſuis conſtrui curavit. Idem Templum viſcera habet nonnullarum prolium prænominati Caroli Arhi-Ducis. Plura pro nunc non occurrerunt. Nunc quod ſupereſt humaniſſimè Eruditos Lectores rogo, ut ſi quidpiam M. M. SS. apud ſe aſſervant, aut etiam de alienis, ubi locorum hæreant, indicium facere poſſunt; mecum communicare velint, promitto quantùm in me erit, fidelem & gratum animum, & perennem memoriam. Scio, equidem meum (nè dicam invidis) nonnullis laborem minus placuiſſe, quod ego non quæſivi; neque expectavi. Faciant meliora tales, & deprehendent aliud eſſe dicere, & aliena judicare; aliud facere. Seneca lib: 1. epiſt. 1. inquit: *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus*, *Maxima aliud agentibus*, *tota nihil agentibus*; ego felicem me exiſtimabo, quòd ad tempus, id eſt ad annum ætatis meæ 58. prope completum, pervenerim, ex quibus Annos 26. in continua cura animarum impendi. Parochus VI. Decanus Giczinenſis XIII. Archidiaconus Infulatus Plsnæ VII. quidquid verò temporis vacabat, totum pene illud ſcribendo tranſegi.

Dum autem ſcriberem de ſepulturis Habſpurgo Auſtriacorum Principum, admonitus ſum & ego mortalitatis, & vitæ nimium quantum labilis, præſertim quando 22. Septembris anno ſuperiore apoplectico quodam catarrho ante templum Cathedrale Litomericij proſtratus, ità concidi, ut totus impos mei aliorum manibus debuerim domum reportari, ut jam de loco Sepulturæ propriæ paulò pòſt inſtituendæ cogitârim. Verùm Excellentiſſimi Domini Medici Litomericenſis Matthæi Ulben, ſingulari curâ, ac inſigni non minus, quàm diligenti peritiâ, valetudini priſtinæ brevì ſum reſtitutus, ut illius beneficio, quæ in Synopſi me facturum appromiſſi, re ipsâ nunc præſtare valeam.

Illud hìc pro coronide Erudito ac Benevolo Lectori inſinuatum volo. Cum annum Vigeſimum agerem, & ſtudio Póétices me impenderem Giczinij Anno 1656. â me factum eſſe initium in legendis Hiſtoricis, poſtmodum ſacerdos creatus, in ſtudium iſtud propenſiore animo in dies magìs ac magìs ferebar. Tandem anno 1688. iteratò Viennam excurrendo, Bibliothecam Cæſaream inviſi, licùitque mihi de conſenſu. S. C. Maj. libros quotquot fini meo idoneos judicabam in domum meam deportare, idem factum eſt anno 1690. ubi per tres menſes lucubrationibus hiſtoricis diſtinebar, quo tempore etiam diverſas Bibliothecas, & vicina monaſteria, eorumque Eccleſias iteratò perluſtravi. Quo etiam fine Brunam adij, & vicinam urbi, Carthuſiam ſalutavi. Præterea alia ex quibus adjumenta hiſtoriæ meæ ſumpſi eâ diligentiâ, ut omnino nihil prætermiſſum putem, quod augmento Annalibus meis

esse potuisset, unde ex scriptoribus singulis, quæ in rem meam faciebant, solerti, ac sincero calamo annotavi, atque huic primæ parti Annalium inserui; Alia verò acta Pietatis, quæ diversis ex Authoribus de verbo ad verbum descripsi, judicabam verbis proprijs, utì in Authoribus legi, depromenda esse, quò majus robur scriptis meis compararem, putà in nonnullis literis publicis, in quibus nè apex immutandus erat. Denique ejusmodi res solùm de verbo ad verbum exscripsi, in quibus vel minimum immutare est multum roboris, & subinde genuini sensûs plurimùm derogare. Non solùm imago proprijs coloribus depicta, verùm etiam oratio, & acta pietatis proprijs instituentium verbis expressa posteris placent magìs.

Quæ omnia eâ intentione feci, non quòd verba mendicarem, aut orationis Latinæ tam imperitus essem, sed quia sincerè, nullo litterarum apice immutato, Acta Pietatis Austriacorum Principum. proprijs verbis, veluti proprijs coloribus depicta, sub conspectum posteritati proponere volui. Si qui sollæcismi in ijs literis, aut aliud quid, minùs Latinum repereris, non mihi succenseas, non enim præsenti opere egi Grammaticum, ut errores corrigerem, sed Historicum, ut acta Pietatis referrem, atque ità arbitror intentioni meæ feci satis. Ad extremum illud observari cupio, ubi Lector asteriscum * viderit, errorem quendam subesse cogitet, qui Typographi primi, seu correctoris primi minùs accuratâ emendatione in Annales meos irrepsère, quos equidem facile emendandos confido ab eo, qui sibi persvasum habet, quòd in rebus humanis nihil sit ex omni parte beatum, nihil omnino perfectum & absolutum, & quód in multis; etiam typis, tum ponendis, tum revidendis, omnes facilè offendamus. Interim Benevole Lector

Vale & Fave.

[illegible]. A. M. D. G.

Errata ſic corrige.

In procemio.

Pag.	lin.	err.	correct.
22.	35.	omiſſum	que

In libri progreſſu.

Pag.	lin.	err.	correct.
13.	2.	eam	cùm
18.	36.	Mauſole	Mauſolæa
29.	9.	dele	Auſtriæ
31.	21.	S.	Beati
31.	31.	hominem	hominum
32.	7.	ante	arctè
35.	25.	Auguſtæ	Auguſta
38.	34.	coronabitur	coronabatur
100.	16.	occaſionem	occaſione
111.	25.	ſingulabus	ſingularibus
120.	in fine	aliquis	aliquoties
152.	in fine	adornamenta	adoramenta
156.	30.	graviſſimo	graviſſimum
162.	31.	Kehenwiller	Kewenhiller
165.	20.	ibidem	itidem
166.	5.	Heriberto	Alberto
177.	23.	eluciſcet	eluceſcet
233.	37.	Buckamij	Bukeimij
235	11.	Beatæ	pietate
277.	1.	minus	nimìs
289.	10.	adde	Cæſaris
292.	5.	adde	venit
347.	3.	alio meliori	alia melior
385.	in fine	examinati	exanimati
388.	27.	quæ	quo
401.	6.	1599.	1598.
419.	10.	juſſit ei	juſſit eam
424.	21.	præſenri	præcedenti
424.	21.	damus	dedimus
429.	6.	ſua	ſuo
434.	32.	ſamam	famem
447.	2.	filia	filiæ
447.	2.	nulla	nullam
447.	9.	omiſſum	affirmat
452.	11.	addictus	addictum
460.	17.	poterunt	potuerint
461.	11.	quod	quoad
462.	36.	Cordulæ	Cordubæ
478.	33.	æſtas	ætas
492.	41.	repeto	reputo
493.	10.	ſecntus	ſecuta
503.	26.	Kaſper	Raſper

546

546.	6.	Rudolpho	Alberto
553.	32.	adde	&
553.	32.	dele	Alberti
557.	40.	adde	apud
558.	16.	qui	quæ

Alios errores quos Eruditus lector ipſe corrigere poteſt, conſultò præterimus.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Czerwenka, Wenceslaus Adalbert.

Annales Et Acta Pietatis Augustissimæ Ac Serenissimæ Domus Habspurgo-Austriacae In Quibus Ortus Et Progressus Habspurgicae Gentis, Imperialis Dignitas, Reges, Duces, & Archi-Duces, Sac. R.E. Cardinales, Archi-Episcopi, Episcopi, Supremi Ordinis Teutonici Magistri ... aliáque ad Pietatem & Dignitatem Augustalem spectantia proponuntur ; Accedunt Notae & Additamenta Sacro-prophana Historica, Genealogiae infusionem sangvinis

Vetero-Pragae 1691

2 Austr. 47
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10934517-6